

Rz-843

Kassai királyi jogakadémia  
Könyvtára

Szekrény szám *XVI.*  
Osztályzat *α.*

*B.*

Tray Specimen

XVII. 6.

496

S P E C I M E N  
H I E R A R C H I A E  
H V N G A R I C A E

C O M P L E C T E N S  
S E R I E M C H R O N O L O G I C A M  
A R C H I E P I S C O P O R V M

E T  
E P I S C O P O R V M  
H V N G A R I A E

C V M R V D I D I O E C E S I V M D E L I N E A T I O N E

A D J E C T I S ,


S I Q V A E S V N T P E C V L I A R E S , P R A E R O G A T I V I S ,  
V T P L V R I M V M E X D I P L O M A T I B V S  
C O N G E S T V M .


A  
G E O R G I O . P R A Y  
P R E S B Y T E R O S E C V L A R I .

P A R S I .  
D E A R C H I E P I S C O P A T V S T R I G O N I E N S I  
E T E J V S S V F F R A G A N E I S .

P O S O N I I & C A S S O V I A E ,  
S U M P T I B U S J O A N N I S M I C H A E L I S L A N D E R E R ,  
T Y P O G R A P H I E T B I B L I O P O L A E .  
M . D C C . L X X V I .

Rev. 1968





## AD LECTOREM.

De industria, quid quid id opellæ est,  
specimen appello, quod non perfe-  
ctam Hierarchiæ Hungaricæ imagi-  
nem, quis enim id in tantis tenebris, se-  
culi præsertim XI. possit? voluerim expri-  
mere, sed rudia dumtaxat illius lineamen-  
ta adumbrare, quo Series Antistitum Hun-  
gariæ sub uno velut obtutu, cupientibus,  
præcipue externis, horum enim causa in  
primis scribo, cupientibus, inquam, id etiam  
genus Hungarica nosse, præsto esset, ac  
eadem deinceps, si qui a me, ut forte sunt,  
prætermissi sint, ab aliis suppleri.

Cogitationem hanc quidem jam ex parte Georgius WERNERUS, vir multiplicis doctrinæ olim susceperat, sed an perfecerit, an contra non prorsus inutilis destinatio adhæserit, compertum non habeo. Illius fidem facit Paulus BORNEMISZA Episcopus Transilvanensis, qui a WERNERO rogatus, ut sibi ea in re subservire ne gravaretur, litteras, quas Cl. Daniel CORNIDES communicaverat, ad Capitulum Albense hujus tenoris dedit.

„ Venerabiles Domini, & Fratres nobis honorandi salutem &c. Per  
„ scripsit ad nos vir eruditus Georgius Wernerus, se habere  
„ in animo, imo jam velle, ut gesta rerum Hungaricarum per  
„ publicam editionem suæ lucubrationis memoriæ consecret  
„ perpetuæ: cumque nos jam pridem ad eam rem promovendam,  
„ atque illustrandam, tum etiam locupletandam quædam de  
„ exordio, ac fundatione Ecclesiæ Vesprimiensis illi ipsi sugges-  
„ ferimus, habeatque aliarum jam --- Ecclesiarum totius Regni  
„ Hungariæ, præter Albensis, originis cognitionem, petit nunc  
„ a nobis, ut idem ipsum de Ecclesia Albensi faceremus, in  
„ primisque ut adnotaremus, quæ ejus sit origo, fundatio, &  
„ quibus suscepit incrementa, ornamenta, opulentiam, idque  
„ genus reliqua: denique si quæ exstant antiqua diplomata, ex  
„ quibus id ipsum, de quo fit mentio, accuratius intelligi pos-  
„ sit, ut ea omnia transcripta, & in unum digesta ad se trans-  
„ mitteremus. Quare hortamur Fraternitates Vestras, & ni-  
„ hilominus Vobis etiam præcipimus, ut quam primum præfa-  
„ tum

„ tum negotium fundationis ipsius Ecclesiæ Albensis, deputatis  
„ ad id idoneis personis, ut sunt, Magister Matthæus Bathay,  
„ Magister Ambrosius Mosdosy, Magister Albertus Custos, &  
„ aliis etiam, qui ad id obeundum apti esse videbuntur, nobis  
„ diligenter, nec non summa cura, ac solicitudine, prout se se  
„ res habuerint, perscribatis, idque ex Privilegiis vetustissi-  
„ mis Ecclesiæ bona ex parte colligere poteritis, addentes  
„ peristases, quo tempore, & sub quo Rege, & a quibus, &  
„ propter quam causam ista Ecclesia fuit combusta, & qui Ca-  
„ pitulares Canonici fuerint tum extincti. - - Proinde  
„ etiam, atque etiam mandamus, sine ulla dilatione hanc  
„ rem perficiatis. Easdem feliciter valere optamus. Da-  
„ tum ex Arce nostra Gyalu XXIII. Augusti MDLV. ,,

Hæc BORNEMISZA.

Cum autem, quid WERNERUS in hoc argu-  
mento præstiterit, nuspianam comperisse,   
statui omnino hunc mihi laborem sumere,  
quod, quæ huc faciunt, jam multo ante  
ex diplomatibus accurate, & diligenter con-  
gesserim. Ipsa materiæ œconomia ferebat,  
ut opellam hanc in duas partes dispesce-  
rem; in quarum prima Archiepiscopatus  
Strigoniensis, in altera Colocensis, cum suis  
utrobique Suffraganeis, locum haberet, iis  
etiam Episcopatibus, qui jam dudum obso-

levere, non omissis. Sine dubio etiam ter-  
tia pars commode, & ex argumenti nexu  
adjici potuit, quæ Archiepiscopos, & Epi-  
scopos Provinciarum ad Hungariam vetu-  
stissimo jure pertinentium, cuiusmodi Dal-  
matia, Bulgaria &c. erant, complectere-  
tur, nisi hanc spartam doctissimus FARLATUS  
quatuor justis voluminibus Illyrici Sacri du-  
dum occupasset. Forte, si otium fuerit, &  
conatum hunc meum eruditis non impro-  
bari intelligam, hanc itidem deinceps adji-  
ciam. Sunt enim non pauca etiam in Illyri-  
co Sacro Hungarica, quæ FARLATUM quo-  
que, tametsi diligentissimum Scriptorem,  
latebant.


Porro in iis Episcopatibus pertractandis,  
de quibus multi jam ante me commentati  
sunt, aut etiamnum commentantur, ut A-  
griensi, Jaurinensi, Zagrabiensi, & Quin-  
que Ecclesiensi, brevior esse studeo, quam  
in reliquis, de quibus nihil haec tenus, præ-  
ter nudos Catalogos, eosque satis mancos,  
& hiantes, neque hos de omnibus, exstare  
sciebam. Dicæcesium limites, ut in ipso  
ope-

operis titulo præstitui, ruditer delineo, ne  
me quis litibus ansam dare velle existimet.  
Tanto prolixior sum in illustrandis præro-  
gativis, si quæ cum Episcopatu aliquo con-  
junctæ essent: Antistitum vero nomina ex  
autographis, aut apographis instrumentis,  
nisi aliter moneam, universe contexui: De-  
mo hinc Ludovici II. ætatem; cuius uni-  
cum duntaxat instrumentum, in quo Magi-  
stratus subscripti sint, reperi. Itaque si quis  
forte isthic error mihi obrepst, aut veniam  
merebor, aut, ubi usus erit, corrigam.  
Adjeci præterea annos & dies, quibus sub-  
scriptos Episcopos Regiis diplomatibus re-  
pereram; neque tamen propterea quis pu-  
tet, initium, aut finem regiminis illorum a  
me designari. Sicubi id facio, unde ac-  
ceperim, non indiligenter noto. Neque il-  
lud mihi prætermittendum putabam, ut,  
quo anno, quove die Episcopatus vaca-  
bat, exserte adjicerem. Quæ diligentia et-  
si quibusdam minutula videri possit, tamen  
multum operæ illo confert, ut certius de  
suppositis diplomatibus judicium feratur.  
Denique, cum quid memoria dignum de

Epi-

Episcopis singilatim occurrebat, id ad cal-  
cem, ne series interciperetur , rejici.

Si iis, quibus neque eruditio, neque o-  
cium , neque sumtus, neque materiæ uber-  
tas, & delectus defunt , voluntas etiam  
conandi accederet, ut huic se labori accin-  
gant, dubium non est, quin viam ad illu-  
strandam Historiam Ecclesiasticam Hunga-  
riæ complanatam haberemus. Dabam  
Posonii VII. Idus Majas , anno  
**MDCCLXXV.**



CELSISSIMO  
S. R. IMPERII PRINCIPI,  
JOSEPHO  
E COMITIBVS  
DE BATTYÁN,  
ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI,  
SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO,  
PRIMATI HVNGARIAE.



*Quod dudum, & privatim animo solve-  
ram, nunc re, si tamen opella mea,  
quam TIBI dicari benigne pateris, TVO  
Nomine digna res est, palamque gratulationis  
pendo officium. Materia gratulandi nova, &  
magna est. TIBI de suprema in Sacris Hun-  
garicis feliciter obtenta Dignitate: Dignitati de  
TE gratulor. TIBI; quod Illam Providentia  
Numinis TIBI ante alios conferri voluit: Huic,  
quod a TE Splendorem, ac incrementum sine du-  
bio sumtura fit. Hæc ego communiter juxta cum  
aliis. Sed si potestatem, onus, & curam Di-*

\*

gni-

gnitati huic ex se se adjundam considero, campum  
TIBI pro DEO, & ovibus, quas Ille solicitudi-  
ni TVAE commisit, præstantium exercendorum  
operum aperiri, pro mea, qua Nomiini TVO  
adstridus sum, observantia seorsim gratulor.

Magna quidem sunt, ingens Metropolitæ  
Nomen, Legati Nati Apostolici, Primatis Hun-  
gariæ, & S. R. Imperii Principis, verum com-  
parata Pastorali Curæ, & jurisdictioni, quæ  
vetustissimo jure per omnem Hungariam, & huic  
connexas Provincias latissime porrigitur, nec so-  
la sunt, nec maxima. Illa TIBI Ecclesia, quam  
regendam, tuendamque accipis, dedit, non tam  
ut TE ornaret, quamquam & hoc cupit maxi-  
me, quam ut consuleret sibi: Istud TIBI præci-  
pue debebis, quoniam, quæ buc faciunt, si ra-  
tionem species humani consilii, ex TE uno pe-  
tes;

tes; si Deum, is largissime tribuet, cum ab-  
hinc nec TVVS, nec TVA res sis, sed Eccle-  
siæ, ad quam accessisti.

Habes igitur Aream amplissimam, in qua pe-  
culiare TIBI præ ceteris Vigilantiam pro grege  
Dominico, qui jam pars hæreditatis TVAE est,  
Fortitudinem adversus gregis Dominici hostes,  
Prudentiam in cavendis, arcendisque Ecclesiæ  
periculis, Constantiam, quæ nunquam superva-  
canea esse potest, in tuenda Religione, reliquas  
que virtutes, quibus TE optimum Numen orna-  
vit, exeras, & quod Apostolus ait, omnibus  
omnia fias.

Nec TE natura, & DEVS non jam prius  
ad hæc formarunt, quam ad Dignitatem hanc  
gravissimo Magnæ THERESIAE judicio

ejectus fueris. Sanguis ipse, quem Nobilissimum traxeras, Majorum TVORVM pro Patria res insigniter gestæ, Ipsa TVA Adolescentia, quæ securæ vitæ quedam quasi Divinatrix esse solet, Ipsa, inquam, Adolescentia, in qua profanorum Honorum relicta amplissima Spe, Clero, & in hoc DEO TE donasti, o præclarum donum! Ipsa, rursus ajo, TVA Adolescentia jam futuri præsagium fuit. Vix enim DEO TE sacraveras, cum ob præcellentes regendi dotes, quæ Ecclesiarum Rectoribus inesse solent, & apud TE velut in semente novali se se pulcherrime explicabant, primum Castriferrei, tum Posoniensis Sacerdotum Collegii Præpositus renunciatus es. Abhinc usque adeo TE, ut sic dicam, Insulæ vel invitum persequebantur, ut max Transilvaniensis Episcopus, tum Colicensis Metropolita, utrobiique cum ingenti Ec-

cle-

clesiæ fructu, denique, tamquam TE Honor quiescere non sineret, Strigoniensis Archiepiscopus, & Hungariæ Primas efficerere.


Primus certe es, Excelsæ Familiæ TVAE, qui hac Honoris Prærogativa ornatus fueris. Felix id TIBI sit, faustumque! Sed multo futurum utique felicius, si prius contigerat. Eodem enim fere tempore Patrem TVVM Hungariæ Proregem, Patruum Belli supremum Imperatorem, TE summum Regni Antistitem venerati fuissimus, hoc est, Triplex in omni re publica Columnen. Id cum DEO aliter placuerit, videtur Honoris Excelsæ Familiæ TVAE aliquod quasi compendium in TE facere voluisse, cum sacra antistent profanis, & in illis Regnum Hungariæ post summum in terris Pontificem nihil majus habeat Strigonensi Archiepiscopo.

Is

*Is nunc es! & es AVGVSTAE Nostræ ju-  
dicio, & merito TVO! quamquam is jam  
prius votis omnium, qui recte sentiunt, esset.  
Itaque nullo non titulo felix! & ne Felicitas  
hæc TVA unius sit, felix in primis Ecclesia,  
cui gubernandæ obtigisti, felix deinde populus,  
quem custodiendum accepisti Pastor, in quo nihil  
desideramus, nisi vitam, in qua curæ omnium  
consumantur, quam fieri potest, diuturnam.  
Hanc omnium, ac in primis TVAE Diœce-  
ses nomine votet*

## **CELSITVDINI TVAE**

**Devotissimus Servus, & Capellanus  
GEORGIVS PRAY,  
Presbyter Diœcesis Strigoniensis.**



## ARCHI-EPISCOPATUS STRIGONIENSIS.



Archiepiscopatus Strigoniensis, qui Divo Stephano primo Hungariæ Regi, ut reliqui Episcopatus, si Zagrabensem, Bosnensem, & Syrmiensem demas (a) sua incunabula debet, sicut ditionum ambitu, ita prærogativarum copia, ceteris in Hungaria Episcopatibus antecellit.

*Archiepiscopatus Conditor D. Stephanus.*

Prærogativæ cum ad res sacras in primis, tum profanas attinent, quarum alias Pontificum Romanorum largitioni, alias Regum Nostrorum

(a) Conabor id suo loco, quoad possum, planum facere.

rum beneficentiae Archiepiscopi in acceptis ferunt. De singulis postea agam prolixius, ubi, intra quos Limites Metropolitæ jurisdictione contineatur, explicatum reddidero.

*Diæcœfios  
amplitudo,  
& Capituli  
prærogati-  
va.* Diæcœsis Strigoniensis præter cognominem Provin- ciam complectitur, Nitriensem, Thurocziensem, Ar- vensem, Neogradiensem, (a) Gömöriensem, Lipto- viensem, Hontensem, Barciensem, Comaromiensem, Zoliensem, Posoniensem, Scepusiensem, & Tornensem Comitatus, quorum fere singuli amplitudine terrarum Principatibus pares habentur. Ad hæc late porrectus ager citra ultraque Tibiscum, quem Cumani habitant, Roberti Archiepiscopi temporibus (b) Strigoniensis Jurisdictioni accessit. Hinc de Capituli itidem Strigo- niensis dignitate, ac prærogativa facile judicium quis- que constituet. Id olim ex XXXVIII. Canonicis coaluerat, nunc XXIV. numerum non excedunt, quo- rum postremi Beneficium in res Templi necessarias, ac Ludi-Rectores impendi solet. Ex his in curarum partem Archidiaconi leguntur, qui præter Cathedra- lem, novem numero sunt: Nitriensis, Neogradiensis, Gömöriensis, Hontensis, Barciensis, Comaromiensis, Sásvariensis, Zólnensis, & Tornensis. Fuere autem olim minoris etiam, & ut ita dicam, secundi ordinis

Ca-

---

(a) Aliqua tamen ad Vacensem pertinent. (c) Ita prius res ha- bebat, nunc alia ratio est.

Capitula, quæ Strigoniensium Archiepiscoporum Juribus obnoxia erant. De his Statuta Capituli in hæc verba habent: *Præpositus S. Georgii de viridi Campo Strigonensi, qui est etiam Archidiaconus Cathedralis, habetque Canonicos octo: Præpositus S. Stephani Proto-Martyris de Castro Strigonensi, habuit Canonicos sex: (a) Præpositus S. Thomæ Martyris de Promontorio Strigonensi habuit Canonicos sex: Quæ postea, quam Archiepiscopatus ab D. Stephano conditus esset, aliorum Regum, & privatorum beneficentia sensim erecta fuere.*

A 2

At-

(a) Olim XII. fuisse constat ex Ladislai Chani Litteris, quibus Sixto Lectori, & Valentino Cantori Ecclesia Strigonensis veniam facit Possessiones suas Hetyu, & Kyskezu Philippo Strigonensi Archiepiscopo donandi in eum præcipue finem, ut XII. Canonici S. Stephani Proto-Martyris commodius alantur. Verba hæc sunt: *Quod si Dominus Archiepiscopus illam Intentionem salubrem, quam una cum Capitulo suo in Lucem deduxerant, vellet & posset perducere ad effectum, videlicet, quod XII. Canonicos in Ecclesia Procesionali, seu Capella S. Stephani Proto-Martyris collocaret, & sufficientibus redditibus eandem Ecclesiam quoad sustentationem XII. Canonicorum dotaret, & ditaret, sic tamen ut decursis, seu protelatis temporibus eorundem Canonicorum innibi collocandorum sustentatio vitæ, diminutionem non reciperet, & Canonici in eadem Ecclesia S. Stephani Proto-Martyris locati, & fundati in Opprobrium Cleri non mendicarent ostiatim & eorum Canonicorum hospitia juxta eandem Ecclesiam S. Stephani Proto-Martyris, ubi Sanctissimus Rex Stephanus sanctum nomen suum proprium, & nativitatis suæ prænunciationem per os Sancti Stephani Proto-Martyris, Omnipotentis Dei veri Nuncii, recepit, colocata -- remanebant, -- propterea volumus -- quod Possessiones jam prænominate ad usum eorundem Canonicorum S. Stephani Proto-Martyris -- devolvantur. Datum est Anni 1272. Hæc Schvartzii Somnia de Apparitione S. Stephani eleganter illustrant.*

*Ad illam  
spectant  
Præposituræ  
Poso-  
nienfis,  
Scepusien-  
sis.*

Atque hæc quidem beneficiorum ratio intra Capitulum Strigoniense constituit, extra id haud pauciora reperire est, quæ ad Jus Metropoliticum spectabant. Inprimis Præposituræ Seculares, de quibus Statuta Capituli Strigonensis Anno MCCCXCVII. stabilita hæc notant: *Prepositus S. Martini de Posonio, cuius Præposituræ Canonicatum, & Præbendarum collatio spectat ad D. Archiepiscopum Strigonensem, Prepositus S. Martini de Scepusio: Veteris Budæ, Titeliensis, Orodienfis & Cibiniensis.* Hæc ante paucos annos ex Jurisdictione Strigonensi exempta, & Transylvaniensi Episcopo subiecta fuit; Nomen vetus, non item latifundia retinens, quæ Saxones Transylvani, cum à Catholica Religione secessionem fecissent, Seculo XVI. Provincia turbis domesticis implicita, pedetentim sua fecere. (a) Orodienfis autem, Veterobudensis, & Titeliensis Præpositurarum solum nomina exstant, quod abhinc, cum Turcæ Budam occuparunt, & Joannes Sigismundus ditiones ad Tibiscum usque protulisset, Sacerdotes Collegiorum, nisi Catholicæ Religioni nuntium vellent mittere, facta omnium rerum jactura, solum vertere coacti sunt, quemadmodum Capitulo Varadiensi factum constat; quod tamen deinceps a Regibus Austriacis pene ad pristinum decus instauratum

---

(a) Abhinc tamen, quam Principatus ad Reges Austriacos rediit, Seminario Catholicorum Claudiopolitano quotannis certam summam ex Pecuniis pendunt.

tum fuit. Itaque, quas primo loco supra memoravi, binæ duntaxat Præposituræ Seculares hodie exstant juris Strigoniensis, Posonii nimirum & in Scepusio utraque S. Martino dicata: illa ex XIV. hæc ex XII. Sacerdotibus veteri instituto conflatæ. (a)

Nihil autem mirum est, memorata Capituli Strigonensis Statuta ad Annum 1397. Præposituræ Nitriensis non meminisse, quod ea jam dudum ante in Episcopatum conversa esset. Olim quidem, ut liquet ex Decreti primi Regis Colomani Capite XXII. Præpositura duntaxat, Posoniensi similis, & Strigonensi Archiepiscopo obnoxia fuit, (b) non ante Be-

A 3

lam

---

(a) De illa in Visitatione Canonica Capituli Posoniensis Anno 1629. facta ad tertium & quintum punctum hæc responsio habetur. Post D. Præpositum nullas esse peculiares dignitates, neque fuisse excepto uno exemplo quo pīx memorie Andreas quondam Monosilay ex peculari consenju Illustrissimi quondam Domini Archiepiscopi Strigonensis Joannis Kutassy, ob evitandas diversas distractiones Vicarium constituerit, Reverendum quondam D. Lucam Farfolits: alias omnia secundum seriem Senioratus tam in Choro, quam in Conventu quoad voces dandas, aliisque publicis Processionibus directa esse, ac etiam nunc dirigi. Canonicatus autem Præbendatos fuisse antiquitus numero XIV. quorum nullum possit habere D. Præpositus. Ex præbenda autem unius Canonicatus interteneri nunc Cantores, item ex mediata unius Notarium; reliquas vero portiones dividere inter se Canonicos residentes.

(b) Judicium ferri & aquæ in aliqua Ecclesia fieri interdicimus nisi in Sede Episcopali, & majoribus Præposituris ut, Posonii & Nitriæ. Quo loco non possum non meam suspicionem prodere; videri nempe mihi, Præposituram Posoniensem ab Rege aliquo, etsi incertum, a quo, ante Colomani tempora fundatam esse. Ita ut suspicer, faciunt Litteræ Innocentii III. ex Regest. Anni VII. Epist. 56. quæ hujus modi sunt. *Innocentius Episcopus &c. Venerabili Fratri Strigonensi Archiepiscopo - - - supplicavit nobis charissimus in Christo filius noster (Emery) cus*

Iam cæcum ad Episcopatum evecta, quod ad annum 1133. primum omnium Episcopum Nitriensis nomine in Litteris *adjudicatoriis* Nicolaum reperio. Hinc repetenda ratio videtur, cur Capitulum Nitriense caret Præposito & Episcopatus Diæcefis arctis omnino limitibus circumscribatur, quoniam veri simillimum est, Episcopum ex Præposito, creatum, & qui terrarum Tractus hujus erat curæ creditus, ex Strigonensi Diæcesi exemptum fuisse, ac in novam Episcopen conversum.

*De Præpositura albeni regale nisi* Fueritne autem Præpositura Albenis Strigonien-  
*trebræ controversia.* sum Præfulum Jurisdictioni aliquando subjecta, magna animorum, & Juris contentione olim actum est. Exstant enim Pontificum Romanorum Rescripta, quæ Præposituram eam (*a*) fibi solis obnoxiam fuisse diserte fateantur, rursum alia, quæ Præpositis Alben-  
 fibus

---

eus) Rex Ungarorum illustris, ut, quia in quodam Castro suo Posoniensi Præpositura constituit, & ex accessu hominum ad eandem timet sibi de castro ipso periculum provenire, ei licentiam concedere dignarumur, ut Præposituram ipsam extra munitionem construere de licentia nostra valeret: nos autem ejus petitionibus annuentes Fraternitati tue -- mandamus, quatenus super translationem ipsius Præposituræ illud -- statuas, quod necessitati Regni, & utilitati Ecclesiae noveris expedire. Provisurus ne Corpus B. Martyris, qui in dicta Ecclesia requiescit, debita veneratione fraudetur. Datum Laterani VIII. Cal. Maii Pontificatus -- Anno VII. Hoc est 1204. Cujus Martyris id corpus fuerit, ignoro. Ceterum si res inter Salomonem, & Ladislauum Polonii gestas considerem, non dubito Præposituram Posoniensem cum Capitulo a S. Ladislao fundatam fuisse.

(*a*) Eiustmodi sunt Gregorii IX. de anno 1241. & Nicolai IV. de anno 1289.

fibus Obedientiam Strigoniensibus Archiepiscopis præstandam in eum plane modum, quo decessores illorum soliti fuere, mandat, atque hæc quidem illis, si temporis rationem habeamus, vetustiora sunt. Id modi, Clemens III. fuit in hæc verba exaratum. (a) *Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Albeni Præposito, & Abbatii S. Martini Salutem - - - Virtus Obedientiæ, quantum sit a Viris Ecclesiasticis amplectenda, quisquis ratione utitur, non ignorat, cum facilem quilibet ad ceteras virtutes progressum habeat, in quo vigere dignoscitur hujus prærogativa virtutis, sine qua non potest ad cœlestis beatitudinis bravium perveniri. Inde est, quod volentes nos potiora bona obedientiæ imitari per Apostolica vobis Scripta mandamus, quatenus Venerabili Fratri nostro Jobo Strigoniensi Archiepiscopo reverentiam, & obedientiam impendere procuretis, quam prædecessores Vestri suis conserverunt Prædecessoribus exhibere. Datum Laterani, VI. Idus Januarii Pontificatus nostri Auno quarto: qui in annum Christi MCXCI. incidit. Quam autem Obedientiæ normam ab Decessoribus alias præstitam Præposito Albeni Pontifex suadeat, in obscurō est. Certe Ecclesiam Albensem, quæ in Diœcesi Vesprimiensi est, una cum Præposito, & Capitulo ab Jurisdictione Episcoporum universe exemptam fuisse, Carthuitius*

te-

---

(a) Ex Originali.

testatur ; ita, (a) ut si Præpositus vetaret, ne Missam quidem in ea Ecclesia celebrare illis fas esset. Nisi forte, quoniam Clemens Abbatem S. Martini in eadem epistola conjungit, illud obedientiæ genus Præposito Albenſi injunctum fuerit, quod serius postea Innocentius IV. ab Abate S. Martini Strigonensi Archiepiscopo tamquam Metropolitæ præstari voluit, ut nimirum Archiepiscopo, si illo veniret, obviam cum Monachis progrederetur, nec, si ille cum Pallio ad Aram operari vellet, invitus esset. Innocentii Litteræ propterea ad Abbatem datæ ita habent. (b) *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiiis Abatti, & Conventui Monasterii S. Martini de Pannonia Faurinensis Diaœcis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex parte Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Strigonensis, nobis est oblata querela, cum ipse, ac Prædecessores ejus conserverint in Monasterio vestro tanquam Metropolitanus processionaliter recipi & in eodem Monasterio cum Pallio celebrare, vos Spiritu rebellionis assumto, ei super hoc injuriosi estis plurimum, & molesti. Volentes igitur, ut corrigatis excessum*

(a) In vita S. STEPHANI cap. 3. & Leo X. Anno 1519. in Bulla qua prærogatiwas Albenis Ecclesiæ confirmat, in hæc verba : *Libertates quoque, seu immunitates, Jura, & dignitates prædictæ Ecclesiæ a S. Stephano Hungariæ Rege, qui Ecclesiam ipsam fundarit, concessas, -- & ab aliis Regibus indultas, & usque tempus claræ memorie Geisæ Regis conservatas, -- perpetuis temporibus illibatas permanere sancierat, cum consensu, & voluntate Geisæ Regis, & Filiorum forunpiæ Recordationis Emerici & Belæ Regum - - - - -*

(b) Ex Originali.

*cessum, hujusmodi per vos ipsos, Universitatemque vestram, rogamus attentius, & monemus, per Apostolica vobis Scripta mandantes, quatenus eundem Archiepiscopum, cum ad Monasterium vestrum accesserit, prout consuevistis hactenus, processionaliter admittentes, eum celebrare ibidem cum pallio libere permittatis. Alioquin dilectis filiis Abbatii, & Priori de Pilis Cisterciensium Ordinis, Vespriniensis Diaecesis, & Praeposito Ecclesiae Agriensis Litteris nostris injungimus, ut partibus convocatis causam audiant, eamqae, omni appellatione remota, Canonico fine decidant, & faciant per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Datum Lugduni VII. Id. Augusti Pontificatus nostri anno 5to. Quod si Abbas S. Martini Montis Pannoniæ, tametsi hunc, ejusque deceffores Divus Stephanus ab condita Abbatia ex Archiepiscopi, & Episcoporum potestate exemptos voluerit, titulo Juris Metropolitani hoc obsequii genus Strigoniensibus praestare debuit; nullum dubium est, quin iisdem eadem de causa idem obedientiæ genus Praepositi Albenses praestitisse videantur. Recruduit tamen lis Seculo XVIII. cum Praepositi Albenses se ab Jurisdictione Strigonensis eximere vario conatu nitebantur. Acta res est productis utrinque Litteris Pontificiis, quæ cuilibet parti favere viderentur. Re accuratius perspecta, non potuerant earum aliquæ obreptionis vitium, ac suspicionem effugere.*

Exstat hujus Argumenti Scriptum pro Archiepiscopis  
Strigoniensibus in hæc verba confectum.

*Harum  
causæ con-  
futatæ.*  
 „ Brevis Informatio de prætenſa Præpositi Albæ  
 „ Regalis ab Archiepiscopi Strigonensis Jurisdictione,  
 „ Exemptione.

„ Bullæ Papales a Præposito allegatæ non pro-  
 „ bant intentam exemptionem. Nam illæ sunt: I.  
 „ Subreptitiæ. II. Revocatæ. III. Nunquam in usum  
 „ deducitæ.

„ Primo: quod subreptitiæ sint, satis probat Pri-  
 „ vilegium Archiepiscopi Strigonensis: *quod nemo*  
*„ possit contra illum procurare Romæ ullum Privile-*  
*„ gium, nisi prius cum eodem Archiepiscopo commu-*  
*„ nicetur, si vero illo inscio obtineretur, eo ipso sit in-*  
*„ validum, & inane.* Datum hoc Privilegium Anno  
 „ 1191. Bulla vero Sixti IV. emanavit, dum Joannes  
 „ Strigonensis a Rege Mathia capti atus in Vissograd  
 „ detinebatur, de qua nihil scire poterat.

„ Secundo: Bullarum allegatarum fundamentum  
 „ ponitur concessio Clementis III. Papæ, qui tamen  
 „ de rei veritate melius informatus, eandem ante di-  
 „ ctam subreptitiæ impetratam concessionem Pontifi-  
 „ catus sui anno IV. cassavit, annullavit, jussitque  
 „ Præ-

„ Præpositum Albæ Regalis subesse jurisdictioni Ar-  
 „ chiepiscopi Strigonienfis (a) hoc proinde fundamen-  
 „ to diruto ruunt omnes reliquæ Bullæ superædi-  
 „ ficitæ.

„ Tertio: quod hæ, ac similes Bullæ nec sint  
 „ acceptatæ, nec in usum deducitæ, satis ostendunt  
 „ ipsæ hæ Bullæ allegatae. Nam sic fatetur Bonifacius  
 „ VIII. quod nonnulli ordinarii Privilegium hujusmodi  
 „ (scilicet Exemptionis) minime admittentes, jurisdicçio-  
 „ nem in Ecclesie B. V. Præpositos sibi usurpantes, illos  
 „ diversimode contra Privilegii hujus Tenorem molesta-  
 „ verint. Legatur alterum allegatum Sixti IV. Papæ  
 „ Privilegium, quod aperte fatetur: Præpositum, &  
 „ Capitulum (Albense) propter simplicitatem, & igno-  
 „ rantiam Exemptionis hujusmodi - - - eos usos non  
 „ suisse. Quid adhuc egemus Testibus? qui non uti-  
 „ tur Privilegio, illud amittit. Quod dictæ Exem-  
 „ tioni Archiepiscopus Strigonensis in specie contra-  
 „ dixerit, testatur Leo Papa X. ubi circa medium re-  
 „ fertur, quod Archiepiscopus Strigonensis non ob-  
 „ stante Sixti, ac Bonifacii Bulla dixerit, Ecclesiæ  
 „ Præposituræ Albæ Regalis ordinariorum Juri subef-  
 „ se. Mansit in hac contradictione semper Archi-  
 „ episcopus. Cumque Anno 1431. Præpositus Alben-  
 „ sis suæ præsumtæ Exemptionis causam per Trien-

„ nium Romæ ursisset, ac coram Sede Pontificia Stri-  
 „ goniensem jure convenisset, nihil impetravit. (a)  
 „ Nec verbo tantum, sed & opere contradixit Ar-  
 „ chiepiscopus, & in exercitio Jurisdictionis suæ actu  
 „ permanxit. Nam Anno 1563. Nicolaus Olahus vi  
 „ juris, & jurisdictionis, ut ait in suis Donationali-  
 „ bus, qua Ordinarius contulit Custodis Officium in  
 „ Alba Regali D. Francisco a Strigonio. Anno 1598.  
 „ Joannes Kutassy electus Strigonensis Archiepiscopus  
 „ eandem Custodis Albae Regalis dignitatem contu-  
 „ lit Mathiae Draskovics. Hanc Strigonensis Archi-  
 „ episcopi Jurisdictionem agnovit Synodus Provincialis  
 „ Tyrnaviae celebrata Anno 1618. qua durante volebat  
 „ Herovicus beneficium aliquod qua Præpositus Alba  
 „ Regalensis alicui suorum cognatorum conferre, sed  
 „ ei se tam Strigonensis Archiepiscopus, quam Synodus  
 „ opposuit, nec permiserunt, ut actis Synodi subscri-  
 „ beret, utpote Censura irretitus. - - Denique ex  
 „ Bulla Innocentii Papæ Anno 1360. Lugduni data  
 „ patet, quod Præpositus Alba Regalensis, & Capi-  
 „ tulum ejus ad Synodum Provincialem venire, vel  
 „ mittere noluerint, neque Archiepiscopum proce-  
 „ sionaliter recipere, aut in Ecclesia sua in pallio ce-  
 „ lebrare admiserint, quare superinde in conspectum  
 „ Apostolicæ Sedis sunt citati, recepturi, quod dicta-  
 „ verit ordo Juris. Cum igitur ex Synodo Pazma-  
     nia-

---

(a) Archiv. Strigonien.

„ niana appareat, Præpositum ad hanc Diœcesanam  
 „ Synodum venire, se obligatum agnovisse, alioquin  
 „ enim absentiæ suæ causas non allegasset, nec pro  
 „ hac vice ipsius absentia excusata fuisset, signum  
 „ est, Papam omnino præmissam controversiam in fa-  
 „ vorem Archiepiscopi contra præfatum Præpositum  
 „ decrevisse, & terminasse.

Hæc speciminis instar depromissæ fatis fuerit.  
 Præter hæc Religiosorum Ordinum Abbatiae, ac Præ-  
 posituræ, tum Parochiæ (a) exemptæ, quæ ad aliorum  
 fere Diæceses spectant, in hunc censum veniunt. Su-  
 pervacaneum effet hoc argumenti genus minutim per-  
 sequi, quando id Bonifacius IX. Privilegium Archi-  
 episcoporum Strigoniensium confirmans edita Bulla sin-  
 gillatim, ac diligentissime fecit. Bullæ hic tonor est.  
 (b) „ Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei ad  
 „ futuram rei memoriam. Etsi quibuslibet personis  
 „ Ecclesiasticis ex injunctæ nobis Apostolicae servitū-  
 „ tis officio assistere defensionis præsidio teneamus,  
 „ ad illorum tamen jurium & Privilegiorum conser-  
 „ vationem præstantius intendere nos convenit, qui  
 „ in partem solitudinis assumti potioris sunt dignita-  
 „ tis titulo insigniti. Dudum siquidem ad nostram no-  
 „ titiam deducto, quod de antiqua, & approbata, &

*Quæ in a-  
liorum Diæ-  
cesibus ad  
Strigonien-  
sis jurisdi-  
ctionem spe-  
dient.*

(a) Hæc Card. Pazman in Appendix I. ad Synodum anni 1629.  
 Pag. 87. fuse persequitur.

(b) Appendix III. ad dictam Synodum Strigonensem pag. 136.

„ hactenus pacifice observata consuetudine, Pech-  
 „ varadiense, & Sexardiense, ac de Bata, & de  
 „ Földvár, nec non de Kolos Monostra, ac Sancti  
 „ Andreæ de juxta Visszegrad, & S. Gerardi de Cha-  
 „ nadino, & Tihonyiense, ac Simigiense nec non  
 „ Szaladiense, & Sancti Jog, ac de Beel, nec non  
 „ de Sámbok, & de Chút, & S. Crucis de Lelesz,  
 „ ac de Jászo, & S. Stephani de Promontorio Var-  
 „ diensi, S. Benedicti, & Premonstratensis Ordinum  
 „ Monasteria: nec non Demesiensis, & Tituliensis,  
 „ ac Orodiensis, & veteris Budensis, ac Cibiniensis  
 „ Collegiarum Ecclesiarum Præposituræ, nec non  
 „ Sanctæ Mariæ Virginis, & Sanctæ Mariæ Magda-  
 „ lenæ de Castro, & Sancti Petri Martyris, nec non  
 „ Sancti Gerardi de Suburbio Oppidi Budensis, alias  
 „ novi Montis Pestiensis, & Pestiensis, ac Vaciensis,  
 „ & de Keszü, ac de Eurs prope Budam, & de Sa-  
 „ sad, ac alba Ecclesia Sanctæ Mariæ prope veterem  
 „ Budam, ac de Komáron, & de Visszegrad, ac de  
 „ Nagy-Patak, & de Apácza-Somlyo, nec non de  
 „ Pápa, ac de Levöld, & de Segesdino, ac de Uy-  
 „ hely, & de Lampert-háza, ac de Szöllös, & de  
 „ Aranyas, ac de Bereg, & de Nemti, Parochiales  
 „ Ecclesiæ, ac Cibiniensis prædictæ, & Braffoviensis  
 „ Ecclesiarum Decanatus, Quinque-Ecclesiensis, Ve-  
 „ sprimensis, Agriensis, Varadiensis, Transylvanien-  
 „ sis, Colocensis, Chanadiensis, & Jaurinensis, Diæ-  
 „ ce-

„ cefium, cum ceteris Parochialibus Ecclesiis, & Ple-  
„ baniis, ac Decanatibus, quorum nomina præsentibus  
„ haberi volumus pro expressis, in dicta Transylva-  
„ niensi, olim Argensi Diæcesi, & alias ubilibet exi-  
„ stentibus prædictis Decanatibus immediate subjectis,  
„ sub omnimoda jurisdictione in spiritualibus Archiepi-  
„ scopi Strigoniensis pro tempore existentis, pleno  
„ Jure fore dinoscatur: & quod Prælati, ac Perso-  
„ næ Monasteriorum, Præpositurarum, Decanatum,  
„ & Ecclesiarum prædictarum, nullum alium præter  
„ Archiepiscopum in eorum Superiorum habere, &  
„ recognoscere, & eidem Archiepiscopo, tamquam im-  
„ mediato Superiori, & nulli alteri obedientiam, &  
„ reverentiam debitas exhibere, ac ad Synodus ejus-  
„ dem Archiepiscopi, quoties illa per ipsum Archi-  
„ episcopum celebrari contingeret, accedere, & pro  
„ procurationibus Legatorum, ac provisionibus Nuncio-  
„ rum Sedis Apostolicæ persolvendis, ac aliis oneri-  
„ bus supportandis, contributionem debitam facere  
„ consueverant: Et quod tam venerabilis Frater no-  
„ ster Joannes, quam prædecessores sui, Archiepiscopi  
„ Strigonienfis, qui fuerunt pro tempore, in pacifica  
„ possessione, vel quasi Juris exercendi superioritatem,  
„ & jurisdictionem hujusmodi in Monasteria, Præpo-  
„ fituras, Decanatus, & Ecclesias prædicta, eorumque  
„ Personas, & Loca, a tanto tempore fuerant, cuius  
„ contrarii memoria non exstabat. Nos confvetudi  
„ nem

„ nem eandem sicut ab olim laudabiliter introductam,  
 „ & ex tum pacifice observatam, confiscebatur, & quæ  
 „ cunque inde secuta, rata habentes, & grata, ea au-  
 „ ctoritate Apostolica, ex certa scientia, per alias  
 „ Litteras nostras confirmavimus, & ipsarum Littera-  
 „ rum nostrarum scripti patrocinio communivimus,  
 „ supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenif-  
 „ sent, in eisdem, prout in ipsis litteris plenius con-  
 „ tinetur. Cum autem, sicut accepimus, ab aliqui-  
 „ bus afferatur, nos aut aliquem praedecessorum no-  
 „ strorum Romanorum Pontificum, ad alicujus, seu  
 „ aliquorum Instantiam, vel preces importunas, aliqua  
 „ ex Monasteriis, Præposituris, Decanatibus, & Ec-  
 „ clesiis, Prælatis, seu personis hujusmodi a' Juris-  
 „ dictione, & potestate Archiepiscopi Strigoniensis  
 „ pro tempore existentis, hujusmodi exemisse, &  
 „ etiam liberasse, vel in posterum eximere, & etiam  
 „ liberare, & contra præmissa, vel aliquod ipsorum  
 „ aliquas litteras Apostolicas concessisse, ac etiam  
 „ emanasse, seu delegasse, Nos eidem Joanni, &  
 „ Successoribus suis Archiscopis hujusmodi, super  
 „ his providere volentes, motu proprio non ad ali-  
 „ cujus super hoc nobis oblatæ petitionis Instantiam,  
 „ sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia,  
 „ omnes, & singulas hujusmodi exemptiones Mona-  
 „ steriorum, Præpositurarum, Decanatum, Ecclesia-  
 „ rum, Prælatorum, & Personarum prædictorum, ac  
 „ con-

„ concessiones quascunque, si quæ a nobis, sive  
 „ prædecessoribus nostris hujusmodi, aut de manda-  
 „ to nostro, vel Prædecessorum nostrorum, in gene-  
 „ re, vel in specie sub quacunque forma, vel ex-  
 „ pressione verborum, etiam proprio nostro mo-  
 „ tu forsan emanaverint, vel etiam emanari con-  
 „ tingeret, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus,  
 „ præsentibus specialis, & expressa mentio foret ha-  
 „ benda, ac etiam litteras quascunque, si quæ super  
 „ ipsis exemptionibus, & concessionibus, ac delegatio-  
 „ nibus confectæ appareant, vel in posterum appare-  
 „ re contingat, motu simili, tenore præsentium revo-  
 „ camus, cassamus, & irritamus, ac nullius esse volu-  
 „ mus roboris, vel momenti, perinde, ac si exemptio-  
 „ num, & liberationum, ac delegationum litteræ hu-  
 „ jusmodi a nobis minime emanassent. Et insuper,  
 „ ut Prælati, & personæ hujusmodi in præmissis erga  
 „ dictum Joannem Archiepiscopum, & successores  
 „ suos hujusmodi, eo fidelius, & devotius se gerere,  
 „ ipseque Joannes Archiepiscopus, & successores hu-  
 „ jusmodi Jurisdictionem eo quietius exercere possint,  
 „ quo majori fuerint libertate muniti, Prælatos, per-  
 „ sonas, Monasteria, Præposituras, Decanatus, & Ec-  
 „ clesiæ, antedicta, cum omnibus Spiritualibus, et  
 „ temporalibus, quæ in præsentiarum obtinent, et  
 „ in futurum dante Domino justis modis poterunt a-  
 „ dipisci, ab omni jurisdictione, dominio, potestate,

„ subjectione , & visitatione Archiepiscoporum , Epi-  
 „ scoporum , & aliorum Ordinariorum Judicium quo-  
 „ rumcunque , præterquam dicti Joannis Archiepiscopi ,  
 „ & successorum suorum Archiepiscoporum Strigo-  
 „ niensium pro tempore existentium , auctoritate Apo-  
 „ stolica , tenore præsentium , motu simili , totaliter  
 „ de novo eximimus , & perpetuo liberamus , ac sub  
 „ eorundem , Joannis Archiepiscopi , & successorum  
 „ protectione subjicimus , ac exemptos , immunes , atque  
 „ liberos , ipsi Joanni Archiepiscopo , & successoribus  
 „ suis hujusmodi , & nulli alteri volumus immediate  
 „ subjacere . Itaque Archiepiscopi , Episcopi , vel Ju-  
 „ dices supradicti , aut alia quævis persona Ecclesia-  
 „ stica , vel mundana , quacunque præfulgeat dignitate ,  
 „ præter Joannem , & successores suos Archiepisco-  
 „ pos hujusmodi , in eos , & bona prædicta . utpote  
 „ prorsus exenta , non possunt , excommunicationis ,  
 „ suspensionis , vel interdicti sententias promulgare ,  
 „ aut alias etiam ratione delicti , vel contractus , aut  
 „ rei de qua ageretur in Judicio , vel extra , ubicun-  
 „ que committatur delictum , vel ineatur contractus ,  
 „ aut res ipsa consistat , jurisdictionem , seu potesta-  
 „ tem aliquam exercere , decernentes , omnes & sin-  
 „ gulos Processus , ac excommunicationem , suspenso-  
 „ nem , & interdicti sententias , quos , & quas , etiam  
 „ forsitan prætextu exemptionum supradictarum , vel  
 „ alias contra hujusmodi nostræ revocationis , & e-

„ *xem-*

„ emtionis tenorem promulgari contigerit, vel fuerint promulgati, seu promulgatae, irritos, & inanes,  
 „ ac etiam ex nunc irritum, & inane, si secus super  
 „ his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel  
 „ ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino  
 „ hominum licet hanc paginam nostrae revocationis,  
 „ cassationis, irritationis, voluntatis, exemptionis, li-  
 „ berationis, susceptionis, & constitutionis infringe-  
 „ re, vel ei ausu temerario contraire. Si quis au-  
 „ tem hoc attentare presumferit, indignationem omni-  
 „ potentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Aposto-  
 „ lorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ  
 „ apud Sanctum Petrum Calendis Maji, Pontificatus  
 „ nostri anno undecimo. „ Joannes Archiepiscopus,  
 cuius Bulla Pontificia meminit, de Kanyfa fuit, ma-  
 gnæ apud Sigismundum Regem gratiæ, & admissionis.  
 Idem Privilegium a Pio II. anno MCCCCCLXIV.  
 confirmarum est, (a) cum Dionyfius de Zéch, Ti-  
 tuli SS. Cyriaci in Thermis S. R. E. Presbyter  
 Cardinalis Strigoniensem Archiepiscopatum tene-  
 ret. Qua in confirmatione illa Pii II. quam qui-  
 dem consuetudinem felicis recordationis Bonifacius Pa-  
 pa IX. prædecessor noster motu proprio & ex certa  
 scientia per suas certi tenoris litteras confirmasse dici-  
 tur, & etiam approbasse; nonnullis videntur persuade-

---

(a) Adjecta tamen hic est Abbatia de Hatvan, cuius causa Episcopo Agriensi ab Ladislao postumo negotium apud Papam consecutum est.

re, quasi Bulla prior aut sublesta fuerit, alioquin magis perspicue de tam insigni facto Pius Papa mentem suam depromturus erat, aut certe intermedio inter Bonifacium IX. & Pium II. tempore, etsi incertum a quo, revocata. Sed ego Pazmani Archiepiscopi Strigoniensis in rebus Ecclesiasticis versatissimi Judicio, & auctoritati plus omnino, quam istorum suspicionibus deferendum puto. (a)

*Lis inter  
Strigonien-  
ses & Cra-  
covientes  
Præfules  
exorta ob  
limites Dia-  
cesanos.*

Hæc fere ad limites Diaæcesanos, quibus Jurisdictio Strigoniensium Archiepiscorum definita fuit, universe attinent, tametsi horum causa crebro illis lites cum vicinis Præfulibus intercesserint, quarum illa in primis memoratu digna, quæ Seculo XIV. inter Thomam, & Boleslaum Strigonienses Archiepiscopos, tum Joannem, & Nankerum Episcopos Cracovienses oborta est. Occasionem *Podolin*, *Gniazda*, *Lubovna*, & aliæ quædam villæ in Scepusio sitæ præbuerant, quæ ad alpes nivium & montem Timpnicz, alias Semene dictum jacent, & amnibus Dunaveczo, ac Poprado alluuntur. Has Cracovienses Antistites suæ jurisdictioni assertum ibant, Thomas contra, sub quo primum mota, tum Boleslaus, sub quo terminata lis est, usum pacificum a tempore, cuius contrarii memoria non exstaret, obtendérunt. Itaque in Joan-

nis

(a) Huc referri etiam possunt Hospitalarii, qui in certis rebus Archiepiscopo Strigoniensi subjecti erant, sed hos, quia illorum nullum in Hungaria vestigium amplius exstat, consilio præterimus.

nis Papæ XXII. arbitrium utrinque condictum est, qui causæ Judicium Prothasio Præposito de Domo Dei ordinis Præmonstratensium, Vratislavienſis Diæcēſis delegarat. Hic ubi partibus admonitis commissam ſibi Provinciam diligenter curat, Beleslaus Archiepiſcopus Strigonienſis, ne quid moræ interponeretur, Procuratores, qui ſuo nomine æquitatem cauſæ pro Strigonienſi Eccleſia tuerentur, litterisque in hæc verba exaratis conſtituit. (a) „ Nos Boleslaus Dei „ gratia Archiepiſcopus Strigonienſis locique ejusdem „ Comes perpetuus, notum fieri volumus universis „ quibus expedit harum testimonio litterarum. Quod „ nos de affensu honorabilium Virorum Fratrum no- „ strorum Capituli Eccleſiae Strigonienſis ejusdem, fa- „ cimus, conſtituimus, & ordinamus discretos Viros „ Dominos Zibothaonem Plebanum de Igilmes, nec „ non Petrum Cantorem Eccleſiae B. Petri Budensis, „ abſentes tamquam præſentes, & quemlibet eorum „ in ſolidum ita quod non fit melior conditio occu- „ pantis, ſed quod unus eorum incepere, alter pro- „ ſequi valeat, & finire, generales noſtros Procurato- „ res, Actores, & Nuncios ſpeciales in omnibus no- „ ſtris, & Eccleſiae noſtræ cauſis, & litibus quibus- „ cunque, quas habemus, & habituri ſumus, cum „ quibuscunque personis Eccleſiaſticis, & Secularibus, „ Collegiis, ſeu Universitate coram quocunque Judi-

„ ce ordinario delegato , arbitrio Ecclesiastico vel Se-  
 „ culari dato , vel dando tam in Civilibus , quam in  
 „ Criminalibus , quam ceteris quibuscunque , & spe-  
 „ cialiter in causa , quam habemus cum Venerabili  
 „ Patre Domino Episcopo Cracoviensi super jurisdi-  
 „ ctione spirituali in Podolin , Gniazda , & Lubovna ,  
 „ ac quibusdam aliis villis infra nostram Strigonensem  
 „ Diæcesim constitutis , quæ omnia ad nos & Eccle-  
 „ siam nostram Strigonensem , tam de jure , quam de  
 „ antiqua , & approbata , & hactenus a tempore , cu-  
 „ jus contrarii memoria non existit , pacifice observa-  
 „ ta consuetudine noscuntur pertinere , dantes , & con-  
 „ cedentes eisdem Procuratoribus nostris , & cuilibet  
 „ eorum in solidum plenam , & omnimodam potesta-  
 „ tem , nostro , nostræque Ecclesiæ nomine agendi ,  
 „ defendendi , Libellum , & quascunq[ue] petitiones  
 „ dandi , & recipiendi , litem contestandi , juramen-  
 „ tum de calunnia , & veritate dicendi , & cuiusli-  
 „ bet alterius generis Juramentum in causam nostram  
 „ præstandi , & alteri parti , si opus fuerit , deferendi ,  
 „ terminos , & dilationes petendi , exceptiones cujus-  
 „ libet generis proponendi , testes , & Instrumenta  
 „ producendi , testesque alterius partis jurare faciendi ,  
 „ Judices - - & Notarios eligendi , seu etiam recusandi  
 „ sententias interlocutorias , seu definitivas audiendi ,  
 „ appellandi , Appellationem prosequendi , beneficium  
 „ restitutionis in integrum & absolutionis , quoties  
 „ , opus

„ opus fuerit , implorandi , crimina , & defectus op-  
„ ponendi , alium , seu alias Procuratores loco sui  
„ substituendi , & etiam revocandi , quoties eis , vel  
„ eorum alteri videbitur expedire , ac ipsas causas  
„ reassumendi & procurandi per se , & alias , pro-  
„ ut eis , vel eorum alteri melius fuerit visum , &  
„ generaliter omnia & singula faciendi , tam in Judi-  
„ cito , quam extra , quae nos ipse facere possemus &  
„ quae verus possit , & consuevit facere Procurator ,  
„ etiam si mandatum exigeretur speciale , firmum , &  
„ gratum habituri , quidquid per dictos Procuratores ,  
„ vel alterum ipsorum , seu substitutos ab eis , vel  
„ eorum altero factum , & procuratum fuerit in præ-  
„ missis , seu aliquo præmissorum ; volentes quoque  
„ Dominos nostros Procuratores , vel substitutos ab  
„ eis , vel altero ipsorum satisdandi onere levari ,  
„ permittimus pro ipsis judicio sisti , & solvi judica-  
„ tum , nomine , & vice omnium , quorum interest ,  
„ vel intererit , in omnibus suis clausulis , sub omnium  
„ rerum nostrarum , & Ecclesiæ nostræ prædictæ obli-  
„ gatione , discretum Virum D. Nicolaum Archidiaco-  
„ num de Zolio , priorem nostrum Procuratorem prop-  
„ ter debilitatem suam per omnia revocantes . In cu-  
„ jus rei Testimonium præsentibus nostrum , & dictæ  
„ Ecclesiæ nostræ Strigonensis sigilla duximus ap-  
„ ponenda . Sexto Idus Septembris , anno Domini  
„ 1325. præsentibus honorabilibus Viris , Ludimiro

„ Ec-

„ Ecclesiæ B. Thomæ Martyris , Petro Beati Geor-  
 „ gii , Nicolao B. Martini de Posonio Ecclesiarum  
 „ Præpositis , & aliis testibus ad hoc rogatis , & specia-  
 „ liter convocatis . „ In eundem finem , cum anno  
 sequente lis dirimenda erat , Joannes Præpositus Sce-  
 pusiensis suo nomine Procuratores Mainhardum de vil-  
 la Durandi , Arnoldum de Boldiznar , Ruskinum de  
 villa Isaac , & Nicolaum de villa Kansz Plebanos , qui  
 litis contestationi interessent , litteris Procuratoriis  
 designavit . Sed dum causa , incertum quamobrem , in  
 biennium extrahitur , Boleslaus Archiepiscopus extre-  
 mum diem obiit , quo defuncto cum Sedes Strigonien-  
 sis diutule vacaret , & Chanadinus , qui Boleslao suc-  
 cessor datus est , gravioribus curis in principio distra-  
 heretur , quam ut Procuratores ad litis diremptionem  
 posset mittere , nec Præpositus Scepusiensis id sua au-  
 toritate facere auderet , Judex Pontificius , cuius su-  
 pra meminimus , sententiam pro Joanne , Nankeri in  
 Cracoviensi Ecclesia successore , in hæc verba pronun-  
 ciavit . (a) „ Nos visis actuatis , & auditis partium

*pro Craco-  
 viensi Epi-  
 scopo pro-  
 nunciata.* „ juribus , & rationibus exhibitis , & propositis , - - -  
 „ visis etiam Testium depositionibus , & aliis causæ  
 „ meritis , diligenter , & æqualiter discussis , delibera-  
 „ tione insuper nobiscum super præmissis habita dili-  
 „ genti pro parte Domini Joannis Episcopi Cracovien-  
 sis Procuratore præsente , & parte Domini Archi-  
 „ epi-

---

(a) Ex MSS. analectis CAROLI WAGNER.

„ episcopi Strigonensis, & Præpositi Zipfensis con-  
„ tumaciter se absentante, pro tribunali sedentes, ha-  
„ bito consilio Jurisperitorum, Christi nomine invo-  
„ cato dictum Joannem Episcopum, & Ecclesiam  
„ Cracoviensem ad possessionem, vel quasi jurisdicçio-  
„ nis spiritualis, quæ consistit in Ecclesiarum funda-  
„ tione, conservatione, personarum institutione, &  
„ destitutione, visitatione, exercitio censuræ Eccle-  
„ siasticæ, decimatione, & alio quolibet exercitio,  
„ & quæ sub nomine jurisdictionis spiritualis de Jure  
„ vel consuetudine possunt comprehendî, in Podolin,  
„ Gniazda, Lubovna, & aliis villis secundum antiquam  
„ limitationem camporum, silvarum, & montium  
„ districtus Podolinensis, & territorii Sandecensis,  
„ infra Cracoviensem Diœcesim constitutis, prout a  
„ terminis de Podolin, & villæ Toporecz, per sum-  
„ mitates montium sursum progrediendo ad alpes ni-  
„ vium aquæ sive rivuli versus Poloniam defluentes  
„ in Dunaveczi, & in Poprad, & ab alia parte inci-  
„ piendo a Poprad de metis Rusbach, prout rivuli  
„ a summitate montis, qui vulgariter Timpnicz dici-  
„ tur, versus Poloniam decurrunt in Poprad, eadem  
„ loca definitive pronunciamus, & pronunciando des-  
„ nimus fore restituenda, & ipsum Episcopum, & Ec-  
„ clesiam Cracoviensem restituimus, & reducimus in  
„ possessionem, vel quasi iurium prædictorum, in his  
„ scriptis Archiepiscopo Strigonensi, & Præposito

„ Zipsensi, ac Ecclesiis eorundem super eisdem juri-  
 „ bus perpetuum silentium imponentes, ipsorumque  
 „ Archiepiscopi Strigoniensis, & Præpositi Zipsensis  
 „ Ecclesiæ - ad omnia singula percepta, & quæ  
 „ percipi poterant, secundum petitionem, & débitam  
 „ æstimationem partis adversæ, ad duo millia, & du-  
 „ centas marcas, pro quolibet anno centum marcas  
 „ computando, ponderis, & monetæ Cracoviensis  
 „ grossorum, dicto Domino Joanni Episcopo, & Ec-  
 „ clesiæ Cracoviensi, condemnamus, & etiam ad omnes  
 „ litis expensas, prædicto Domino Episcopo, & Ec-  
 „ clesiæ Cracoviensi, quæ facta moderatione, & ta-  
 „ xatione se extendunt ad centum septuaginta mar-  
 „ cas grossorum, condemnamus. Per hanc autem no-  
 „ stram sententiam monasterio Vallis Sancti Antonii  
 „ in Lechnicz ordinis Cartusiensium Fratribus ibidem  
 „ degentibus in suis juribus, liberatibus, exemptioni-  
 „ bus, privilegiis, dotationibus, & dominationibus  
 „ decimarum veterum, & novalium quarumcunque  
 „ nolumus, nec intendimus in aliquo derogare, nec  
 „ vel in toto, vel in parte aliquale præjudicium ge-  
 „ nerare. Datum, & latum anno Domini 1332. in  
 „ Tessin pridie Idus Februarii, hora Vesperarum apud  
 „ FF. Prædicatores in Refectorio eorundem. ,

Ita Sententia habebat. Nolo, quam æqua fuerit Causa iterum Pontificis arbitrio deferatur. explorare: illud mirum videri possit, cum hac parte Regni limites iidem fuerint cum diœcesanis, causæ tam gravis cognitionem Pontifici delatam, & ab hoc homini externo, & rerum nostrarum ignaro commissam fuisse, de qua, si quid intelligo, utriusque Regni primores Viri ex profano ordine ab Regibus in hunc finem selecti melius, & gravius cognituri erant, quorum iudicio, & mutuo consensu, si Regni limites dirimentur, diœcesani suapte discreti fuissent, quibus diremittis par utrobique animarum & Ecclesiæ ratio, Regni non item futura erat. Certe exstant Belæ IV. litteræ, quæ eosdem Regni limites, qui in controversiam hoc loco vocati sunt, designare videantur. Illarum hic tenor est. (a) „ Bela Dei Gratia Hungariæ &c. Rex - - - Ad universorum notitiam - - te- „ nore præsentium volumus pervenire: Quod cum Co- „ mes Jordanus, filius Arnoldi, Comes de Scepus - - „ nobis gratum exhibuisset servitium, - - in Legatio- „ nibus nostris in Ruthenia, & Polonia deferendis - - „ nos - - eidem quandam silvam nostram regalem in „ Districtu Scepusensi ab utraque parte fluvii Poprad „ inter indagines Regni nostri, & confinia Poloniæ, „ & inter Montes Simina, & Alpes Vatra existen- „ tes - - dedimus &c. Datum per manus Magistri „ Smaragdi Albensis Ecclesiæ Præpositi - - Vice

„ Cancellarii - - anno Domini MCCLVI. „ Idem Mons hic *Simina* cum eo, quem instrumentum supra allatum *Semene* dicit, ut ex Tatra, qui Alpibus nivium respondet, conjecturam capio, videtur esse, adeoque villæ, de quarum jurisdictione spirituali lis inter Strigoniensem, & Cracoviensem Antistites excitata fuit, ipsos Hungariae limites constituisse. (a)

*Causa iterum Pontificis arbitrio deferatur.* Quod facile conjicias ex lite quam anno sequente a pronunciata pro Cracoviensi Episcopo sententia Praepositus Scepusiensis, credo admonitu Strigonensis Archiepiscopi, Romam appellans suscitavit. Joannes Pontifex, cui jam semel arbitrium causæ oblatum erat, rursus Abbatii de Buda, & Sancti Vincentii, tum Praeposito Sanctæ Crucis, Vratislavensis Dioecesis mandata dederat, ut causæ cognitionem resumerent, ac, si prior sententia juris vitio laboraret, collatis testimoniis depositionibus pro ea parte, quæ prærogativam justitiae haberet, citra ambages pronunciarent. Mandata id modi erant. (b) „ Joannes Episcopus Servus „ Servorum Dei, dilectis Filiis de Buda Vratislavien- „ sis Dioecesis, Sancti Vincentii prope muros Vratis-

„ la-

(a) Exstant apud Clas. Carolum WAGNER Analect. Scepusii parte I. pag. 195. Litteræ Donationis, qua Sancta Cunegundis relata Boleslai Ducis Cracoviensis, & Sandomirientis, quibus Henrico Sculteto donat silvam inter villas *Podolin*, & *Gnesnam*. Datum est in Sandech Anno Domini 1288. Ipsa hæc silva est, quam Bela IV. Comiti Jordano Anno 1256. donat. Itaque hic terra tractus Cunegundi ab cognatis Hungariae Regibus videtur ad usum fuisse concessus, quæ ratio donationem irritam omnino reddit. Atque id forte sit, in quo Cracovienses cause sua momentum collocabant.

(b) P. Caro: WAGNER Analect. Scepusii P. I. pag. 316.

„ Iavienes Monasteriorum Abbatibus, ac Præposito Ec-  
 „ clesiæ S. Crucis Vratislaviensis salutem --- Sua No-  
 „ bis dilecti filii Præpositus, & Capitulum Ecclesiæ  
 „ Scepusiensis petitione monstrarunt, quod licet exer-  
 „ citum spiritualis jurisdictionis in consistentes in  
 „ Podolin, Gnezna, & Lublov villis, & aliis locis,  
 „ ad eos spectantibus, dictæ Dioecesis, ad ipsos Præ-  
 „ positum, & Capitulum duntaxat, de antiqua & ap-  
 „ probata, & hactenus pacifice observata consuetudi-  
 „ ne pertinere noscatur, & tam ipsi forent, quam  
 „ prædecessores eorum fuissent in pacifica possessione,  
 „ vel quasi juris exercendi, jurisdictionem hujusmodi  
 „ in consistentes prædictos a tempore, cuius contra-  
 „ rii memoria non existat, tamen Venerabilis Frater  
 „ noster Episcopus Cracoviensis afferens, quod Ve-  
 „ nerabilis Frater noster Archiepiscopus Strigonien-  
 „ sis eum jurisdictione spirituali hujusmodi, quam idem  
 „ Episcopus in villis, ac locis prædictis se de simili  
 „ consuetudine obtinere dicebat, per violentiam spo-  
 „ liarat, contra dictum Archiepiscopum, super iis  
 „ nostras ad Præpositum Monasterii de Domo Dei  
 „ per Præpositum soliti gubernari, Vratislaviensis Dio-  
 „ cesis, in communi forma litteras impetravit, di-  
 „ cturnque Archiepiscopum fecit super præmissis co-  
 „ ram eodem Præposito ipsius Monasterii prætextu  
 „ litterarum hujusmodi ad judicium evocari. Cum  
 „ præfatus Præpositus ejusdem Monasterii, postquam

„ aliquamdiu inter dictas partes coram eo in causa  
 „ hujusmodi processum fuerat, ad Instantiam dicti E-  
 „ piscopi minus veraciter afferentis, quod ipsi, Præ-  
 „ positus, & Capitulum jurisdictionem hujusmodi in  
 „ eisdem villis, & locis indebite exercebant, eosdem  
 „ Præpositum, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ præ-  
 „ textu litterarum hujusmodi defacto monuisset, &  
 „ mandasset eisdem, ut Jurisdictionem ipsam præfato  
 „ Episcopo restituere, ac de certa quantitate pecu-  
 „ niæ pro expensis per dictum Episcopum coram eo  
 „ in causa hujusmodi factis satisfacere procurarent,  
 „ alioquin in eos excommunicationis, suspensionis, &  
 „ interdicti sententias proferebat, ex parte dictorum  
 „ Præpositi, & Capituli dictæ Ecclesiæ fuit a dicto  
 „ Præposito ejusdem Monasterii excipiendo proposi-  
 „ tum, quod cum dictæ litteræ contra præfatum Ar-  
 „ chiepiscopum duntaxat impetratae fuissent, & de  
 „ dictis Præposito, & Capitulo Scepusiensi nulla in  
 „ eis mentio haberetur, prout ex earum tenore li-  
 „ quido apparebat, dictus Præpositus præfati Mona-  
 „ sterii prætextu earum, quæ se ad ipsos Præpositum,  
 „ & Capitulum Scepusiense minime extendebat, ad-  
 „ monitionem, & mandatum hujusmodi de jure ne-  
 „ quiverat processisse, ipsique Præpositus & Capitu-  
 „ lum Scepusiense hujusmodi monitioni & mandato  
 „ parere minime tenebantur, & ad id de jure com-  
 „ pelli non poterant, nec debebant. Et quia præfa-  
 „ tus

„tus Præpositus dicti Monasterii eos super hoc audi-  
 „re contra justitiam denegavit, pro parte ipsorum  
 „Præpositi, & Capituli sententium ex hoc indebite  
 „se aggravari, fuit ad Sedem Apostolicam appella-  
 „tum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica  
 „scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint  
 „evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod ju-  
 „stum fuerit, appellatione remota, decernatis facien-  
 „tes, quod decreveritis, autoritate nostra firmiter  
 „observari. Testes autem qui fuerint vocati, si se  
 „gratia, odio, vel timore subtraxerint, per Censuram  
 „Ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati  
 „testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exe-  
 „quendis potuerint interesse, duo vestrum ea nihilomi-  
 „nus exequantur. Datum Avinione III. Non. Maji,  
 „Pontificatus nostri anno XVII. „ Quem finem causa  
 semel, iterumque in examen vocata acceperit, nus-  
 piam reperio, tametsi verisimillimum sit, sententiam  
 pro Strigonienfi Archiepiscopo latam fuisse, quod ab-  
 hinc villas illas, ob quas lis exorta est, illius juris-  
 dictioni obnoxias fuisse, exploratum sit. (a)

Haud multo post, quam lis inter Chanadiensem  
 Metropolitam Strigoniensem, & Joannem Cracovien-

*Prima lis  
 cum Agri-  
 ensi Episco-  
 po Decima-  
 rum causa.*

(a) Liquet id ex appendice I. ad synodum Strigoniensem sub cit.  
 pag. 96. ubi Parochiæ in Districtu Lublovienſi numerantur, *Podolin*,  
*Ruzbach*, *Gniard*, antiquum, & novum *Lublo*; quæ ad Præposituram  
 Scepusiensem spectant.

sem Episcopum direpta esset, nova eidem Chanadino controversia cum Nicolao Agrienſi Episcopo Decimaruſ causa in districtu de *Tharczafo* & *Polouchan* intercessit, quas cum nonnunquam Strigonienſi, alias etiam Scepusiensi Ecclesiis incolae illorum penderent, Agrienſis contra ſui juris eas eſſe, productis in medium litterarum documentis oſtenderet, Chanadinus cognita rei æquitate, ne quid protracta lite detrimenti Eccleſia pateretur, cum Capituli ſui consenſu libens, volensque jus priftinum Agrienſi Episcopo afferuit. Exſtant ejus rei teſtes litteræ Nicolai Epifcopi in hæc verba conceptæ. (a) „ Nos Nicolaus Dei,  
 „ & Apoſtolica Gratia Epifcopus Agrienſis significa-  
 „ mus quibus expedit tenore præſentium universis,  
 „ quod quia Reverendus in Christo Pater, Dominus  
 „ Chanadinus prædicta Gratia Sanctæ Strigonienſis  
 „ Eccleſiae Archiepifcopus, ejusdemque loci Comes  
 „ perpetuus, Metropolitanus noſter viſis, & ſalubri-  
 „ ter conſideratis juribus Eccleſiae noſtræ Agrienſis,  
 „ & ductus conſcientia, districtus de *Thariczafo*, &  
 „ *Polouchan* noſtræ Diocēſis, ac universas Eccleſias &  
 „ earum Rectores, & Nobiles diſtriectuum eorundem,  
 „ qui quandoque Eccleſiae Strigonienſis, & quandoque  
 „ Scepusiensiſ per iuſtam inductionem a longinquis  
 „ temporibus ſe ſubjicere conabantur, eidem Eccleſiae  
 „ noſtræ mediantibus ſuis, & Capituli ſui Strigonien-  
 „ ſis

---

(a) Ex Mſſ. Analect. Caroli WAGNER.

„ sis litteris, nolens mittere falcem suam in messem  
„ alienam, Deum, & ejus justitiam præ oculis con-  
„ templando, dereliquit, & remisit, sententiasque Judi-  
„ cum, ut dicebatur, delegatorum, per quas iidem  
„ Rectores, seu Sacerdotes Ecclesiarum se defendere  
„ intendebant, & nos defacto, non de jure, infamare  
„ nitebantur, frivolas esse, & non recto tramite  
„ processisse reputavit, prout etiam reputando Nobis-  
„ les quoque prænotati & Rectores Ecclesiarum per  
„ ipsius Domini Archiepiscopi inductionem, & infor-  
„ mationem se recognoscentes ad obedientiam Eccle-  
„ siæ nostræ, & nostram, qui hactenus se contumaciter  
„ opponebant, devenerunt, & ipsi Ecclesiæ nostræ,  
„ & nobis debitæ devotionis reverentiam, & subje-  
„ ctionem omnimodam, ut debebatur, exhibere, &  
„ observare perpetuo assumerunt, omnes quoque lit-  
„ teras, & processus dictorum Judicium, sub quacun-  
„ que forma verborum, & aliorum quorumcunque in  
„ præjudicium Ecclesiæ nostræ obtentos, & obtentas,  
„ restituerunt, & si quas forsitan reservassent, annul-  
„ larunt, cassarunt, & viribus ubique carituras red-  
„ diderunt, renunciantes omni juri, liti, & actioni.  
„ Idcirco nos ad petitionem, ordinationem, inducção-  
„ nem, & consilium ejusdem Domini Archiepiscopi  
„ pro omnimoda discordia removenda, & perpetua  
„ pace servanda de consensu Fratrum nostrorum Ca-  
„ pituli scilicet Ecclesiæ nostræ Agriensis sæpefatæ,

„ medietatem omnium Decimarum in ipsis districti-  
 „ bus provenire debentum Ecclesiis districtuum eo-  
 „ rundem, & earum Ecclesiarum Rectoribus, qui sunt,  
 „ & fuerint pro tempore successivo, reliquimus, &  
 „ perpetuo contulimus percipiendam, possidendam, &  
 „ habendam, aliam dimidietatem Decimarum earun-  
 „ dem ipsi Ecclesiae nostrae, & nobis nostrisque suc-  
 „ cessoribus reservantes, ipsos quoque Rectores Ec-  
 „ clesiarum non obstantibus eorum contumaciis præ-  
 „ notatis, in gremium paternae dilectionis colligentes,  
 „ in eorum Ecclesiis conservabimus juxta modum præ-  
 „ notatum. Quæ omnia prædicta universaliter, &  
 „ singillatim, nostro & dictæ Ecclesiae nostrae nomine,  
 „ fide nostra mediante, perpetuo promittimus obser-  
 „ vare, & prædictos Nobiles, ac eorum posteritates  
 „ in prædictis ordinationibus immutabiliter nos & no-  
 „ stri successores confovere. In quorum testimonium  
 „ præsentes Nostro, & dicti Capituli nostri majori Si-  
 „ gillis impendentibus fecimus communiri. Datum fe-  
 „ ria 4ta proxima ante festum Beati Joannis Baptiste  
 „ anno Domini 1336.

*Altera ti-  
tulo Juris-  
dictionis.*

In hunc modum controversia mutuo partium con-  
 sensu, necrupto charitatis vinculo ad finem adducta  
 est. Non eo eventu, & majori animorum contentio-  
 ne, jurisque strepitu eodem seculo Joanni de Kanyfa  
 Archiepiscopo Strigonensi cum Stephano Chiko A-  
 grien-

grienium Præfule lis ob Præposituram Lelesziensem fuit, quod hanc Stephanus ad suam Dioceſim pertine-re, Strigoniensis contra itidem ſuæ jurisdictioni ſubjectam, Præpoſitus denique Leleszienſis unicum ſibi Romanum Pontificem Dominum eſſe contende-rent. In qua cauſa cum Strigoniensis Archiepiscopus vetuſtissimæ confuetudini, & Bullæ Bonifacii IX. præci-pue inniteretur, in qua Præpoſitūræ ſanctæ Crucis de Lelesz (a) diſerta mentio fit, arbitrium lectis utrin-

## E 2 que

(a) Præpoſitūram Sanctæ Crucis de Lelesz Ordinis Præmonstratenſis a Boleslao Vaciensi Episcopo fundatam eſſe edoc-tus ſum a præfeſto Tabulario Leleſienſi, etiā in anno errorem cubare non ſit dubium, cui illuſtrando hic locus non eſt. Præpoſitorum autem ſeriem hanc ex variis Instrumentis collegi.

- |  |  |
|--|--|
| 1250. Joannes.<br>1272. Valerius.<br>1290. Benedictus.<br>1305. Jacobus.<br>1327. Blasius.<br>1334. Paulus.<br>1335. Blasius Elisabethæ Reginæ Capellan.<br>1348. Petrus Ludovici Regis Capellan.<br>1351. Blasius.<br>1355. Elias, & eodem anno Petrus.<br>1366. Joannes.<br>1379. Dominicus Episcopus Donen-sis, Gubernator Ordinis per-petuum, iuſſu Urbani VI. Capitulum Ordinis in Hun-garia celebrat.<br>1403. Stephanus Administrator<br>1411. Nicolaus.<br>1442. Stanislaus.<br>1451. Blasius Commissarius Pontifi-cis in Polonia. | 1479. Georgius Præpoſitus Sancti Stephani de Varadino, Gu-bernator de Leleſz.<br>1485. Nicolaus Orzfy.<br>1486. Georgius Præpoſitus Varadien-fis, & Administrator Le-leſz.<br>1493. Sigismundus de Venner, The-faurarius Regius.<br>1500. Benedictus Kornis Episcopus Drivaszénis, Suffraganeus Episcopi Varadiensis.<br>1518. Andreas ex Bozok, Leleſzium festo ſanctæ Anna-traductus<br>1521. Elias Episcopus Hypponenis Vice Canc. Præpoſitus Csor-nentis, electus Leleſienfis.<br>1526. Joannes Vice-Cancellarius, & Commissarius Regius.<br>1547. Georgius Body, electus Ch-a-nadiensis Episcopus, Alta-riſta |
|--|--|

que Procuratoribus committi placuit. Qua forma judicii res acta fuerit, publicum Instrumentum propterea confectum in hæc verba memoriae prodidit (b) „ In „ Christi nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem „ 1399. Indictione VII. die Sabbathi, XIII. mensis „ Decembris hora tertiarum, vel circa, Pontificatus „ vero Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Bonifacii divina providentia Papæ IX. anno undecimo, in civitate Agriensi in curia Episcopali ad „ la-

rista sancti Nicolai in Opido Beregszász.	1674. Andreas Mokcsay, Episcopus Transylvanianus.
1559. Augustinus Botaffich Dalmata.	1682. Augustinus Benkovich, Ordinis Sancti Pauli I. Eremitæ, Episcopus Varadiensis, qui Anno 1700. pulso Turca Præposituram jure postliminii Præmonstratenibus resignavit.
Sequuntur Ecclesiastici.	Sequuntur Ordinis Præmonstratenensis.
1569. Balthasar Melegi, Canonicus Strigonienensis.	1697. Josephus, dominii solum Király Helmech Administrator.
1582. Stephanus Matthify, Canonicus Jaurinensis, electus Chanadiensis Episcopus.	1700. Jacobus Administrator de Lesz.
1587. Stephanus Banay.	1702. Gilbertus Administrator.
1588. Paulus Szegedy electus Chanadiensis, & per Hungariam Commissarius Apostolicus Generalis.	1710. Carolus Franciscus Tahy, Præpositus Tabulae Regiae Prelatus.
1598. Faustus Verancius, qui 1604. sponte resignavit.	1730. Mathias Brauner Præpositus.
1605. Ferdinandus Lang a Langenfeld.	1733. Carolus Franciscus Comes a Kunitz, & Vecsenburg Præpositus.
1609. Ladislaus Habárdy, Canonicus Agriensis.	1768. Theophilus Edlingen Præpositus.
1520. Stephanus Telekesyi.	(b) Ex Originali.
1640. Stephanus Simandy, Episcopus Transylvanianus.	
1654. Stephanus Somogyi, Prælatus Tabulae.	
1667. Stephanus Vaskovics, qui 1674. resignavit.	

„ latus Ecclesiæ Episcopalis Agriensis situata, in præ-  
 „ fentia mei Notarii publici, & Testium infrascripto-  
 „ rum ad hoc specialiter vocatorum, & rogatorum  
 „ circumspectus vir Dominus Paulus Simonis de Mi-  
 „ halyfalva Strigonienſis Diœcesis Canonicus, Procu-  
 „ rator, & Procuratorio nomine Reverendissimi in  
 „ Christo Patris, & Demini Domini Joannis, Dei,  
 „ & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopi Strigo-  
 „ nienſis, Primatisque, & dictæ Sedis Apostolicæ Le-  
 „ gati nati &c. de mandato suo fidem faciens per  
 „ quoddam instrumentum publicum breviatum per pro-  
 „ vidum Virum Magistrum Martinum Joannis de  
 „ Turnovya civem Civitatis novæ Strigonienſis de  
 „ anno Domini præscripto per eundem ibidem pro-  
 „ ductum, & exhibitum, personaliter constitutus ante  
 „ cameram, in qua protunc esse dicebatur Reveren-  
 „ dus Pater Dominus Stephanus assertus Episcopus  
 „ Agriensis animo, & intentione ut dixit, intimandi,  
 „ insinuandi, & notificandi ipſi Reverendo Patri Domi-  
 „ no Stephano Episcopo Agriensi infra scriptam ap-  
 „ pellationem, ibidem voce clara, & alta requisivit,  
 „ & petiit, se ad dictum Reverendum Patrem Do-  
 „ minum Stephanum assertum Episcopum Agriensem  
 „ introduci, ad quam dicti Domini Pauli Procuratoris  
 „ petitionem, & requisitionem ibidem in continentि  
 „ comparuerunt, & responderunt venerabiles, & cir-  
 „ cumspecti Viri Domini, Joannes Archidiaconus Ze-

„ miliensis, Canonicus, & Vicarius Generalis prædi-  
 „ ctae Ecclesiæ Agriensis, & Joannes de Syrinio Ca-  
 „ nonicus Agriensis in hac causa, ut dicitur, procura-  
 „ tor per prædictum Reverendum Patrem Domi-  
 „ num Stephanum Ecclesiæ Agriensis prædictæ affer-  
 „ tum Episcopum specialiter constitutus, dicentes ei-  
 „ dem Domino Paulo Procuratori dictum Reverendum  
 „ Patrem Dominum Stephanum dictæ Ecclesiæ A-  
 „ griensis assertum Episcopum esse in camera prædi-  
 „ cta, jacentem in lecto ægritudinis, & quod non  
 „ poterant ad eum, ne inquietaretur, accedere. Quo  
 „ audito iterum, & de novo interogavit dictus Do-  
 „ minus Paulus Procurator nomine quo supra prædi-  
 „ ctos Dominos, si esset ibi aliquis legitimus, & spe-  
 „ cialis Reverendi Patris Domini Stephani asserti E-  
 „ piscopi Agriensis Procurator, responderunt, quod  
 „ sic, scilicet Dominus Joannes de Syrinio prædictus,  
 „ qui Dominus Joannes dixit, se in causa prædicta  
 „ esse ipsius Domini Stephani asserti Episcopi Agrien-  
 „ sis Domini sui Procuratorem specialiter per eum  
 „ constitutum, a quo petiit dictus Dominus Paulus  
 „ Procurator nomine procuratorio quo supra, ipsius Do-  
 „ mini Joannis de Syrinio mandatum procurementis ex-  
 „ hiberi, qui Dominus Joannes noluit ipsum procura-  
 „ torium exhibere, dicens, quod non teneretur ex-  
 „ hibere, nec ostendere. Quo audito dictus Domi-  
 „ nus Paulus - - - Procurator dicti Reverendissimi

„ Patris & Domini Joannis Archiepiscopi Strigonien-  
„ sis , & pro eo , ac ejus nomine dixit , ut intimaret ,  
„ insinuaret , & notificaret eidem Reverendo Patri  
„ Domino Stephano afferto Episcopo Agriensi quam-  
„ dam appellationem alias die XX. Mensis Novembris  
„ de anno præscripto per ipsum Reverendissimum Pa-  
„ trem Joannem Archiepiscopum Strigonensem in-  
„ terpositam contra dictum Reverendum Patrem Do-  
„ minum Stephanum assertum Episcopum Agriensem ,  
„ ac etiam contra religiosum Virum Fratrem Domini  
„ cum , Præpositum de Lelesz ordinis Præmonstraten-  
„ sis sibi , & Ecclesiæ suæ immediate subjecto & aliis  
„ omnibus , quorum interest , vel interesse posset quo-  
„ modolibet in futurum , de , & super nonnullis in  
„ ipsa appellatione expressis , & tunc dictus Dominus  
„ Paulus Procurator procuratorio nomine , quo supra ,  
„ ibidem præsentavit , & dedit in manus mei Notarii  
„ publici Instrumentum unum publicum appellationis  
„ ejusdem similiter cum dicto suo instrumento Procu-  
„ ratorio , rogans me , ut ipsa instrumenta legere , &  
„ publicare deberem prædictis Domino Vicario , &  
„ Domino Joanni Procuratori , ex quo non poterat  
„ habere accessum ad eundem Reverendum Patrem  
„ Dominum Stephanum Episcopum , & hoc facto sta-  
„ tim prædictus Dominus Vicarius ad manus suas ac-  
„ cepit prædicta duo instrumenta , & dixit quod por-  
„ taret ad dictum Reverendissimum Patrem Dominum

„ Ste-

„ Stephanum Episcopum, & facta aliquali mora exi-  
 „ vit de prædicta camera, & transivimus omnes ad  
 „ Ecclesiam Cathedralem, & ibidem in præsentia mei  
 „ Notarii publici, & testium infra scriptorum Canonicō-  
 „ rum Ecclesiæ ejusdem in medio Ecclesiæ prædictum  
 „ instrumentum appellationis clara, alta, & intelligibi-  
 „ li voce de verbo ad verbum totaliter, prout in ip-  
 „ so instrumento continebatur, perlegit, quorum duo-  
 „ rum instrumentorum tenores infra sequuntur: &  
 „ primo sequitur tenor instrumenti appellationis præ-  
 „ dictæ, qui est talis.

„ In nomine Domini Amen. Anno nativitatis  
 „ ejusdem 1399. indictione VII. die Jovis XX. Men-  
 „ sis Novemboris hora tertiarum, vel quasi, Pontifica-  
 „ tus vero Sanctissimi in Christo Patris, & Domi-  
 „ ni nostri, Domini Bonifacii divina providentia Pa-  
 „ pæ IX. Anno XI. in præsentia mei Notarii publici,  
 „ & testium infra scriptorum, ad hoc specialiter roga-  
 „ torum, & vocatorum constitutus Reverendissimus in  
 „ Christo Pater Dominus Joannes Dei & Appstolicæ  
 „ Sedis gratia Archiepiscopus Strigoniensis, locique  
 „ ejusdem Comes perpetuus, Primasque, & dictæ A-  
 „ postolicæ Sedis Legatus natus &c. coram venerabi-  
 „ libus, & egregiis Viris Dominis Matthæo de Vi-  
 „ cedominis de Placentia Juris utriusque Doctore  
 „ Præposito Ecclesiæ Sancti Antonii de eadem, offi-  
 „ ciali

„ ciali, & Canonicō Strigonienſi Fratre Mathia Ma-  
„ gistro Cruciferorum Jeroſolymitanenſi Sancte Trini-  
„ tatis de calidis aquis ſuperioribus ſuburbii novi mon-  
„ tis Pestienſis, Vesprimienſis Dioceſis, Joanne Ni-  
„ colai Eccleſiae Sancti Stephani de Castro Strigonien-  
„ ſi Præpoſito, & Canonicō, Nicolao, ac Ladislao A-  
„ grienſis, & Vesprimienſis Eccleſiarum Cufodibus,  
„ Cantore ejusdem Eccleſiae Strigonienſis, tamquam  
„ publicis, authenticis, & honestis personis, ibidem  
„ in præſentia mei Notarii publici, & testium infra-  
„ scriptorum Procurator conſtitutus, quamdam ad di-  
„ ctum Sanctiſſimum in Christo Patrem, ac Dominum  
„ noſtrum Bonifacium divina providentia Papam IX.  
„ & ejus Sanctam Sedem Apoſtolicam ibidem in  
„ scriptis exhibuit, & interpoſuit appellationem.  
„ Cujus quidem appellationis ibidem per dictum Re-  
„ verendissimum Patrem Dominum Joannem Archi-  
„ epifcopum Strigonienſem exhibitæ, & interpoſitæ,  
„ ac de verbo ad verbum ibidem perlectæ tenor per  
„ omnia ſequitur & eſt talis : Coram vobis venera-  
„ bilibus, & circumſpectis Viris, Dominis Matthæo  
„ de Vicedominis de Placentia Juris utriusque Do-  
„ ctore, Præpoſito Sancti Antonii de eadem, Officiali,  
„ & Canonicō Strigonienſi, Fratre Magistro Crucifer-  
„ rum Jeroſolymitanenſi Sancte Trinitatis de calidis  
„ aquis ſuperioribus ſuburbii novi montis Pestienſis,  
„ Vesprimienſis Dioceſis, Joanne Nicolai Eccleſiae

„ Sancti Stephani de Campo Strigonensi Præposito,  
 „ & Canonico, Nicolao, ac Ladislao Agriensis, &  
 „ Vesprimiensis Ecclesiarum Custodibus, Cantore ejus-  
 „ dem Ecclesiæ Strigonensis, & Notario publico, ac  
 „ testibus hic præsentibus, tamquam coram publicis,  
 „ authenticis, & honestis personis provocans, & ap-  
 „ pellans propono, dico, & narro: Ego Joannes  
 „ Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus  
 „ Strigonensis, Primasque, & dictæ Apostolicæ Sedis  
 „ Legatus natus, meo & dictæ Ecclesiæ meæ Stri-  
 „ goniensis nomine, quod Monasterium Sanctæ Crucis  
 „ Ordinis Præmonstratensis per Præpositum gubernari  
 „ solitum Agriensis Dioecesis, & Præpositus, qui pro  
 „ tempore fuit, cum membris suis, ac etiam plura alia  
 „ monasteria ejusdem Ordinis tam in mea Strigonien-  
 „ si, quam in diversis aliis Regni Hungariae Dioecesi-  
 „ bus constituta, & eorum Præpositi cum membris  
 „ suis a tanto tempore citra, de cuius contrario ho-  
 „ minum memoria non existit, de antiqua, & hacte-  
 „ nus approbata, ac immutabiliter observata consue-  
 „ tudine, salva tamen eorum regula, quoad totalem  
 „ obedientiam, & jurisdictionem spiritualem subterpo-  
 „ sita, & subjecta fuerint, & hodie sint, solum &  
 „ immediate mihi, & dictæ meæ Ecclesiæ Strigonien-  
 „ si. In cuius totalis spiritualis jurisdictionis, & obe-  
 „ dientiæ, & ejus exercitio, pacifica possessione, vel  
 „ quasi, dicta mea Strigonensis Ecclesia, & ejus pro-  
 tem-

„ tempore existentes Archiepiscopi, mei prædeceſſo-  
„ fores a dicto tempore citra fuerunt, & hodie ſunt,  
„ ac etiam Præpositi diectorum Monasteriorum moder-  
„ ni, & pro tempore existentes pro ſe, & membris  
„ eorum per dicta tempora quiete, & pacifice in ſi-  
„ gnum ſubjectionis a me, ſive a dicta mea Eccleſia  
„ Eccleſiaſtica Sacramento receperunt, ac venerunt  
„ ad synodum, quotiescumque per me, & alios exi-  
„ ſtentes Archiepiscopos Strigonienſes, prædeceſſores  
„ meos in Eccleſia mea Strigonienſi prædicta cele-  
„ brari contigit, attamen his diebus elapsis ad meum  
„ primo devenit auditum, quod Reverendus Pater  
„ Dominus Stephanus, assertus modernus Episcopus  
„ Agriensis, prætendens, & afferens, licet indebite  
„ & injuste prædictum Monasterium Sanctæ Crucis in  
„ Leleſz, & Præpositum ejus pro tempore cum mem-  
„ bris suis mihi, & Eccleſiæ meæ prout præmittitur,  
„ immediate ſubjectos, ſibi, & afferatæ Eccleſiæ ſuæ  
„ Agriensi fore, & eſſe quoad totalem jurisdictionem  
„ ſpiritualem, & obedientiam ſolum, & immediate  
„ ſubjectos, ac etiam prætendens, licet indebite, &  
„ injuste, quod Præpofitus modernus, & pro tempore  
„ conſtitutus ab eo, ſive a prætentia Eccleſia ſua Ec-  
„ cleſiaſtica Sacramento accepit, nec non ad synodum  
„ ſuam venire debeat, & teneatur, venerit, & inter-  
„ fuerit, nec non quod religiosus vir Frater Domini-  
„ cus, modernus Præpofitus dicti Monasterii in Le-

„ lesz, similiter afferens prædictum Monasterium San-  
 „ ctæ Crucis in Lelesz, & Præpositos pro tempore  
 „ existentes, mihi & Ecclesiæ meæ prædictæ, ut  
 „ præmittitur, subiectos, nec non omnia alia, & fin-  
 „ gula dicti Ordinis Monasteria cum membris suis in  
 „ Regno Hungariæ existentia, & prætendens licet in-  
 „ debite, injuste, & defacto liberum, & exemptum,  
 „ liberos, & exemptos fore a jurisdictione & obedien-  
 „ tia cujuslibet Diœcesani, Metropolitani, & cujus-  
 „ vis alterius superioris, excepto Romano Pontifi-  
 „ ce, quorum occasione inter dictos Reverendum  
 „ Patrem Dominum Stephanum assertum Episcopum  
 „ Agriensem, & Religiosum Virum Dominicum lis,  
 „ quæstio, seu controversia, ut afferitur, inter eos in  
 „ curia Romana, per diversos Palatii Apostolici cau-  
 „ sarum Auditores latæ, & obtentæ fuerunt, inter quos  
 „ etiam ad præsens super præmissis in curia Romana  
 „ lis dicitur pendere, & certæ remissiones, ut afferi-  
 „ tur, ad partes sunt decretæ, & obtentæ, quarum  
 „ vigore pro parte prædictorum hic in partibus certi  
 „ testes super præmissis recepti, & examinati fore  
 „ afferuntur, in vim quorum omnium, & singulorum  
 „ præmissorum, & eorum occasione, & quæ ex præ-  
 „ dictis sequi possunt, R. Pater Dominus Stephanus  
 „ assertus Agiensis, ac Religiosus Pater Frater Do-  
 „ minicus Præpositus, mihi & Ecclesiæ meæ Strigo-  
 „ niensi immediate subiectus, nituntur licet indebite,  
 „ & in-

„ & injuste, & defacto a mea, & dictæ meæ Strigo-  
 „ niensis Ecclesiæ prædicta jurisdictione, & totali  
 „ obedientia nec non quieta, & pacifica possessione,  
 „ vel quasi dictum Monasterium Sanctæ Crucis, & ejus  
 „ Præpositum pro tempore, nec non omnes alios Præ-  
 „ positos, & omnia Monasteria dicti Ordinis in Re-  
 „ gno Hungariæ existentia subtrahere, & removere, in  
 „ maximum meum, & dictæ meæ Ecclesiæ Strigo-  
 „ niensis damnum, præjudicium, & gravamen, propter  
 „ quæ omnia, & singula, & eorum qualibet conjunctim,  
 „ & divisim per prædictos Reverendum Patrem Domi-  
 „ num Stephanum assertum Episcopum Agriensem, &  
 „ religiosum Virum Fratrem Dominicum Præpositum de  
 „ Lelesz, mihi & Ecclesiæ meæ, prout præmittitur,  
 „ immediate subjectum, posita, articulata, dicta, facta,  
 „ & postulata, & ad eorum cuiuslibet ipsorum con-  
 „ junctim, & divisim instantiam, & petitionem emana-  
 „ ta, pronunciata, & procurata, sentiens me, & dictam  
 „ Ecclesiam meam Strigonensem, & ejus Jura gra-  
 „ viter, & enormiter fuisse, & esse gravatos, & læ-  
 „ sos, ac gravata, & læsa, timensque imposterum  
 „ propter præmissa, me, & dictam Ecclesiam meam,  
 „ & ejus jura fortius lædi, & gravari, idcirco a præ-  
 „ missis omnibus, & singulis prætensis sententiis, po-  
 „ sitionibus, & articulationibus, ac molestationibus,  
 „ & eorum qualibet conjunctim, & divisim, præmis-  
 „ forum occasione, inter prædictas partes, ut præmit-

„ titur, quomodolibet prolatis, & obtentis, ac per  
 „ eas partes innovatis, & præsumtis, ego Joannes  
 „ Archiepiscopus Strigoniensis antedictus, meo, &  
 „ Ecclesiæ meæ Strigoniensis nomine contra Agrien-  
 „ sem Ecclesiam, Reverendumque Patrem Dominum  
 „ Stephanum assertum Episcopum, ac Monasterium  
 „ sanctæ Crucis in Lelesz, & ejus Præpositum præ-  
 „ dictos, & omnes alios, & singulos, quorum inter-  
 „ est, & præsens negotium tangit, conjunctim, & di-  
 „ visim ad Sanctissimum in Christo Patrem Dominum  
 „ nostrum, Dominum Bonifacium divina disponente  
 „ clementia Papam IX. & ejus S. Sedem Apostolicam  
 „ in his scriptis provoco, & appello, & peto instan-  
 „ ter, instantius, & instantissime super præsenti mea  
 „ appellatione mihi tradi, exhiberi, & assignari, si  
 „ quis sit, qui eos mihi tradere, & assignare, & ex-  
 „ hibere possit, postulo protestans, & petens, quod  
 „ hac mea præsenti appellatione legitima pendente  
 „ nihil in meum, sive dictæ meæ Strigoniensis Eccle-  
 „ siæ damnum, præjudicium, & gravamen super præ-  
 „ missis per prædictum Stephanum assertum Episco-  
 „ pum Agriensem, ac per Præpositum Monasterii præ-  
 „ dicti sanctæ Crucis in Lelesz, mihi dumtaxat, &  
 „ nulli alteri subjecti, vel eorum alterum conjunctim,  
 „ & divisim fieri vel attentari possit, seu debeat,  
 „ sed super præmissis omnibus & singulis per eos,  
 „ vel alterum eorum conjunctim, & divisim petitis,

„ po-

„ positis, articulatis, & obtentis, & ad eorum Instan-  
„ tiam formatis, & emanatis, in ipsis superfederi de-  
„ beat, donec dicta mea appellatio, & ejus causa di-  
„ scutiatur, alias protestor contra ipsos, & eorum  
„ quemlibet contrafacentem, debitæ juris pænæ sub-  
„ mittens me, dictamque Ecclesiam meam Strigonien-  
„ sem, & ejus jura super omnibus, & singulis præmis-  
„ sis, tuitioni, defensioni, & protectioni dicti Domini  
„ nostri Domini Papæ, & Sanctæ suæ Sedi, coram  
„ quo Domino Papa præsentem m̄eām appellationem  
„ infra debitum tempus legitime prosequi intendo, &  
„ præmissa omnia, & singula conjunctim, & divisim  
„ per me supra dicta, proposita, & petita contra  
„ prædictos Reverendum Patrem Dominum Stephano-  
„ num assertum Episcopum Agriensem, ac religiosum  
„ virum Fratrem Præpositum, seu alios quoslibet,  
„ qui sua crediderunt conjunctim, & divisim interef-  
„ se, & eorum quemlibet, reclamando, provocando,  
„ & appellando, dico, peto, & propono meo, & di-  
„ ctæ Ecclesiæ meæ Strigoniensis nomine, omni me-  
„ liori via, modo, jure, forma, & causa, quibus pos-  
„ sum, & debeo, & protestor petens, & requirens  
„ dictus Reverendissimus Pater Dominus Joannes Ar-  
„ chiepiscopus Strigonensis me infrascriptum Nota-  
„ rium in præsentia testium infrascriptorum, quatenus  
„ ex debito mei publici Notariatus officii, de exhi-  
„ bitione, & interpositione præfens publicum confeci

„ Instrumentum. Acta & facta fuerunt hæc in Ca-  
 „ stro Strigonienfi in camera cubicularii dicti Reve-  
 „ rendissimi in Christo Patris Domini Joannis Archi-  
 „ episcopi Strigonienfis, & Apostolicæ Sedis Legati,  
 „ sub anno, indictione, die, mense, hora, & Ponti-  
 „ ficatu, quibus supra, præsentibus circumspectis viris  
 „ Dominis Magistro Thoma de Amelia artium, &  
 „ medicinæ Doctore, Ladislao Huntensi, & altero  
 „ Ladislao Neogradiensi in prædicta Ecclesia Strigo-  
 „ niensi Archidiaconis, nec non Blasio Rectore Ca-  
 „ pellæ Beatæ Mariæ Virginis ad latus prædictæ Ec-  
 „ clesiæ Strigonienfis situatæ, Canonico Strigonienfi,  
 „ testibus ad præmissa specialiter vocatis, & rogatis.  
 „ Et ego Nicolaus Pauli de Thurucz Clericus Strigo-  
 „ niensis Diœcesis, publicus Imperiali auctoritate No-  
 „ tarius prædictæ appellationis exhibitioni, & inter-  
 „ positioni per dictum Reverendissimum in Christo Pa-  
 „ trem Dominum Joannem Archiepiscopum Strigo-  
 „ niensem, ut præmittitur, coram supra nominatis  
 „ venerabilibus, & egregiis viris, ac me Notario pu-  
 „ blico, & testibus supradictis interpositæ, prædictis  
 „ que omnibus aliis & singulis, dum sic, ut præmitti-  
 „ tur, per eundem Reverendissimum in Christo Pa-  
 „ trem Dominum Joannem Archiepiscopum Strigo-  
 „ niensem agerentur, & fierent, præsens una cum  
 „ prænominatis testibus fui, vidi, & audivi, rogatus-  
 „ que, & requisitus per eundem Dominum Archiepi-  
 „ sco-

„ scopum , ut de prædictis publicum conficerem in-  
„ strumentum , unum , & plura , hoc præsens publi-  
„ cum Instrumentum per alium , me aliis occupato  
„ negotiis , fideliter scriptum , exinde confeci , & in  
„ hanc publicam formam redegi , huic me manu pro-  
„ pria subscripsi , demumque nomine & signo meis  
„ propriis , & consuetis signavi in fidem , & testimo-  
„ nium omnium , & singulorum præmissorum . „ (a)  
Non obscure hinc conficio , Agriensem Episcopum col-  
latis cum Præposito Leleszieni consiliis id præcipue  
in Curia Romana egisse , ut , quoniam Bonifacius eo-  
dem anno ipsis calendis Maji jura Strigoniensis Archi-  
episcopi in Præposituram Lelesziensem nominatim  
confirmasset , captata Auditorum Palatii Apostolici be-  
nevolentia , Præposituram sibi si non affereret , certe  
ab Strigonensi jurisdictione , quod suapte consecuta-  
neum fuit , exemptam redderet . Verum Joannes ma-  
ture de clandestina hac machinatione edoctus , ac in-  
ter Curiam Romanam , & Sedem Apostolicam multum  
interesse ratus , ab illa ad hanc appellans , quidquid id  
periculi erat , prudentia sua discussit , quando deinceps  
quoque Præpositos Leleszienses , etsi in Diœcesi A-  
griensi erant , Strigonensium arbitrio paruisse comper-  
tum est .

In

(a) Ex Tabulario Strigonensi.

*Ludori-  
eus Rex E-  
piscopatum diœcesanos Strigoniensium limites contineri, supra  
ex Præpo-  
fitura Sce-  
pusiensim  
latur.*

In Scepusiensi quoque Provincia, quam intra  
diœcesanos Strigoniensium limites contineri, supra  
ostendimus, aliquid negotii Chanadino Archiepiscopo  
per Ludovicum Regem, ac Reginam confectum est,  
cum Præposituram in Episcopatum converti, itaque

ex Diœcesi Strigonensi a Papa avelli peterent. Jam  
prius quidem isthic Jacobum fuisse Episcopum cum  
hujus, tum aliorum Litteræ testantur, sed eam præ-  
rogativam personæ tantum, non item loci fuisse, Lo-  
domerius Archiepiscopus fidem in ea Bulla facit, qua  
testimonium perhibet, templum Posoniense Ordinis  
Fratrum Minorum anno 1297. a laudato Jacobo in  
Paschafii Nitriensis, Pauli Quinque Ecclesiensis, Haab  
Vaciensis, & Theodori Jaurinensis Episcoporum præ-  
sentia consecratum esse, in qua memoratum Jacobum  
diserte *Vicarium Episcopum nostrum* vocat, quo fit,  
ut Jacobus quidem Episcopus fuerit consecratus, non  
item diœcesanus. (a) Id, ut cœpi dicere, Ludovicus  
Rex omnium primus Joannis Opolensis Ducis, qui  
tunc Præpositus erat, gratia effectum dare cupiit, da-  
tis litteris Clementem VI. orans, ut cum ob frequen-  
tem in dies confluentis in eam Provinciam populi co-  
piam, tum administrandorum Sacramentorum opportu-  
nitatem, ac plurima, quæ in Ecclesiam redundatura  
erant

---

(a) Nuspianum enim hactenus legi, quæ portio ex Archiepiscopatu Strigonensi excisa fuerit, quæ illius Diœcesim conficeret, aut quando hæc rursum Archiepiscopatu conjuncta fuerit. Nam a Jacobo neminem ex Præpositis Scepusiensibus comperio, qui eodem titulo Episcopus fuisse.

erant commoda, vellet, ac juberet ex Præpositura Episcopen fieri. Pontifex cognito Regis desiderio confessim Nicolao Quinque-Ecclesiensium Antistiti, tum Abbatibus Sancti Benedicti juxta Granum amnem, ac Vissegradiensi in mandatis dedit, viderent, utrum ea in re Ludovico mos gerendus esset, & si Episcopum instituendum novam dignitatem honeste tueri posse inteligerent, se quamprimum certiorem reddant, ut optimo Regi eatenus gratificari possit. Quam navi-  
ter isti Provincia sua perfuncti fuerint, ex eorundem litteris in hunc tenorem confectis patet. (a) „ Fra-  
„ tres Syfridus Sancti Benedicti juxta Gron, Strigo-  
„ nienfis, & Daniel Sancti Andreæ de Vissegrad, Ve-  
„ spriensis Dicecensis, Ordinis Sancti Benedicti, Dei  
„ patientia, & miseratione Abbates, Inquisidores, seu  
„ executores ad infrascripta per Sedem Apostolicam,  
„ una cum Reverendo in Christo Patre Domino E-  
„ piscopo Quinque-Ecclesiensi, cum clausula; Vos,  
„ vel duo specialiter deputati: venerabilibus & reli-  
„ giosis viris, Abbatibus Monasterii Beatae Mariæ  
„ Virginis de Villa Compositi, Cisterciensis de Lapide  
„ refugii, de Donegecz Ordinis Cartasanorum Mo-  
„ nasteriorum Prioribus, & eorum Conventibus: Item  
„ honorabilibus, & discretis viris, de Quinto foro,

„ (a) de Villa Svevi (b) de Villa Canis (c) & de  
 „ foro Caseorum, (d) Plebanis Ecclesiarum Dei, Dioce-  
 „ cesis Strigoniensis salutem in Domino, & manda-  
 „ tis nostris, imo universis Apostolicis firmiter obedi-  
 „ re. Litteras Sanctissimi Patris, & Domini, Domini  
 „ Clementis divina providentia Sacro-Sanctæ Romanæ,  
 „ ac universalis Ecclesiæ Summi Pontificis vera ejus  
 „ Bulla plumbea in filo canabis bullatas, non vitiatas,  
 „ nec in aliqua sui parte suspectas, noveritis nos re-  
 „ cepisse tenore sub isto. Clemens Episcopus, Ser-  
 „ vus Servorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo  
 „ Quinque-Ecclesiensi, & dilectis filiis Sancti Bene-  
 „ dicti juxta Gron, tum Sancti Andreæ de Vissegrad,  
 „ Strigoniensis, & Vesprimiensis Dioecesis Monaste-  
 „ riorum Abbatibus salutem, & Apostolicam Bene-  
 „ dictionem. Petitio charissimorum in Christo filio-  
 „ rum nostrorum, Ludovici Regis, & Elisabeth Re-  
 „ ginæ, Hungariæ illustrium, nobis nuper exhibita  
 „ continebat: Quod, licet quædam partes Hungariæ,  
 „ ut Scepusiensis Provincia, communiter in prædi-  
 „ ctis Hungariæ, ac Poloniæ Regnorum confinibus  
 „ constitutæ, ab olim fuerint silvosæ, ac Populis de-  
 „ stitutæ, tamen posteaquam in Regno Hungariæ præ-  
 „ dicto pax viguit, & maxime Domini Ludovici, &  
 „ cl-

- 
- (a) *Donnersdorf.*  
 (b) *Schvabdorf.*  
 (c) *Hundsmarck.*  
 (d) *Kaesmarck.*

„ claræ memoriae Caroli Regum Hungariæ Patris, &  
 „ mariti, Ludovici Regis, & Reginæ prædictorum  
 „ temporibus refertæ populis, & habitatorum sunt  
 „ multitudine decoratæ, quodque licet in eisdem par-  
 „ tibus secularis, & Collegiata Scepusiensis Ecclesia  
 „ Sancti Martini per eorundem progenitores fundata  
 „ consistat, ac per ipsius Ecclesiæ Præpositum, qui  
 „ est pro tempore, in instituendis, & destituendis  
 „ Plebanis, & Rectoribus Ecclesiarum, ac visitandis,  
 „ & corrigendis Ecclesiasticis, & Laicis partium ea-  
 „ rundem animarum cura geratur ex consuetudine ap-  
 „ probata, tamen dictarum partium populi propter  
 „ magnam distantiam ab eorum Ecclesia Cathedrali,  
 „ tam in consecrandis, & reconciliandis Ecclesiis, ac  
 „ cymeteriis, & Confirmationibus puerorum, & au-  
 „ diendis confessionibus, in casibus Episcopo reserva-  
 „ tis, quam in aliis ad officium Episcopale, & ordi-  
 „ nem pertinentibus magna dispendia patiuntur: Qua-  
 „ re Ludovicus Rex, & Regina præfati cupientes  
 „ hujusmodi obviare dispendiis, ac in eodem Regno  
 „ Hungariæ Sarmaticis, & infidelibus, ac Tartaris  
 „ circumsepti, ut afferunt fidem Catholicam per mul-  
 „ tiplicitatem Ecclesiasticorum Prælatorum, & Præ-  
 „ sulum adaugeri, ac dilecti filii, Capitulum ipsius  
 „ Ecclesiæ, nobis humiliter supplicarunt, ut eandem  
 „ Ecclesiam in Cathedralem erigere, & Villam Sce-  
 „ pusensem Civitatis insignire titulo, ac partes Sce-

„ pufienses prædictas, & certam terram Liptovien-  
 „ sem Provinciam nuncupatam (a) Strigonienfis Dioce-  
 „ cefis, ac unam Diœcésim ex iisdem partibus, &  
 „ terram intuitu Ecclesiæ memoratæ, ipfi Ecclesiæ  
 „ pro Diœcesi assignare, ac decimas, nec non alios  
 „ fructus, & redditus, proventus, ac obventiones &  
 „ Jura Præposituræ, ex qua ipfe congrue sustentari,  
 „ & alia eis incumbentia onera valeat supportare,  
 „ Episcopali mensæ deputare, ipsius Ecclesiæ digna-  
 „ remur. Nos igitur commendantes in Domino tam  
 „ laudabile, favorableque dictorum Regis, & Reginæ  
 „ in hac parte propositum, ac de præmissis notitiam  
 „ non habentes, districtim per Apostolica scripta man-  
 „ damus, quatenus Vos, vel duo Vestrum, vocatis  
 „ venerabili Fratre Nostro Archiepiscopo Strigonien-  
 „ si, ac Domino Præposito, ac aliis, qui fuerint e-  
 „ vocandi, de præmissis, & universis, valvati ejus-  
 „ dem fidei, quod Ecclesia in Cathedralem erigatur,  
 „ ac villæ prædictæ, civitatis titulo decorentur, &  
 „ quota præviarum partium, & terræ prædictarum  
 „ sufficiat Ecclesiæ memoratæ pro Diœcesi juxta sta-  
 „ tum, & conditionem Ecclesiarum Regni Hungariæ,  
 „ nec non de portione congrua decimarum, fructuum,  
 „ reddituum, proventuum, jurium, & obventionum, præ-  
 „ dictorum eidem Præposito assignanda, sicut prædici-  
 tur,

---

(a) Itaque Diœcesis Scepusiensis ex Comitatu cognomine, & Liptoviensi solum conflanda erat.

„ tur, ac de facultatibus, quas Episcopus, si ibi præ-  
 „ ciatur, habere poterit, & aliis circumstantiis in præ-  
 „ missis omnibus accedendis, diligenter, & fideliter  
 „ nos informare, & quidquid per informationem hu-  
 „ jus vos reperire contigerit, nobis per patentes lit-  
 „ teras vestras, seu publicum instrumentum, tenorem  
 „ præsentium continentis, seu continens fideliter in-  
 „ timare curetis. Datum Ameraci XVI. Cal. Maji  
 „ Pontificatus nostri anno sexto: Volentes itaque  
 „ Mandatis Apostolicis, ut tenemur, humiliter obe-  
 „ dire, forma Mandati nobis injuncti, una cum ve-  
 „ nerabili in Christo Fratre Domino Episcopo Quin-  
 „ que Ecclesiensi Collega nostro, diligenter in aliis  
 „ observata communicata nobiscum, & consilio sapien-  
 „ tum deliberatione matura decrevimus, ut informa-  
 „ tionem de narratis in rescripto Apostolico, & con-  
 „ tentis in ipso apud Ecclesiam Sancti Martini præ-  
 „ dictam, & locum, pro quibus negotium erectionis  
 „ hujusmodi geritur, recipere & ad id faciendum di-  
 „ catus Dominus Episcopus Collega noster, aliis suis  
 „ Ecclesiæ suæ negotiis præpeditus (a) commisit no-  
 „ bis plenarie vices suas, donec eas ad se duceret  
 „ revocandas. Quocirca Vobis, & Vestrum cuilibet

„ in

---

(a) Suspicio longinquitate potius conficiendi itineris, alioquin ab uno fine Hungaria ad alium ei migrandum erat, quam Ecclesiæ negotiis impe-  
ditum fuisse. Quod indicio est, Romam id temporis Ecclesiistarum Hunga-  
riæ sicutum, ac habitum nondum satis perspexisse. Si enim illus rationem  
habeas, Agriensis, Vaciensis, aut Nitriensis Episcopi huic negotio oppor-  
tuni erant.

„ in virtute sanctæ obedientiæ , & sub excommunicatiōnis, quam & in vos Dominos Abbates, Priors, & Plebanos, & suspensionis, & interdicti sententiis quas in Conventus eosdem, Monasteria, & Ecclesiās vestras prædictas, monitione præmissa, ferimus in his scriptis, & incurrere volumus ipso facto, si nostri, imo verius Apostolici hac in parte mandati, temerarii fueritis transgressores, firmiter, & districte præcipiendo mandamus, quatenus Vos Domini Abbates, Priors, & Plebani, imo dicti personaliter, Conventus vero iidem, quilibet per unum seniorem de Conventu, quem ad hoc idoneum duxerit eligendos, & destinandos, feria tertia proxime nunc ventura, hora tertia sitis, vel sint apud dictam Ecclesiam Sancti Martini indilatae constituti, ad perhibendum super dicto negotio vobis commissum testimonium veritatis - - - Datum apud Ecclesiam Sancti Martini prædictam, feria sexta proxima ante festum Sancti Thomæ Apostoli anno Domini MCCCXLVIII. , Tanto studio cœptum negotium paulo post, incertum qua de causa, adhæsit. Sunt, qui putent Chanadinum Archiepiscopum molitionem hanc clam interturbasse, quod sine veri speie dici video ; alii contra existimant Ludovicum suapte ab eo proposito destitisse, ne Papam, Andreæ Fratris in Italia trucidati causa, novis precibus irritaret,

ret, quod prorsus inficetum est. Cædes enim fratris ad irritandum Regem, non item Papam, opportuna fuit. Quare illud verisimilius, Regem a tam laudabili conilio propterea avocatum, quod impatienter ferret, Avenionem, quæ ad illum avitico jure (*a*) spectabat, se imprudente, quin invito etiam, a Joanna eodem anno Clementi Pontifici precio octoginta millium florrenorum auri de Florentia venditam fuisse.

Utcunque autem novi Episcopatus institutio sub Sigismundus, & Corvinus Præpositum Scepusiensem ex Jurisdictione Strigonensis eximunt.

Ludovico adhæserit, aliquid tamen deinceps ab Sigismundo Rege potestati Strigonensis Archiepiscopi in Scepusiensem Præposituram detractum erat, cum ad annum

(*a*) Avenio etenim cum Folcalquerio seu Foro Neronis in Provincia, tum Salernum, & Mons Sancti Angeli in Apulia, erant portio avitica Caroli Roberti, a quo Jus transit ad filium Ludovicum, tum hujus filiam Mariam. Hinc in istorum Diplomatibus ad ceteros Regum Hungariae titulos, hi quoque adjecti sunt. *Princeps Salernitanus, Comes Folcalquerii, & Honoris Montis Sancti Angelii Dominus.* Quin in ipsis etiam Sigillis Regiis hos titulos insculptos lego, adiectis etiam provinciarum Insigniis, quibus quod etiam post factam venditionem constanter uterentur, apparet, Reges nostros nihil sibi de suo Jure decerpī passos fuisse. Spondanus ad an. 1348. § IV. scribit, emtionem hanc a Carolo Romanorum Rege, quod teneretur in feudum ab Imperio, approbatam, & confirmatam fuisse, cum renunciatione omni Juri, feudo, ac recognitioni, quæ in eam imperio competere poterat, qua de re existare dicit aureum diploma datum Görlicii calendis Novembribus ejusdem anni 1348. An id, non consentiente Imperio fieri potuerit, aliorum esto arbitrium: mihi videtur Carolus ægre Ludovico Regi facere voluisse, quod hic cum Ludovico Barbaro Imperatore ante aliquot annos exauktorato, cui Carolus anno priore, quam venditio facta sit, oppositus erat, amicitiam coleret. Alioquin constat Ludovicum, ubi Regnum Neapolitanum in manibus Pontificis destituisse, titulos Principis Salernitani, Montis Sancti Angeli, & Comitis Folcalquerii in Provincia sibi reservasse, qui cum jure ad filiam Mariam traducti sunt.

annum 1435. Magistro Joanni Stock Medicinæ, & Artium Doctori Sue Majestatis, Præposito Scepusiensi, authoritate Juris patronatus Privilegium -- contulisset, singula Beneficia, ac quaslibet dignitates, Lectoratum, Cantoratum, Custodiatum, Canonicatus, Præbendas, aliaque beneficia vacantia in bene meritos dispensandi, (a) quæ tamen prærogativa ad Strigonienses Archiepiscopos vetusto jure attinebat. (b) Sigismundum ea in re Mathias Corvinus imitandum sibi censuit, cum eandem exemptionem Scepusiensibus Præpositis anno 1458. confirmaret, Pius vero II. anno sequente ratam haberet. Hujus ea de re litteræ exstant sequentis tenoris. (c) ,, Pius secundus,  
 „ Servus Servorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.  
 „ Pastoralis Officii debitum Nos excitat, & rationis  
 „ ordo exposcit, ut ea, quæ vetustate, ac commodo,  
 „ & honore singularum Ecclesiarum, ac Prælatorum  
 „ commoditate ex rationalibus causis processerunt,  
 „ ac etiam animarum salutem, honestatemque concer-  
 „ nunt, & hactenus observata sunt, ne in contem-  
 „ tionem deveniant, Apostolico munimine, cum a  
 „ nobis petitur, propensiis solidemus; fane pro parte  
 „ dilecti Filii Joannis Stock Præpositi Ecclesiae S.  
 „ Martini de Scepus Strigoniensis Dicecisis Nobis

, nu-

(a) Ms. Catalogus Præpositorum Scepusiensium.

(b) Id nemini mirum videri debet, cum Mathias Corvinus Michaëli Orszagio Jus patronatus Regium conferendi Episcopatum Nitriensem, cui volet, ad dies vitæ delegavit.

(c) PETERFY Concil. Hung. Part. I. pag. 197.

„ nuper exhibita petitio continebat, quod per anti-  
 „ qua Privilegia & Instrumenta publica constat, quali-  
 „ ter Ecclesia prædicta, quæ nunc Collegiata est, o-  
 „ lim Cathedralis (*a*) fuit, & præterea illius Præposi-  
 „ tus pro tempore existens, ex antiqua, approbata,  
 „ & præscripta consuetudine omni anno, videlicet,  
 „ in Cæna Domini, ante summam Missam in majori  
 „ porta Ecclesiæ multitudine populi conferti, de loco  
 „ prædicto Scepus congregata, juxta prædictam con-  
 „ suetudinem cum suis paramentis, & solennibus ora-  
 „ tionibus, & aliis ad hoc pertinentibus, & consue-  
 „ tis, semel solemniter, & alias omni die, quando  
 „ necesse fuerit, per se, vel ejus Vicarium, in Epi-  
 „ scopalibus casibus autoritatem habet absolvendi,  
 „ ac in Capitulum, & Clerum, nec non populum  
 „ utriusque sexus ejusdem loci plenariam jurisdictio-  
 „ nem ordinariam in spiritualibus, & temporalibus,  
 „ videlicet judicandi, instituendi, confirmandi, infir-  
 „ mandi, destituendi, & instandi, corrigendi, inqui-  
 „ rendi, excommunicandi, & censuras Ecclesiasticas  
 „ exercendi, sententias fulminandi, & relaxandi, sy-  
 „ nodum convocandi, charitativum subsidium peten-  
 „ di, ac omnia alia, & singula, quæ jurisdictoris sunt  
 „ spiritualis, exercendi, prout in quodam Instrumen-  
 „ to publico, seu litteris authenticis inde confectis

H 2

„ quo-

---

(*a*) Male informatum Papam oportuit. Præter Jacobum enim, cu-  
jus supra memini, nemo illic unquam Episcopus erat.

„ quorum tenores, ac si de verbo ad verbum inse-  
 „ rerentur præsentibus, habere volumus pro expressis,  
 „ plenius continetur: sic quod Capitulum, Clerus,  
 „ & populus prædictæ Ecclesiæ subjecti sub omnimo-  
 „ da jurisdictione in spiritualibus Præposito Scepusien-  
 „ si pro tempore existenti de antiqua consuetudine,  
 „ pleno jure fore dignoscuntur, nullumque alium,  
 „ præter ipsum Præpositum, Superiorem habere reco-  
 „ gnoscunt, & ipsi Præposito, tamquam eorum imme-  
 „ diato Superiori, obedientiam, & reverentiam debi-  
 „ tam exhibere consueverunt. Quare pro parte dicti  
 „ Præpositi nobis fuit humillime supplicatum, ut con-  
 „ suetudinem prædictam, ac illam concernentia omnia,  
 „ & singula, in instrumentis, seu litteris prædictis  
 „ contenta, ad hoc, ut majoris roboris firmitatem  
 „ obtineant, confirmare, & approbare, aliaque in  
 „ præmissis opportune providere, de benignitate A-  
 „ postolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi suppli-  
 „ cationibus inclinati, consuetudinem ipsam ratam, (a)  
 „ gratam habentes, illam, ac omnia, & singula in in-  
 „ strumentis, seu litteris prædictis contenta hujusmo-  
 „ di, & quæcunque inde secuta, prout rite, & juste  
 „ processerunt, autoritate Apostolica tenore præsen-  
 „ tium approbamus, ratificamus, & confirmamus, ac  
 „ præsentis scripti patrocinio communimus, ipsamque  
 „ con-

---

(a) Consuetudo hæc non excedit tempus supra memoratum, quo Sigismundus Rex Joanni Stock Præposito vi Juris Patronatus Regii dat potestatem conferendi Cantoratum &c. illo vetustius nuspianum hactenus reperi.

„ consuetudinem, sicut hactenus est observata, per-  
 „ petuis futuris temporibus observandam fore decer-  
 „ nimus, & declaramus, non obstantibus consuetudi-  
 „ nibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscun-  
 „ que. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum  
 „ Mantuae anno Incarnationis Domini 1459. XV. Cal.  
 „ Decembris, Pontificatus nostri anno II.

Ad hunc modum Præpositura Scepusiensis ex Ju-  
 risdictione Strigoniensis Archiepiscopi exempta fere ad <sup>Præpositi  
Scepusien-  
ses rursus</sup>  
 annum MDXIII. manfit, quo Thomas Bakaczius, <sup>Jurisdic-  
tio-  
ni pristinæ</sup>  
 cum Romam pro implorandis adversus Turcas auxiliis <sup>subjiciun-</sup>  
<sup>tur.</sup>  
 ab Wladislao II. missus effet, collatis cum Leone X.  
 consiliis pristinum in Præposituram Jus recuperavit,  
 allata in Hungariam Pontificis Bulla, qua Præpositus  
 Scepusiensis in ordinem redactus, mandatisque Archi-  
 episcopi morem gerere, pro veteri consuetudine ju-  
 betur. Bullæ hæc verba sunt (a) *Leo Episcopus Ser-  
 vus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regi-  
 mini universalis Ecclesiae præsidentes, de universis orbis  
 Ecclesiis, potissime Metropolitanis assidue cogitantes,  
 quantum cum Deo possumus, diligenter operam adhibe-  
 mus, quod ipse ab indebitis gravaminibus releventur.  
 Quare non debet reprehensibile judicari, si Romanus Pon-  
 tifex interdum, quæ a suis predecessoribus sunt gesta, ex  
 Janioris inspectione judicii refutat, & immutat,*

(b) prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa II. prædeceſſore noſtro litteræ emanarunt, tenoris ſequentis. Hunc nos jam ſupra retulimus. Pergit Leo cauſam facti ſui reddere. Cum autem, ſicut accepimus, inquit, licet pia memorie Nicolaus Papa V. etiam prædeceſſor noſtro, Archiepifcopo Strigonienſi, ſicut & pro tempore exiſtenti, Jurisdictionem Primatiæ, (c) & Legationis natæ, quibus Archiepifcopus Strigonienſis exiſtens fungitur, approbans & conſirmans eidem Archiepifcopo pro tempore exiſtenti, quod in ſingulis Regni Hungarie, & partium ei de Jure vel conſuetudine ſubjectarum, (d) vel ſubjiciendarum, Cathedrales etiam Metropolitanas, ac alias, licet exemptas Eccleſias, earumque Personas, eisdem quomodo libet ſubjectas, & ſubjiciendas, tam Eccleſiaſtas etiam exemptas, quam mundanas omnime potefati Primiſiæ, & Legationis eorundem, tam in foro conſientiæ, quam contentioſo, cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitib, & conſuetis, perpetuis futuriſ temporibus uti, & gaudere, Jurisdictionem, & Legationem in prædictis libere exercere valeret, Authoritate Apoſtolica confeſſerit, inter alia ipsum Archiepifcopum de cauſis, quas intra limites Legationis hujusmodi,

(b) Non obſtantे verborum forma, qua Pius II. ante uſus eſt: conſuetudinem - - perpetuiſ futuriſ temporibus obſervandam fore decernimus, & declaramus, non obſtantib conſuetudinibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque &c.

{c) De hac infra agam.

{d) Omnes Provinciæ Regni Coronæ ſubjectæ, jure, non conſuetudine, ſunt ſubjectæ.

modi, etiam per simplicem querelam, coram eo, & Sede Strigonensi moveri, aut verti contingeret, cognoscere, & cognosci facere, causasque hujusmodi committere, ceteraque omnia, & singula, quæ authoritatem, officium, honorem Primate, & Legationis hujusmodi de jure, aut consuetudine, ac alias quomodolibet concernunt, facere, & exerceri auctoritate Apostolica in ea parte sibi specialicer attributa posse, prout in diversis ipsius Nicolai predecessoris litteris desuper confessis dicitur plenius contineri; ipsique Archiepiscopi Strigonenses, qui ex tunc fuerunt, in possessione, seu quasi, praemissorum exstiterint, prout dilectus filius noster Thomas tituli Sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis, qui Ecclesie Strigonensi ex concessione, & dispensatione Apostolica praesse dignoscitur, (a) existit, ac Praepositus Ecclesie Scepusiensis hujusmodi pro tempore existens, praefato Archiepiscopo Strigonensi subjectus existat, & ad ejus synodum accedere, atque oleum sacrum, & christma ab eo recipere, & alias eum in suum Superiorem recognoscere, & ab eodem Archiepiscopo institui debeat,

ta-

---

(a) Forte propterea, quod Thomas, ut re ipsa est, ab alio Episcopatu ad Strigonensem Cathedram traductus sit, alioquin cum Jure Regio Patronatus hac formula vix conciliari potest. Hac occasione, nisi temporis angustia excluderer, operæ pretium esset, inquirere in tempus, quo Episcopi Hungariae hac forma: *Dei & Apostolice Sedis gratia*: uti primum coeperint. Antiqui enim Episcopi passim ista: *Miseratione aut Providentia Divina*: utebantur: non raro etiam modo titulo: *Nos N. Episcopus Ecclesie N.* Quid, quod Reges nostri Seculo XII. & XIII. si Episcoporum mentionem faciunt eadem *Gratia*, qua se Reges, illos etiam Episcopos dicunt, hoc est *Gratia Divina*. Imo Sigillum Stephani Episcopi Zagrabiensis de anno MCCXXVII. hanc epigraphen diserte refert: *S. STEPHANI SOLIVS DEI GRACIA ZAGRABIENSIS EPISCOPI.*

tamen dictus Praepositus praetextu litterarum Pii predecessoris hujusmodi, synodum etiam sub sententiis, censuris, & penitentia Ecclesiasticis congregare, ac in die Cenæ Domini, multitudine populi congregata, Romanorum Pontificum (fors more) solemnibus orationibus præviis, præfatum populum benedicere, & in casibus reservatis absolvere, charitativum subsidium imponere, & exigere, de causis cognoscere, & judicare, Canonicatus, & Præbendas, & alia beneficia Ecclesiastica conferre, & in illis instituere, confirmare, & desistere, visitare, corriger, censuras fulminare, & omnia alia que, Jurisdictionis existunt, exercere præsumit, in grave præjudicium Ecclesiae Strigoniensis, ac præfati Thomæ Cardinalis, & Archiepiscopi Strigoniensis pro tempore existentis non modicum, & gravamen. Nos igitur attentes, quod littera Pii predecessoris hujusmodi in enormem lœsionem jurisdictionis ordinariæ, ac mensæ Archiepiscopalis Strigoniensis cedunt, ac volentes in præmissis salubre remedium adhibere, motu proprio, non ad dicti Thomæ Cardinalis, vel alicujus alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis oblationem, sed de nostra mera libertate, ac ex certa scientia litteras Pii predecessoris hujusmodi, omniaque, & singula in iis contenta, & abusiones, autoritate Apostolica tenore presentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac omnino viribus evacuamus, easque nullius esse roboris, & momenti declaramus, decernentes irritum, & inane,

si

*si secus super his a quoquam quavis authoritate, scien-  
ter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus  
præmissis, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordina-  
tionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibusunque.  
Nulli ergo omnino hominum Ec. Datum Romæ apud  
Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXIII.  
Pridie Nonas Maji, Pontificatus nostri anno primo.  
Præerat id temporis Capitulo Scepusiensi Joannes de  
Lomnicza, qui ut primum, Bakaccio in Hungariam re-  
verso intellexisset, quid periculi Præposituræ suæ im-  
mineret, confessim Joannem Matti Jaurinensem cau-  
sæ suæ tutorem adscivit, utque Strigonium profectus  
solenni verborum forma Archiepiscopo obtentaretur,  
in mandatis dedit; ipse autem, missis Romam oratori-  
bus, causam pene profligatam tam naviter egit, ut  
idem Leo Pontifex, qui Thomæ Archiepiscopo Jus  
pristinum litteris Apostolicis paulo ante afferuerat,  
biennio post sententiam rursus pro Præposito datis iti-  
dem litteris pronunciaret, (a) demandata Episcopis  
Transilvaniensi, & Cracoviensi Provincia, ut publica-  
ta consuetudine, refractarios ex veteri Ecclesiæ ritu  
coercerent. Ita lis non extincta, sed ad ceteros  
quoque Præpositos, qui Joanni successerant, propaga-  
ta fuit, quoad sub Nicolao Olaho Archiepiscopo col-  
latis utrinque confiliis, pax, & quies tamquam postli-  
minio restituta est.*

Fuit

---

(a) Anno MDXV.

*Controver-  
sia inter  
Strigonien-  
sem Metro-  
politam, &  
Episcopum  
Quinque-  
Ecclesien-  
sem.*

Fuit quoque Demetrio Strigonensi Anstititi cum Valentino Quinque-Ecclesiensium Episcopo litis aliquid ob jurisdictionem obortum, quod hic Abbates, & Præpositos suæ Diœcesis ad synodum, quam Demetrius Strigonii Anno MCCCXXXII. celebrandam edixerat, proficisci vetaret, sive re ipsa Privilegium exemptionis Roma obtinuerit, sive dignitati suæ aliquid propterea decerpi putavit. Quid vis in causa erat, Demetrius re ad Urbanum VI. delata, facile Pontificem permovit, ut is scriptis propterea ad Bacsiensem Præpositum, cui causæ cognitionem commiserat, litteris vetus sibi in Abbates, & Præpositos Quinque-Ecclesiensis Diœcesis jus affereret. In hæc autem verba litteræ Pontificis exaratae erant. (a) „ „ Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto „ filio Præposito Ecclesiæ Bacsiensis salutem & Apo- „ stolicam Benedictionem. Nuper pro parte dilecti „ filii nostri Demetrii Sanctorum quatuor Coronato- „ rum Presbyteri Cardinalis, Administratoris Eccle- „ siæ Strigonensis in Spiritualibus, & temporalibus „ per Sedem Apostolicam deputati, fuit Nobis expo- „ situm, quod licet tam in fundatione omnium Ec- „ clesiarum, etiam Collegatarum, & Regularium in „ Regno Hungariæ per Reges ejusdem Regni, qui „ fuerunt pro tempore, fundatarum, statutum fuerit, „ & etiam ordinatum, quam etiam antiqua & appro- „ bata,

---

(a) PETERFY Concil. Hung. Part. I. pag. 180.

„ bata , & hactenus pacifice observata consuetudine  
„ sit obtentum , quod Ecclesiæ istæ omnimodæ juris-  
„ dictioni Archiepiscopi Strigonienfis existentis pro-  
„ tempore , subesse , ac institutio , ac destitutio perso-  
„ narum in Ecclesiis ipsis pro tempore degentium ,  
„ ad ipsum Archiepiscopum pertinere deberent , ac  
„ personæ ipsæ ad synodum ejusdem Archiepiscopi  
„ convenire , & in procurationibus , & subsidiis Lega-  
„ torum dictæ Sedis , aliisque incumbentibus oneribus ,  
„ cum Clero Civitatis , & Diœcefis Strigonienfis con-  
„ tribuere tenerentur , præmissaque in dicto Regno  
„ tanto tempore observata sint , cuius contrarii me-  
„ moria non existit , ac in Civitate , & Diœcefis Quin-  
„ que - Ecclesiensi sint nonnullæ Ecclesiæ hujusmodi  
„ per Reges dicti Regni existentes pro tempore , ut  
„ præfertur , fundatæ , tamen venerabilis Frater no-  
„ ster Valentinus Episcopus Quinque Ecclesiensis  
„ prætextu cujusdam surreptitii Privilegii a Sede A-  
„ postolica , ut dicit , obtenti , quod idem Episcopus  
„ exhibere recusat , Clericos , & personas Ecclesiasti-  
„ cas Ecclesiarum hujusmodi in suis , Civitate , &  
„ Diœcefis supra dictis consistentium , ab hujusmodi  
„ subjectione , & contributione defacto , & cum inhí-  
„ bitione , & adhuc subtrahere non veretur , in dicti  
„ Cardinalis , & prædictæ Strigonienfis Ecclesiæ de-  
„ trimentum , & scandalum plurimorum . Quare pro  
„ parte ipsius Cardinalis fuit nobis humiliter supplica-

„ tum, ut providere super hoc de opportuno reme-  
 „ dio dignaremur: Nos itaque hujusmodi supplicatio-  
 „ nibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scrip-  
 „ ta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocan-  
 „ di, super præmissis, prout consuetum est fieri, au-  
 „ thoritate mandata Apostolica facias observari: Te-  
 „ stes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio,  
 „ vel timore subtraxerint, per Censuram Ecclesiasticam  
 „ appellatione cessante, compellas veritati testimo-  
 „ nium perhibere, contradictores eadem authoritate,  
 „ appellatione postposita, compescendo. Non obstan-  
 „ te, si præfato Episcopo vel quibusvis aliis commu-  
 „ niter, vel divisim a præfata sit Sede indultum,  
 „ quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut  
 „ ad judicium evocari non possint, per litteras Aposto-  
 „ licas, non facientes plenam, & expressam, ac de  
 „ verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.  
 „ Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VIII. Junii,  
 „ Pontificatus nostri anno quinto. „ Quem finem lis  
 acceperit, non constat. Certe serius postea eadem in-  
 ter Joannem Kanyfaium Strigonensem, & Valentiniuni  
 Quinque Ecclesiensem recruduit, quoad opera Bonifa-  
 cii Papæ IX. Antistites inter se conciliati, & jus pri-  
 stinum Strigoniensi vindicatum suisset.

Simili pro premodum litigatione idem Joannes de *Sigismundus Præpositus Posoniensem ex Strigoniensi exi-*  
*Kanya Strigonensis cum Joanne Præposito Posonien-*  
*fi ad annum MCCCCIV. commissus est. Erat hic Si-*  
*gismundo ab secretis litteris, & Budensi Urbi Paræ-*  
*cus ab Rege datus, qui, cum forte imperata Archi-*  
*episcopi facere detractaret, ac propterea, ut erat pri-*  
*mæ apud Regem admissionis, injuriam sibi ab illo in-*  
*ferri, nec satis pro dignitate Præpositi se haberi, ac*  
*denique accusari in curia Romana quereretur, Sigismun-*  
*dus a Præposito, ut reor circumventus, hunc cum*  
*Capitulo Posonensi, & Budensi Clero ab jurisdictione*  
*Archiepiscopi exemptum, suo duntaxat Judicio*  
*subjectum publicis litteris declaravit. Sic autem ha-*  
*bent (b) „ Sigismundus Dei gratia Rex Hungariæ &c.*  
*„ Marchio Brandenburgensis, S. R. Imperii Generalis*  
*„ Vicarius, & Regni Bohemiæ Gubernator. Fideli*  
*„ suo Reverendo in Christo Patri Domino Joanni Ar-*  
*„ chiepiscopo Strigonensi salutem, & gratiam. Gravis*  
*„ ac dolorosa querela fidelis nostri dilecti, honorabi-*  
*„ lis viri, Domini Joannis Posonensis Præpositi, &*  
*„ Plebani Budensis, nostri Secretarii, aures nostras*  
*„ creberrime perpulsavit, quomodo Vos, Vicarii, &*  
*„ officiales vestri per Sedem Strigonensem exquisi-*  
*„ tis cautelis, per indirectum, nullo Juris ordine ob-*  
*„ servato, sed sola potentia vestra, & rancore*  
*„ dudum adversus ipsum concepto, eundem Do-*

„ minum Joannem, & Clerum sibi subjectum in di-  
 „ cta Præpositura Posoniensi, nec non in Ecclesia Pa-  
 „ rochiali prædicta Budensi, & Capellis sibi subjectis,  
 „ & earundem Præposituræ videlicet & Parochialis  
 „ Ecclesiæ jurisdictione, & consuetudine, quas ab an-  
 „ tiquo semper obtinuerunt, & obtinent de præsenti,  
 „ multipliciter vexaretis, perturbaretis, molestaretis,  
 „ & impediretis, ac iterum vexare, perturbare, mo-  
 „ lestare, & impedire velletis, tum authoritate ordi-  
 „ naria, quam super ipsum, licet excessive vos habe-  
 „ re prætenditis, quam etiam in Romana Curia, ubi  
 „ ipsum, & Ecclesiam suam Parochialem Budensem  
 „ ad ultimum exterminium deduxistis. Nos igitur hu-  
 „ jusmodi suæ tribulationi, vexationi, & orphaneitati  
 „ paterna pietate condolentes, pensantesque nihilomi-  
 „ nus, fidelia continua, & gratissima servitia sua, quæ  
 „ Nobis, & Regno Nostro Hungariæ, lateri Nostro  
 „ semper adhærens, exhibere non desinit, qui Nobis-  
 „ cum in cunctis nostris tribulationibus, & angustiis  
 „ permanendo ubique constans permanxit, nec quis-  
 „ quam valeat occasione præmissarum vexationum ve-  
 „ strarum Ecclesiæ, & Clerum sibi subjectas, & sub-  
 „ jectum, nisi nostro præsidio defensare, ipsum cum  
 „ universo Clero sibi subjecto a vestra prorsus jurisdi-  
 „ ctione, & judicio eximentes, liberantes, & absolven-  
 „ tes, Nostro dumtaxat judicio & judicatu volumus esse  
 „ subjectum. Quocirca fidelitati vestræ firmissime Re-  
     gio

„ gio sub edicto præcipiendo mandamus, quatenus a  
„ modo, & in antea præfatum Dominum Joannem,  
„ & Clerum sibi subjectum, tam in Præpositura Poso-  
„ nienſi, quam in Ecclesia Parochiali Budensi nequa-  
„ quam judicare, seu vestro adſtare judicatui, per ve-  
„ ſtros Vicarios, & officiales compellere, nec ipsum,  
„ & Clerum sibi subjectum per vestrar, ac Vicario-  
„ rum vestrorum litteras, censuras, & proceſſus dein-  
„ ceps vexare, molestare, & impedire, quovis modo  
„ præſumatis, ſed eundem potius ab omni veftra, &  
„ vestrorum jurisdictione exemptum, & ſupportatum  
„ habeatis. Si quid autem vos actionis adverſus eun-  
„ dem Dominum Joannem, vel fuos ſubditos habere  
„ prætenditis, id coram Nobis, tamquam ſuo unico  
„ Judice legitimo profequi debeatis, ex parte cujus  
„ Nos vobis plenam Iuſtitiam, prout expediens fue-  
„ rit, faciemus. Volumus etiam, quod juxta Decre-  
„ ti noſtri tenorem, quod vobis cum præſentibus di-  
„ rigimus, nec in Curia Romana, nec extra contra  
„ eundem litem movere, ſeu quovis modo procedere  
„ debeatis, & aliud ſub poena præmissa, & indigna-  
„ tione Noſtra graviflma facere non aufuri: præfen-  
„ tes etiam perlefas apud præſentantem volumus per-  
„ manere. Datum Posonii feria 6ta proxima ante  
„ Dominicam Jubilate, Anno Domini MCCCCIV.  
Cujusmodi vexationes hæ fuerint, an ad Jurisdictionem  
certis limitibus circumſcripam, an contra, ad  
bona

bona temporalia, quorum non exigua portio olim ab ipsis Archiepiscopis ad Capitulum accesserat, (a) an alio pertinuerit, non est proditum. Si primum in causa erat, ut Regis beneficio, ac jussu Præpositus cum Capitulo ab Jurisdictione Archiepiscopi exemptus, ita eodem Seculo Jus pristinum Metropolitæ

(a) In Canonica Visitatione jam supra memorata ad secundum quæsumum Canonici ita responderunt. „ Possessiones alias esse communes cum Domino Præposito, alias proprias Præpositi, alias vero proprias esse Capituli. *Vasárut* vigore Donationis Belæ IV. Regis Hungariae circa annum 1235. quam Donationem anno 1327. Carolus Rex confirmavit, Dominu Præposito, & Capitulo communem esse. *Nyárasd* similiter possessionem duodecim Sessionum esse communem Domino Præposito, & Capitulo. *Szilincs* similiter communem esse possessionem, quam donavit Ladis'aus Rex, eo quod Ecclesiam Posoniensem omnibus bonis spoliataam reperisset, dum Rege Boemorum devicto viator in Hungariam rediret. *Oblincz*, & *Fluncendorf* Prædia similiter communia donata esse ab eodem Rege Ladislao anno 1280. propter præclara merita Paschasi Præpositi Posoniensis, & maxime propter coimpositam pacem inter Austriaeos, & Hungaros. *Crukard* possessionem eodem modo communem, donatam esse a Joanne Comite Posoniensi Anno 1291. dum in Austriam contra Teutonicos procederet, donationemque eam confirmatam haberi ab Andrea III. Carolo, Sigismundo, & alii. *Pappfalvum* possessionem fuisse quidem communem, sed excissam esse quartam partem Domino Præposito, preter certas terras arables ad Custo' em pertinentes. *Völck* possessionem esse solius Capituli. *Körment* possessionem a tempore, cuius memoria non exstet, esse solius Capituli, sed nunc esse desertam. *Torony* possessionem duodecim sessionum donatam esse soli Capitulo a Jacobo Comite Posoniensi anno 1296. In Insula Csallóköz, in *Báár* possessione Joannem quemdam litteratum, alias Canonicum Posoniensem Curiam Nobilitarem cum XL. jugeribus terræ soli Capitulo donasse, ut patet ex donationalibus anni 1300. Quia vero omnes istæ possessiones, solis *Szilincs*, *Nyárasd* & *Vasárut*, exceptis, quæ frumentum ferunt, item *Crukard*, unde Jus montanum ex vino habetur, ita steriles essent, ut nullo modo pro sustentatione viderentur sufficere, habito respectu exiguitatis proventuum, tam Præpositi, quam Capituli, liberalitate Divorum Hungariae Regum omnes prefatarum possessionum Colonii ab omnibus Dicis, Taxis, & Contributionibus Regalibus, ut ex Privilegiis Ladislai, Caroli, Sigismundi, & Mathiæ primi pateret, suissent exempti, quæ tamen exemptione nunc non servaretur, visa eadem temuitate pro-

litæ assertum fuit , & ab hoc Præpositi potestas intra certos terminos constricta. In Canonica enim Visitatione Capituli, ad primum caput , ita responsum fuisse reperio. „ Ut ex originalibus litteris Illustrissimo Dominino Archiepiscopo in specie productis constat , „ anno Domini MCCCCCLXIX. Joannes Archiepiscopus Strigoniensis consulere volens utilitati subditorum , qui a Sede Archiepiscopali longius distabant , „ parcensque labori , & expensis litigantium, Georgium Præpositum Posoniensem in officialem , seu Vicarium suum tam in foro conscientiæ , quam litigioso constituit. Terminos autem , seu metam Jurisdictionis suæ esse voluit in superiori Diœcesi Archiepiscopatus , quam Fluvius Vagh ab alia parte inferiori

ri

---

„ proventuum , pro subsidio ejusdem Capituli ex liberalitate Dominorum Archiepiscoporum Strigonensium , donatas fuisse Præposito , & Capitulo Decimas Decimatarum Vini Promontoriorum ab Arce Dévény , eosdem Dominos Archiepiscopos ex Decinis frugum donasse Capitulo in Insula Csallóköz , in Dévény , Recze , Pracha , ac Dominiis Stomfa , & Detrekö , quartas , prout in Dominiis Sancti Georgii , Bozyn , addita medietate frugum decimalium in Territorio Civitatis Posoniensis , in quarum usu , ac perceptione , quæ difficultates , vel per incuriam , vel per injuriam temporum emerferunt , ut earum complanationem Illustrissimus , ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Strigonensis paterne fieri mandet , debita cum instantia petitur. Item anno 1306. Thomam Archiepiscopum Strigonensem , decimam partem in portu Posoniensi , tam in trajectu , quam in telonio , & similiter ad Vereknye decimam partem contulisse Ecclesia Posoniensi : & quidem in portu Posoniensi dictam decimam partem arendari singulis annis Civibus Posoniensibus in certa pecunia Summa ad novum Annum solvi consueta , sed eandem decimam partem injurya temporum esse in Vereknye prorsus abalienatam . „ Mirum est , nullam in Visitatione Canonica mentionem fieri pulchræ villa , quam Custos Capituli extra urbis ambitum possidebat ; cuius incolas cum Cives Posonienses vi abduxissent , orta est suburbii platea Schyndvser Gasen dicta. Sed hæc serius detecta sunt.

„ ri disternat; ita quod incipiat ipsa jurisdictione a  
 „ Fluvio Vagh secundum fluxum ejus usque ad Da-  
 „ nubium, & tendat usque ad metas Moraviæ, ac  
 „ deinde secundum cursum Fluvii Morava, qui sub Castro  
 „ Teben in Danubium cadit. In Insula autem Csal-  
 „ lóköz ipsa Jurisdictione in tantum se extendit, quan-  
 „ tum protenditur Jurisdictione Archidiaconatus Pofo-  
 „ niensis. Hæc vero dispositio etiam ad successores  
 „ Georgii Præpositi extensa reperitur in dictis litteris,  
 „ dum modo jurisdictione sibi in hac parte collata  
 „ non abutatur. Hanc Joannis Archiepiscopi ordi-  
 „ nationem, anno MCCCCLXXIII. confirmasse repe-  
 „ ritur Marcus Legatus Apostolicus, quam eandem  
 „ rursus anno MCCCCLXXXVIII. Hyppolitus E-  
 „ stensis, Archiepiscopus Strigonensis ratificavit, in-  
 „ novavit, ac perpetuo valitaram confirmavit. „  
 Hactenus Posoniensis Capituli responsa. Videtur au-  
 tem hæc delegatæ jurisdictionis œconomia illo usque  
 perdurasse, donec, occupato per Turcas Strigoniæ,  
 Archiepiscopus cum Collegio Sacerdotum migrare alior-  
 sum coactus, Tirnaviæ sedem temporariam figeret.  
 Hic cum ratio, ob quam Posoniensi Præposito dele-  
 gata jurisdictione erat, suapte cessaret, & Archiepiscopi  
 Vicarius in promtu esset, veri simile fit, eodem  
 tempore Jurisdictioni Posoniensis Præpositi deroga-  
 tum esse.

Ad hunc modum descriptis limitibus, intra quos Archiepiscoporum Strigoniensium jurisdic<sup>tivæ</sup> contineantur, ad ea venio, quæ ad eorum dignitatem cum sacram, tum profanam pertinent. Illius generis est prærogativa Metropolitæ, Primatis, & Legati nati, nam tituli Patriarcharum Jerosolymitani, & Constantinopolitan, quibus aliquos usos fuisse lego, favoris Romani, non juris argumenta sunt: hujus Supremi, ac perpetui Comitis, summi, & Secretarii Cancellarii, Personalis præsentia Regiæ Majestatis, ac jus coronandorum Regum, ut nihil dicam de Principis Imperii honore, qui ab Cæsaribus Austriacis titulo Archiepiscoporum adjectus est. (a) Singula seorsim compendio perstringamus. Archiepiscopi prærogativa illo in primis commendatur, quod Suffraganeos ad synodum concire, eorumque causas cognoscere solet, & si quis ex his ob longe proiectam ætatem, aut amissum penitus rationis usum, aliamve ob causam regendæ Ecclesiæ minime idoneus effet, cum consensu Metropolitani providere de Vicario, & cœsomo, qui in illius loco Ecclesiæ res naviter curet, ne aut Ecclesia damnum, aut ab ministerio amotus Episcopus penuriam patiatur. Numerabant olim Strigonenses Archiepiscopi decem Suffraganeos, ut ex synodi illius, quæ sub Colomano Rege celebrata est, actis liquet; postea autem, quam

(a) Tametsi iam prius Strigonensis & Colocensis Archiepiscopi in diplomate Sigismundi de anno 1417. ut est apud GOLDASTUM Constat. Imp. Tom. I. pag. 393. inter Status Imperii Germanici cooptati fuerint.

Colocensis Episcopatus cum Bachiensi Archiepiscopatu conjunctus fuit, sex numero duntaxat superant: Agriensis, Quinque-Ecclesiensis, Vesprimiensis, Jauriensis, Vaciensis, & Nitriensis Episcopi. Olim Milkoviensis quoque in Valachia huc pertinebat, & novissime Munkacsiensis MARIAE THERESIAE AUGUSTÆ beneficio accessit. De his omnibus, ubi locus nos monebit, singillatim agemus.

*Metropo-  
litæ.* Quæ Metropolitici Juris sint, Eminentissimus Pazmanus in hæc verba refert: (a) „ Quod cogere pos-  
„ sit omnes Ecclesiarum totius Provinciæ Rectores  
„ eundem in psallendo tenere modum, quem in Me-  
„ topolitana Sede cognoverint institutum, nec aliqua  
„ diversitate cuiusvis ordinis, vel officii a Metropo-  
„ litana Sede discrepare, contra facientes pœnitentiæ  
„ censura corrigere. Præterea Episcopi ceteri nihil  
„ eorum, quæ ad Statum communem pertinent, age-  
„ re possunt sine præscitu Metropolitani. Ad hæc,  
„ Metropolitano non conscio, Cuiatio Episcopi fie-  
„ ri non potest, & si quis præter sententiam Metro-  
„ politani fiat Episcopus, non habetur Episcopus:  
„ dein-

(a) Append. III. ad Synodus Strigoniensem anni 1629. pag. 132. Forte id quoque ad Jus Metropoliticum pertinet, quod Strigonienses Jus habuerint eligendi sibi Cancellarios, non tantum ex iis Capitulis, quæ ad Suffraganeos suos spectabant, sed ex aliorum quoque Suffraganeorum Capitulis. Utriusque exemplum in Thoma, & Boleslao Archiepiscopis habemus. Primi ad annum 1311. Datum -- per manus -- Magistri Præpositi Vaciensis Cancellarii nostri: Alterius ad annum 1323. Datum per ma-  
nus -- Joannis Præpositi Bosnensis Cancellarii nostri.

„ deinde Metropolitanus est Judex ordinarius omnium  
„ Episcoporum Provinciae, itaque querelæ contra E-  
„ piscopos ad Metropolitanum deferendæ & Metro-  
„ politanus tenet eos coercere. „ Hæc Pazmanus;  
qui illius, quod primo loco dictum est, exemplum in  
synodo nationali edidit, decernens, uti Missæ, &  
Breviarii ratio ad normam Ecclesiæ Romanæ per to-  
tam Hungariam institueretur. Decreti hæc forma est.  
„ Licet neque Sacrosancta, & œcumonica synodus  
„ Tridentina, neque Sedes Apostolica abrogaverit  
„ usum Breviarii, & Missalis juxta antiquum, & re-  
„ ceptum ritum Ecclesiæ Strigoniensis, & ordinem,  
„ utpote quæ ante trecentos, & amplius annos rece-  
„ pta esse, & usu immemorabilis temporis confirmata  
„ dignoscuntur: nihilominus quia animadvertisit sancta  
„ synodus non paucos, nec leves in hujusmodi Bre-  
„ viariis, & Missalibus psallendis defectus contingere,  
„ inter quos non ultimum locum tenet, quod omnes  
„ fere totius Hungariæ Clerici, uno dumtaxat altero-  
„ ve excepto, privatim in recitandis horis Canonicis,  
„ ac celebrando Missæ Sacrificio, Romano Breviario,  
„ ac Missali, non vero Strigonensi utantur, cum in  
„ Ecclesia in horis decantandis, ac Missa Strigonien-  
„ sis Breviarii ritus observaretur; quod an citra læ-  
„ sionem conscientiæ fieri possit, timorato cuivis me-  
„ rito in dubium, ac scrupulum venire potest. Videt  
„ etiam sancta synodus, omnes fere Europæ Eccle-

„ fias , saltem nobiliores , reiectis propriis particularibus , Romani Breviarii ritum in officio divino canendo amplexas esse. Ipsa quoque Romanæ Ecclesiæ siæ utpote Matri , ac Matrici suæ conformare se quam proxime studens , statuit , primum quidem per aliquos pios ac doctos Viros , & rerum Ecclesiasticarum gnaros , Patronorum hujus Regni peculia- rium proprias Missas , Officia , Lectiones , Responsoria cum suis festis , & eorum octavis in unum colligi , ac compilari , ac sic collecta Sedi Apostolice proponi , quæ si hujusmodi Regni Sanctorum Tutelarium , Officia , ac Missas suis festis , ac temporibus celebranda admiserit , decernit sancta synodus se quoque Romanæ Ecclesiæ conformare , relieto veteri suo Strigoniensi Breviario , ac Missali , Romanum amplecti , & juxta ritum Romanum in Ecclesiis psallere , & Officium divinum decantare . Si vero Sedes Apostolica Patronorum officia rata habere nollet , eligit sancta synodus antiquum potius usum retinere , quam a pietate , & devotione erga Patronos suos , ac Tutelares Sanctos recedere . Ad colligenda porro hujusmodi Sanctorum festa , officia , ac Missas deputati sunt , Reverendissimi Domini Episcopi , Varadiensis , Quinque-Ecclesiensis , & Bosnensis , quæ etiam , ubi Sedis Apostolicæ auctoritate approbata fuerint , imprimi , & ad Calcem Breviarum

„ trii Romani apponi oportebit. „ (a) Eventu ipso postea firmatum est, Ritum Ecclesiæ Romanæ per omnes Hungariæ Diœceses eatenus receptum esse. Solum Zagrabiense Capitulum morem non gescit, coacta synodo decernens ab antiqua consuetudine, rituque minime recedendum esse. Frustra ab Pazmano semel, iterumque propterea admoniti sunt: qua re cum authoritati suæ derogari videret, ad Urbanum VIII. provocavit, qui, antiquata Zagrabiensium synodo, Sacerdotes illius Collegii, ac universam Diœcesim Decretis a Pazmano constitutis morem gerere jussit. „

„ Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam.  
 „ Exponi nuper Nobis fecit dilectus filius noster, Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Pazmanus, nuncupatus Ecclesiæ Strigonensis „ ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsul, „ quod licet iteratis synodis, & cum assensu nedum „ Suffraganeorum suorum, verum etiam venerabilis „ Fratris Archiepiscopi Colociensis, ejusque pariter „ Suffraganeorum, in omnibus Ecclesiis ad Coronam „ Regni Hungariæ spectantibus ritum Ecclesiæ Romanæ introduxerit, nihilominus Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis dumtaxat post lapsum XIV. Mensium ab ultima synodo Hungarica, in una Synodo anno proxime præterito congregata, assensui universalis se opposuit, oppugnando, & renuendo ritum

præ-

---

(a) Ex actis synodi anni 1630.

„ prædictum, ac protestando de habendo ad hanc sa-  
 „ cram Sedem recursu; quodque cum Missale, &  
 „ Breviarium Ecclesiæ Zagrabiensis, opera dilecti filii  
 „ nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaco-  
 „ ni Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vice-  
 „ Cancellarii, Nostri secundum carnem ex Fratre ger-  
 „ mano Nepotis, ad Romanam Curiam transportata,  
 „ & a venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ec-  
 „ clesiæ Cardinalibus contra hæreticam pravitatem In-  
 „ quisitoribus generalibus recognita, eaque variis de-  
 „ fectibus obnoxia reperta fuerint, & Venerabilis  
 „ Frater Episcopus Zagrabiensis litteris ejus ad Ve-  
 „ nerabilem Fratrem Episcopum Bosnensem, ejus Co-  
 „ adjutorem datis, pro introductione dicti ritus Ec-  
 „ clesiæ Romanæ instet, Nobis propterea dictus Pe-  
 „ trus Cardinalis humiliter supplicari fecit, ut in præ-  
 „ missis opportune providere de Benignitate Aposto-  
 „ lica dignaremur, Nos dicti Petri Cardinalis votis,  
 „ quantum cum Domino possumus, annuere, illumque  
 „ specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes,  
 „ hujusmodi supplicationibus inclinati, quod Ecclesiæ  
 „ Regni Hungariae præfatæ, illarumque Præfules, Ca-  
 „ nonici, & aliæ quævis personæ Ecclesiasticæ illa-  
 „ rum servitiis adscriptæ, Missali, & Breviario juxta  
 „ ritum Ecclesiæ Romanæ, uti omnino debeant, &  
 „ teneantur, Apostolica autoritate tenore præsen-  
 „ tiuum statuimus, & ordinamus, synodumque Dicœce-  
     „ fa-

„ sanam Zagrabiensem, ut præfertur, celebratam au-  
 „ thoritate, & tenore præsentium cassamus, irrita-  
 „ mus, & annullamus, ac pro cassata, irrita, & an-  
 „ nullata haberi volumus, & mandamus, decernentes  
 „ irritum, & inane, si quid secus super his a quo-  
 „ quam quavis authoritate scienter, vel ignoranter con-  
 „ tigerit attentari, non obstantibus constitutionibus,  
 „ & ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Ecclesia-  
 „ rum etiam juramento, confirmatione Apostolica,  
 „ vel quavis firmitate alia roboratis statutis, ac con-  
 „ suetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.  
 „ Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub  
 „ annulo piscatoris, die XXVIII. Sept. MDCXXXV.  
 „ Pontificatus nostri anno XIII. ,

Hæc vi Juris Metropolitici a Pazmano gesta sunt. *Primatis,*  
 Qui *Primatis* honor, & officium fit, idem in hæc *& Legati-*  
 verba explicat. (a) *Primas* (b) & Patriarcha unam  
 for-

(a) Laudato loc. pag. 133.

(b) Id nomen a profanis ad Ecclesiasticum usum pervasit. Ammia-  
 no dicuntur *Primates* Regionis Alamannorum, Ambrosio *Primates* confi-  
 storii, Civitatum quoque & ordinum Magistratus municipales, qui decurio-  
 num ordini præsumt, ab Imperatoribus *Primates* itidem dici confluere. Hinc ea locutio in Ecclesiam irrepit, ut patet Canone II. Concilii Tauri-  
 nensis anno 397. celebrati: illud inter Epistopos Urbium Arelatenfis &  
 Viennensis, qui de *Primatus* apud nos honore certabant, a sancta syno-  
 nodo definitum est, ut qui ex iis comprobaverit suam Civitatem esse  
 Metropolim, is totius provincie honorem *Primatus* obtineat, & ipse  
 juxta præceptum Canonum, ordinationum habeat potestatem. Vide-  
 tur autem hoc loco ea metropolis indicari, quæ in laterculo Imperii ad-  
 scripia erat, ut patet ex Canonis IX. Concilii Antiocheni verbis: prop-  
 terea

formam tenent, licet diversa sint nomina. Ad Primatem appellant Episcopi Metropolitani, & Archiepiscopi obedire debent Primi; (c) absque Primatis consensu Metropolitanus non potest ordinare Episcopum: Causas etiam Episcorum, quas Metropolitanus finire non potest, Primas definit. Hæc quidem ex norma communis Juris, quod hodie obtinet, alia olim fuit ratio: qui Metropolita fuit, idem Primatis honorem cum potestate gerebat. Legati vero prærogativam, tametsi hujus generis singillatim plures sint, (d) universo Alexander III. ad Suffraganeos Archiepiscopi Cantuariensis scribens, in hæc verba expref-  
 fit. (e) *Licet Archiepiscopus Metropolitico Jure, audire non*

---

*terea quod ad Metropolim omnes, qui negotia videntur habere concurrunt.* Quare Metropolita, & Primas idem omnino in principio erant, ut ex querela Leonis Papæ ad Anatolium Constantinopolitanum liquet, quibus *Metropolitanorum jura Primatum convelli indicabat.* Constat id etiam ex Dionysio Exiguo, qui Canonis 35. Apostolici lemma, ubi de Metropolitanis agitur, inscripsit. *De Primatu Epi'coporum.* Huc respicit Concilium Bracarense I. anno DLXIII. cum dicit: *Item placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi Primatu, ceteri Episcorum secundum suæ ordinationis tempus alias alii sedendi deferat locum.* Pari exemplo Martinus Bracarense in sua collectione Can. IV. anno DLXXII. Primatem a Metropolita non fecerit. *Per singulas Provincias oportet Episcopos cognoscere Primatum Metropolitani Episcopi, & ipsum Primatus curam suscipere.* Aliquando tamen Episcopus, qui ordinationis tempore prior est, a Pontificibus Primas quoque dicitur, ut ab Hilario Papa Constantinus Uceticæ Ecclesie Praeful vocatur. *Primas ævo honoris,* & ab eodem cura Provincia Narbonensis ob suspensum a Ministerio Hermetem Metropolitanam tuansferetur ad eum, quem repererit *Episcopalis ordo Primatem:* tametsi nulla ex hoc Primatu prærer honorem accederet auctoritas, & potestas.

(c) Distinct. 99. Cap. I. ubi Glossa hæc addit: *Metropolitanus est Judge ordinarius omnium Episcorum Provinciae: Primas tantum Archiepiscopi, unde secundum hoc major est Patriarchis.*

(d) Vide locos communes Juris Canonici articulo Legatus.

(e) Lib. Decretal. Gregor. Tit. 30. Cap. I.

*non debeat causas de Episcopatibus vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum, Legationis tamen obtentu universas, quæ per appellationem, vel querimoniam pervenient ad suam audientiam, audire potest, & debet, sicut, qui in Provincia sua vices Nostras gerere comprobatur.*

Quo tempore utriusque dignitatis prærogativam <sup>Quo tempore utramque dignitatem adepti fuerint.</sup> Archiepiscopi Strigonenses adepti sint, ne ipse quidem Pontificum litteræ, quibus dignitatem hanc illis assertum eunt, memoriæ produnt. In primordio fatis quidem arctis limitibus circumscriptam fuisse constat ex Bulla Bonifacii IX, quam ea de re ad Joannem de Kanyfa Strigonensem Archiepiscopum dedit, ut huic fere soli videatur, non item successoribus, is honor tributus. (a) „ Bonifacius servus servorum Dei, venerabili Fratri Joanni Archiepiscopo Strigonensi -- Romanus Pontifex, qui disponente Domino super omnes Ecclesiæ ordinariæ potestatis obtinet principatum, quandoque incumbentia sibi onera -- Prælatis partitur idoneis, eosque in solicitudinem Apostolici officii per amplius honorando & etiam onerando suscipit -- fane licet ad singulas Regiones Deo, & Apostolicæ sedi devotas Nostræ considerationis diffundamus intentum, tamen ad Regnum Hungariæ quadam fin-

„ gulari affectione , attentione , & consideratione , po-  
 „ tissime eximio fervore devotionis , quem Charisti-  
 „ mus in Christo Filius noster Sigismundus Rex  
 „ Hungariæ Illustris , & Tu , & incolæ dicti Regni  
 „ etiam ad Nos , & Romanam Ecclesiam non sine  
 „ magno laudis præconio gerere comprobamini , di-  
 „ rigimus aciem Nostræ mentis , ac sperantes , quod  
 „ Tu ea , quæ Tibi committimus , scies , & poteris  
 „ auctore Domino , & ad ejus laudem , Gloriam - -  
 „ exequi solicite , & fideliter , ac prudenrer . Qvam-  
 „ obrem cum affectionis paternæ solicitudine digesto  
 „ consilio , ac perpensa deliberatione , maxime quia  
 „ innumerabilium sumus negotiorum varietate dis-  
 „ tracti , ita quod humana natura , quam patimur ,  
 „ non patitur , ut essentia nostri corporis simul in di-  
 „ versis locis exhibeat se præsentem , Te , quem  
 „ percipimus Zelum Justitiæ colere , & esse pacis  
 „ auctorem , ac Tibi cœlesti dono esse provisum , ut  
 „ in arduis negotiis scias , & possis provide consule-  
 „ re , & utili consilio providere , quodque personam  
 „ tuam Dominus scientiarum magnitudine , provi-  
 „ dentiæ munere , circumspetionis gratia insignivit ,  
 „ - - ut ad hujusmodi laudem sui nominis onera  
 „ grandia supportes , plenam quoque de tuis meritis  
 „ fiduciam obtinentes , ac etiam consideratione præ-  
 „ dicti Regis , Nobis super hoc humiliter supplican-  
 „ tis , & propter optatam hujusmodi subditorum quie-  
     tem

„ tem, & salutem animarum, Te in Civitate, &  
„ Diœcesi, ac Provincia Strigonensi, nec non qui-  
„ buslibet Monasteriis, Ecclesiis, & locis, Tibi ra-  
„ tione prædicti Archiepiscopatus, ac Ecclesiæ Stri-  
„ gonensis quomodolibet subjectis Primate, &  
„ Legatum Sedis Apostolicæ natum, quamdiu Te  
„ eidem Ecclesiæ Strigonensi dumtaxat præsidere  
„ continget, de Fratrum nostrorum confilio, & Apo-  
„ stolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium,  
„ cum plenis, liberis, & commodis, potestate, ac  
„ jurisdictione, & eorum exercitio, Pramatibus, &  
„ Legatis natis competentibus de consuetudine vel  
„ de Jure, constituimus, facimus, ac etiam deputa-  
„ mus, ita ut omnia, & singula, quæ Primates, &  
„ Legati nati hujusmodi dumtaxat in Civitatibus,  
„ Diœcesibus, Provinciis, & locis eis decretis, seu  
„ subjectis, in quibus existunt Primates, & Legati,  
„ ac in eorum incolas, & habitatores exercere de  
„ Jure, vel consuetudine hujusmodi quomodolibet  
„ possunt, Tu etiam in eisdem Civitate, & Diœcesi,  
„ ac Provincia Strigonensi, ac etiam Monasteriis,  
„ Ecclesiis, & locis Tibi subjectis, ut præfertur,  
„ contra quoslibet, videlicet utriusque sexus homi-  
„ nes, tam Clericos, non tamen Sedi Apostolicæ im-  
„ mediate subjectos, quam Laicos, & quoscunque  
„ alios, qui pro tempore in eisdem Civitate, Diœ-  
„ cesi - - moram traxerint, aut degerint, libere va-

„ leas exercere ; concessa insuper Tibi auctoritate  
 „ Apostolica contradictores , & rebelles quoslibet per  
 „ excommunicationis , suspensionis , & interdicti ,  
 „ vel amotionis , aut depositionis sententias &c. ap-  
 „ pellatione postposita , compescendi libera facultate ;  
 „ non obstantibus quibuscunque - - - Datum Romæ  
 „ apud Sanctum Petrum VIII. Calendas Maii Pon-  
 „ tificatus nostri anno quinto. ,

Ex his appareat Primatis , & Legati dignitatem  
 foli dumtaxat Joanni , nec extra Dioecesim a Papa  
 tributam fuisse , quod qua ratione cum successorum  
 Pontificum testimentiis conciliari possit , non video ,  
 qui eam prærogativam vetustissimis temporibus a  
 Strigoniensibus Archiepiscopis usurpatam fatentur ,  
 & non modo ad Hungariam , qua patet , universam ,  
 sed Provincias quoque illi connexas , aut aliquando  
 subjiciendas in litteris suis extendunt . Hujusmodi sunt  
 Nicolai Papæ V. in hæc verba exaratæ . (a) „ Nico-  
 „ laus Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram  
 „ Rei memoriam . Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ,  
 „ quam imperscrutabilis altitudo Consilii Ecclesiis præ-  
 „ tulit universis , ac totius Orbis præcipuum obti-  
 „ nere voluit Magistratum , regimini licet immeriti  
 „ præsidentes curis perurgemur assiduis , & continua  
 „ me-

(a) Ex autographo transmoto venerabilis Capituli Strigonensis de anno 1504.

„ meditatione pulsamur, ut juxta creditæ nobis Di-  
 „ spensionis officium Ecclesiarum omnium, Metro-  
 „ polis præsertim honore fulgentium, decus, & ve-  
 „ nustras accrescant, eademque Ecclesiæ Nostri mi-  
 „ nisterii suffragio votivis jugiter proficiant incre-  
 „ mentis, ac prærogativæ, & honoris debiti conti-  
 „ nui gratulentur eventibus. Nuper siquidem Cha-  
 „ rissimus Filius noster Ladislaus Hungariæ Rex Il-  
 „ lustris nobis exposuit, quod olim, postquam Eccle-  
 „ sia Strigonensis per Beatum Stephanum Hungariæ  
 „ primum Regem fundata, & velut omnium aliarum  
 „ ipsius Regni Ecclesiarum prima, & magistra in  
 „ Metropolim auctoritate Apostolica erecta, & de-  
 „ corata, (a) ut tam ad ipsius Beati Regis, quam  
 „ aliorum post ipsum in eodem Regno successorum  
 „ instantiam per diversos Romanos Pontifices præde-  
 „ cessores nostros præ aliis ejusdem Regni Ecclesiis  
 „ Primatiæ, illiusque Præsul pro tempore existens  
 „ Legationis natæ officio, & honore insigniti exsite-  
 „ runt, Antistites ejusdem Ecclesiæ pro tempore  
 „ existentes, Officio, Honore, ac Jurisdictione, &  
 „ Legatione prædictis, a tempore, cuius initii me-  
 „ moria hominum non existit, in utroque foro etiam  
 „ indistincte continuo usi fuerunt, prout etiam moder-  
 „ nus Archiepiscopus in illorum pacifica possessio-  
 „ ne,

(a) Olim hac auctoritate opus non erat. Nam si Urbs a Princeps  
Metropolis Regni designata fuit, Episcopus Urbis illius jam ex veteri  
Ecclesiæ ritu suapte Metropolita erat.

„ ne, vel quasi existens utitur etiam de præsenti.  
 „ Quare præfatus Rex Nobis humiliter supplicavit,  
 „ ut Jurisdictionem Primiatiæ, & Legationis hujus-  
 „ modi cum honoribus, oneribus, & prærogati-  
 „ vis debitis, & consuetis eidem Ecclesiæ quo-  
 „ modolibet competentibus, & quibus Archiepisco-  
 „ pi prædicti de Jure, vel consuetudine hactenus  
 „ usi sunt, modernus ad præsens utitur, ut præfer-  
 „ tur, approbare, & confirmare, quodque dilectus  
 „ filius noster Dionysius tituli Sancti Cyriaci in Ther-  
 „ mis Persbyter Cardinalis, ex dispensatione (a) Se-  
 „ dis Apostolicæ ipsius Ecclesiæ Archiepiscopus,  
 „ suique successores pro tempore existentes in singu-  
 „ lis præfati Regni, nec non partium eidem subje-  
 „ ctarum, & in posterum forsan subjiciendarum,  
 „ tam Cathedralibus, & Metropolitanis, quam aliis  
 „ etiam exemptis Ecclesiis omnimoda potestate, Ju-  
 „ risdictione, & Legatione hujusmodi, tam in foro  
 „ conscientiæ, quam contentioso, uti & gaudere,  
 „ Jurisdictionemque, & Legationem prædictas ex-  
 „ ercere libere, & licite possint, & valeant, de novo  
 „ concedere de benignitate Apostolica dignaremur.  
 „ Nos igitur eorundem prædecessorum nostrorum ve-  
 „ stigiis inhærentes, hujusmodi supplicationibus incli-  
 „ nati, Jurisdictionem Primiatiæ, & Legationis præ-  
 „ di-

---

(a) Seculo XII. in Rescriptis Pontificum ad Strigonienses Archiepi-  
scopos hæc forma nondum in uisu erat: sed hæc aut hujusmodi: cui (Stri-  
goniensis Ecclesia) auctore Deo præesse dignosceris &c.

„ dictarum auctoritate Apostolica tenore praesentium  
 „ approbamus, & confirmamus, ac praesentis scripti  
 „ patrocinio communimus, & nihilominus pro potiori  
 „ cautela praefato Dionysio, suisque successoribus  
 „ ejusdem Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopis,  
 „ qui erunt pro tempore, quod in singulis ejusdem  
 „ Regni partium hujusmodi de Jure, vel consuetu-  
 „ dine eidem subjectarum, & subjiciendarum Metro-  
 „ politanis, Cathedralibus, ac aliis licet exemptis  
 „ Ecclesiis, circa earumque personas, ac eisdem  
 „ quomodolibet subjectas & subjiciendas tam Ecclesi-  
 „ asticas etiam exemptas, quam mundanas omnimo-  
 „ da potestate Primiæ, & Legationis earundem tam  
 „ in foro conscientiæ, quam contentioso cum hono-  
 „ ribus, oneribus, & prærogativis debitibus, & consue-  
 „ tis, perpetuis futuris temporibus uti, & gaudere,  
 „ Jurisdictionemque, & Legationem prædictas libere,  
 „ & licite exercere possint, & valeant auctoritate  
 „ praefata harum serie concedimus pariter & indulge-  
 „ mus, non obstantibus constitutionibus, & ordina-  
 „ tionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibus-  
 „ cunque. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ  
 „ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Domini  
 „ cœ MCCCCCLII. (a) IX. Calendas Aprilis, Pon-  
     ti-

(a) In autographo diserte expressius est annus 1451. sed errore est aut scribentis, aut translumentis, ut patet ex anno Pontificatus, cum Nicolaus se-  
dere coepit anno 1447. pridie Nonas Martias, & Ladislaus anno 1451. in  
potestate Friderici fuerit, ac in itinere Romano.

„ tificatus nostri anno sexto. „ Similis argumenti litteras eodem anno, X. Calendas Maji, precibus Ladislai Regis, qui Friderico Neapolim profecto, Romæ restiterat, ad id adductus vulgavit, quibus, quæ prioribus litteris complexus erat, denno confirmat. „ Nos,  
 „ inquit, - - modernum, ac pro tempore existentem  
 „ Archiepiscopum Strigonensem, sicut post Regem  
 „ præfatum primus existit, ita etiam in Parlamen-  
 „ tis, & quibusvis aliis actibus egregiis post ipsum  
 „ Regem primum locum, & primam vocem obtinere  
 „ debere, quodque infra limites suæ Legationis, ce-  
 „ teris Præfulibus, si quos adesse contingat, in ea re  
 „ cessantibus, solus ubique ante se crucem deferri  
 „ facere, ac de causis, quæ infra limites Legationis  
 „ hujusmodi, etiam per simplicem querelam, coram  
 „ eo, & apud dictam Sedem moveri, & verti con-  
 „ tigerit, cognoscere, & cognosci facere, causasque  
 „ hujuscemodi committere, ceteraque omnia, & fin-  
 „ gula, quæ auctoritatem, officium, & Honorem Pri-  
 „ matiæ, & Legationis hujusmodi de Jure, & con-  
 „ suetudine, aut alias quomodolibet concernunt, fa-  
 „ cere, & exequi, ac ab universis, & singulis perso-  
 „ nis, tam Ecclesiasticis, etiam Religiosis licet ex-  
 „ emitis, quam mundanis infra dictos limites pro-  
 „ tempore existentes, quod decreverit per censuram  
 „ Ecclesiasticam, auctoritate Apostolica, in hac parte  
 „ sibi specialiter attributa, firmiter observari facere  
 „ pos-

„ posse libere, & licite, tenore præsentium declara-  
„ mus. (a) „

Hactenus Pontificum litteræ, quibus utramque prærogativam Strigonienfibus Archiepiscopis, non consignato, quo cæperint, tempore, attribuunt: tametsi Primatis dignitas ad ipsa conditi Archiepiscopatus primordia merito figenda, nec Pontifice solum, sed Stephano etiam primo Rege, auctoribus, videatur, ut Bela IV. in suis litteris luculentissimum testimonium præbet. „ Cum sancta, inquit, Strigonienfis Ecclesia locum Primatis in Regno nostro tene- „ re dignoscatur tam a Beata Sede Apostolica, quam „ a Sancto primo Rege Stephano, nostro progenitor, qui prædictam Sanctam Ecclesiam fundavit, „ dotavit, & libertatibus firmavit, & stabilivit, ac „ servitorum amplitudine, & multitudine dignitatum „ decoravit: Nos ejusdem vestigiis inhærentes aliquo „ donativo remunerationis, & libertatis amplioris „ consecutione, Archiepiscopum, & Ecclesiam Stri- „ gonensem aliis Ecclesiis præferre volentes, prout „ fuit, & est, has Gratias speciales, & Donationes „ ad præsens duximus faciendas. (b) „

M 2

Ce-

(a) Append. III. pag. 148.

(b) Ex Originali. Datum est 1239. III. cal. Octob. similia habentur in ejusdem Bela litteris anni 1256. Cum eadem Ecclesia Strigonienfis a prima sui Fundatione - super omnes Ecclesiæ Cathedrales totius Regni Hungariae velut omnium Ecclesiarum Primas sit &amp;c.

*Sigismundus Rex  
vetat litteras Romanas sine Placato Regio vulgari.*

Ceterum ad Legati prærogativam non dubitem ilud etiam pertinere, ut, cum Reges Hungariæ Judicato Curiæ Romanæ non standum arbitrarentur, aut illo appellare vetarent, causæ Strigoniensis Archiepiscopi arbitrio committerentur. Exemplum hujus in Sigismundo Rege habemus, qui cum videret importuna ex Urbe Bullarum missitatione quietem Regni, ac communem Juris consuetudinem interturbari, gravissime vetuit, ne quæ deinceps litteræ Roma missæ a quoquam acceptarentur, nisi Rex suum consensum præbuisset. (a) „ Nos Sigismundus Rex Hungariæ „ &c. Marchioque Brandenburgensis S. R. I. Vicarius Generalis, & Regni Bohemicæ Gubernator. „ Universis, & singulis præsentibus inspecturis, & lecturis, præsentium serie volumus fieri manifestum, „ quomodo non nulli, imo quam plures regnicolæ „ nostri Ecclesiastici videlicet, & seculares creberrimis vicibus tribulationes, & exactiones, damna, „ nocimenta Jurium, & Jurisdictionum ipsorum alterationes, ac violationes ipsis per Bullatos hactenus irrogatas, & illatas fuisse, ac irrogari de præfenti lamentabilibus vocibus, & turbatis animis „ Nobis propalarunt, adeo insuper censuras Ecclesiasticas, ut puta citationes extra Regnum, excommunicationes, interdicta, monitiones, pecuniarum, „ rerum, bonorum exinde exactiones, extorSIONES, „ &

---

(a) Ex Originali.

„ & privationes, gravatos, impeditos, & molestatos  
 „ acclamarunt, quod nisi superinde eis remedium re-  
 „ levationis, & liberationis adhiberetur opportunum,  
 „ ad ingentem exinanitionem rerum, & bonorum,  
 „ imo status, libertatis, & Jurisdictionis eorundem  
 „ exterminium eos oporteret devenire, supplicantes  
 „ nostro culmini humiliter, & devote, ut eis, &  
 „ eorum statui, totiusque Regni nostri utilitati, &  
 „ commodo, regali præsidio, & defensionis auxilio  
 „ succurrere dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum,  
 „ & præcipue nobis subjectorum incommodis subve-  
 „ nire, & calamitates, quibus gravantur, reprimere  
 „ tenemur, eisque toto nostro posse, & voluntate  
 „ obviare, auditis præmissis lamentabilibus querelis,  
 „ & experientia nonnullis temporibus super eis re-  
 „ cepta, oppressiones nihilomius, & hujusmodi tri-  
 „ bulationes hucusque præsertim his proximis distur-  
 „ biorum, & Regni nostri motionum temporibus per  
 „ Bullatos, ac alios authoritate Sedis Apostolicæ,  
 „ quoad nostri Honoris, Status, & gradus dejectio-  
 „ nem, Regni nostri, & Coronæ in aliud translatio-  
 „ nem, (a) ac alias ad nostri totalem depositionem

M 3

,, la-

---

(a) Ladislauum Apuliae Regem, & Caroli parvi filium intelligit, cui  
 Papa impense favebat, et si putem Papam non omnium, que illius causa  
 factiosi moliebantur, conscientiū suisse, quod conjicio ex alio Sigismundi Di-  
 plomate anni 1398. ubi hæc reperio: *Idem Stephanus dictus Urdungh*  
 - Nos - ad instar subdoli serpentis de dictis Regnis nostris elini-  
 minare, excludere, & exterminare moliebantur. Nam iidem uterque  
 Ste-

„ laborasse, & adhuc sentimus indefessè laborare,  
 „ nos, & Regnicolis nostris illatas, & irrogatas, ani-  
 „ mo jam ulterius tolerare non valentes patienti,  
 „ attendantes potissime, nefarium illi obedientiæ de-  
 „ bitum debere reddere, qui subditorum utilitati, &  
 „ paci repugnans, eos doloris machinationibus, laten-  
 „ tibus insidiis afficere, & publicis nocumentis non  
 „ definit laceffere, omnium Prælatorum, Baronum,  
 „ Procerum, Militum, Nobilium, & universitatum di-  
 „ tioniis Sacræ Coronæ Regiæ Hungariæ, atque nos-  
 „ tro confilio, & matura deliberatione diutius præha-  
 „ bitis, eorumque utilitate, intentione, imo petitione  
 „ ad hoc nobis porrecta, præsentium serie authori-  
 „ tate ejusdem Sacræ Coronæ, & de plenitudine  
 „ Regiæ potestatis volumus, pronunciamus, sanci-  
 „ mus, decernimus, & declaramus, quemadmodum  
 „ pridem factum, & dispositum fuisse voluimus, ut  
 „ nullus Bullatus autoritate videlicet Apostolica,  
 „ vel alia quavis, præterquam nostra, sine nostro spe-  
 „ ciali consensu, & assensu, beneficia Ecclesiastica  
 „ curata, vel non curata cujuscunque valoris exis-  
 „ tant, olim vigore Litterarum Apostolicarum, &  
 „ Le-

---

*Stephanus - - hujusmodi litteras a Ladislao Rege Apuliae nato scili-  
 cet quondam Caroli Regis - - obtinuerunt, ut iidem Viri perfidi - -  
 in antefatis Regnis nostris Vicarii ipsius Ladislai Regis effent Gene-  
 rales - - Nunciis, & Syndicis suis ad Bayzath Dominum Turco-  
 rum super eo, ut ipsius Bayzath filiam eidem Ladislao Regi matri-  
 moniali fædere copulare, & post Copulationem Sacro Regio Diadema-  
 te ipsius Regni nostri - - voluissent coronare, solicite destinatis &c.*

„ Legatorum ejus, seu aliorum quorumcunque Præ-  
„ latorum acceptari, & assequi solita, acceptare, af-  
„ sequi, & etiam tempore disturbiorum proxime præ-  
„ teritorum Regni nostri assecuta, & obtenta possi-  
„ dere, retinere, & habere, durantibus dissensionum  
„ Regni nostri temporibus -- nec aliquis Prælatorum  
„ eorundem, & virorum Ecclesiasticorum, cujuscun-  
„ que status, ordinis, gradus, conditionis, vel præ-  
„ eminentiæ existat, pariter Nobiles seculares Jus  
„ patronatus eligendi, & præsentandi habentes, bene-  
„ ficia qualiacunque, vel quomodocunque vacantia,  
„ vel vacatura, eisque providere, & de eis dispone-  
„ re in toto, vel in parte, præter nostram Majesta-  
„ tem, cujus dispositioni, collationi, & provisioni  
„ ea pleno Jure reservamus; nullasque literas Apos-  
„ tolicas, rescripta cujuscunque tenoris, seu Lega-  
„ torum, Cardinalium, Auditorum, ac Judicum, Offi-  
„ cialium, & Executorum quorumcunque, sive in Ro-  
„ mana Curia, sive extra eandem, cujuscunque te-  
„ noris, roboris, firmitatis, & continentia existant,  
„ tam in causis beneficialibus, quam in aliis quibus-  
„ cunque causis litigiosis, sacris vel profanis, eman-  
„ tas, vel obtenta, valeant, atque possint; authorita-  
„ te Regia supradicta irritum decernentes, & inane,  
„ si quid contra hæc per quempiam scienter, vel  
„ ignoranter contigerit attentari: contradictores deni-  
„ que, & huic Decreto repugnare attentantes cri-

„ men

„ men læſæ Majestatis incurrere, & irremissibiliter  
 „ volumus condigna ultione punire. Quocirca vobis  
 „ universis, & singulis Prælatis, Abbatibus, Præpo-  
 „ sitis, Prioribus, Guardianis, Capitulis Ecclesiærum  
 „ Parochialium, & Capellanum Rectoribus, aliis  
 „ etiam cunctis viris Ecclesiasticis, cujuscunque sta-  
 „ tus, conditionis, & dignitatis existant, firmo Re-  
 „ gio sub edicto, nec non sub poena capititis, & pri-  
 „ vationis Beneficiorum, & rerum singularum, præ-  
 „ cipiendo mandamus, quatenus a modo deinceps  
 „ nullas hujusmodi litteras Apostolicas, Legatorum,  
 „ Cardinalium, Auditorum, & aliorum quorumvis Ju-  
 „ dicum, & Officialium Curiæ Romanæ, nec non ci-  
 „ tationes, inhibitiones, Rescripta, Executiones, &  
 „ Processus cujuscunque tenoris existant, tam in cau-  
 „ salibus, Beneficialibus, quam in foro contentioso,  
 „ five in dicta Romana Curia, five extra, per quos-  
 „ cunque Judices Papales, & Executores emanatas,  
 „ & obtenta, recipere, publicare, & executioni  
 „ demandare quovis modo præsumatis sine nostro con-  
 „ sensu, & licentia speciali, & aliud sub poena præ-  
 „ missa facere non ausuri. Præsentes etiam volu-  
 „ mus in locis, & ædibus aptis publice facere pro-  
 „ clamari. Datum Posonii Dominico die in octava  
 „ Paschæ, anno Domini MCCCCIV.

Id deinceps in legem abiit sub Mathia Corvino, <sup>Appella-</sup>  
 qui anno MCCCCLXXI. ex Ordinum scito decrevit, <sup>tiones Ro-</sup>  
<sup>manæ ad</sup> *quod nullus penitus Regnicolarum, sive sint Clerici, si*  
<sup>Regni leges</sup>  
*ve Seculares contra libertatem Regni, qua a tempore*  
*quondam Sanctissimi Stephani Regis illibate utitur, di-*  
*recte, omisso medio, conquestum a Curia Romana contra*  
*quempiam impetrare possit. Sed quilibet prius hic in*  
*Regno, coram suis Judicibus ordinariis, jus suum pro-*  
*sequatur, & ita tandem, si voluerit, per viam appell-*  
*lationis causam suam introducat: quibus contrafacentes*  
*beneficiati suo beneficio priventur, non beneficiati autem*  
*pænam capitilis luant.* (a) Nihil tamen hac lege Juri  
 Metropolitico derogatum a Rege fuisse, constat ex  
 Decreto Anni MCCCCLXXXI. ubi inter cetera idem  
 Mathias Rex ita statuit: *si verò aliquæ essent causæ*  
*mere Ecclesiasticum forum concernentes, in his unusquis-*  
*que Secularium, vel Ecclesiasticarum Personarum, coram*  
*ordinario suo primum prosequatur, & deinde, si con-*  
*tentus illius Judicio non fuerit, ad suum Metropolita-*  
*nūm appelleat.* (b) Quæ autem causæ ad forum Eccle-  
 siasticum pertineant, alibi in hæc verba constitutum  
 est: *præter factum testamenti, matrimonii; dotum, &*  
*rerum paraphernalium, perjurii, verberationis, & spolia-*  
*tionis Clericorum, & mulierum, ac præter illas alias*

*causæ*

(a) Decret. III. Artic. 19.

(b) Decret. V. Artic. 17.

*causas, quæ profanæ non essent, in foro spirituali nulla causa tradetur.* (c) *Quia vero decimarum ratio prioribus Decretis inserta non fuit, & harum causa rursus Romam appellandi mos introduci cœpit, visum est Regi, & Regni Ordinibus maturo consilio obviare.* Igitur collatis in unum sententiis ita anno MCCCCCLXXXVI. *Conclusum est, quod si qui Regnicolarum, cujuscunque status, & conditionis existant, super decimis, cum quibuscunque personis, & a quocunque tempore in Curia Romana hactenus litigassent, vel etiam in præsentiarum litigarent, causas ipsas a modo cessare ibi faciant, & usque ad primum diem mensis Maji, festum videlicet Beatorum Philippi, & Jacobi Apostolorum, proxime venturum, ad hoc Regnum in sede judicaria Regiae Majestatis discutiendas revocare teneantur.* Ad quem quidem terminum, si qui revocare, & coram Regia Majestate comparere neglexerint, ea ad partis comparentis instantiam, non obstante illorum contumacia, vel absentia, quod justum fuerit, decernere, & causam ipsam finaliter terminare, & tam de summa, & damno capitali, quam etiam de expensis sententiam ferre, atque eam debite executioni, vigore præsentis Decreti demandare debebit. Ceterum ordinatum est, quod deinceps nemo omnino Regnicolarum, neque pro decimis, neque pro aliis quibuscunque rebus, prout inferius clarius tangetur, sub pœnis ibidem inferius expressis, in dicta

Cu-

*Curia Romana litigare præsumat. Si qui autem Do-  
minorum Prælatorum, aut aliæ Ecclesiasticæ personæ,  
cum quibuscumque Regnicolis, aut e contra, vel ratione  
executionis, vel etiam super eo, utrum juste, & integre  
decimæ eis solvi debeant, vel alio quocunque modo super  
decimis, aut etiam aliis rebus quibuscumque lites move-  
re, aut motas prosequi voluerint, id eis coram Regia  
Majestate libere, sed nequam alias liceat, quæ ex su-  
cepti Regiminis officio, unicuique juxta allegata, &  
approbata, quod justum fuerit, decernere habebit: hoc  
tamen per expressum declarato, quod causas decima-  
rum non alii Judices Regni, nisi sola Regia Maje-  
stas (a) personaliter semper discutere possit, & va-  
leat. (b) Verum hæc ab obitu Mathiæ vix elapsò  
biennio ita sensim obsoleverunt, ut necesse fuerit no-  
vo Decreto Diœcesanorum Juribus cavere. Id hujus-  
modi erat. Quia nonnulli Clerici, & alterius conditio-  
nis plerique homines, tam Nobiles, quam ignobiles, in  
Curiam Romanam, vel dum aliquis Legatorum Summi  
Pontificis in hoc Regnum Hungariæ missus introierit,  
in ejus præsentiam incolas hujus Regni, præsertim sim-  
pliciores, exquisitis quibusdam occasionibus, interdum*

N 2

etiam

(a) Nunc causa decimarum pertinet ad Comitatus, ut patet ex Decret. anni 17 5. Artic. 99.

(b) Decret. VI Art. 44. & 45. Atque id eodem anno effe-  
ctum dedit, cum lis inter Osvaldum Zagrabensem Episcopum, & Re-  
gnum Sclavoniæ titulo decimarum esset. Datum in Egenburg Civitate  
nostra Austriali in Vigilia festi Beati Andreæ Apostoli anno Domini  
1486.

*etiam calumniosis, citare, & eos lite mediante magis, ac magis urgendo, & vexando, ad solutionem alicujus summae compellere, siveque suam vitam criminose non unquam per fas & nefas alere, & sustentare consueverunt: propterea, ut talium sceleratorum lucro gaudentium illicitus questus & via calumniandi cesseret, in posterum, per Barones, Proceres, & Communitatem totius Regni hujus ordinatum est, & statutum: quod deinceps nullus omnino hominem quempiam ratione alicujus negotii in Curiam Romanam, vel praesentiam cuiusvis Legati citare presumat, nisi primum coram suo ordinario Diaconiso, Archiepiscopo, vel Episcopo, aut ejus Vicario in causa convenire, & cum eo juridice procedere, tandemque, dum aliqua partium justitiam sibi vel denegata, aut alias se indebite aggravari, & condemnari sentiret, causam hujusmodi in Curiam Romanam, vel praesentiam ipsius Legati per viam appellationis, & non aliter provocare, deducereque, & prosequi valeat, atque possit: Contrarium autem facientes debita pena puniantur.* (a) *Ea nimirum, quam Mathias statuit, ut Beneficiatus careat beneficio, non Beneficiatus autem capite mulctetur. Adiectum est triennio post ad hanc legem insigne auctarium in haec verba: Quod sicut de appellationibus ad Curiam Romanam, & Legatos - - sancitum est, ita quoque de Dominis Archiepiscopis in hoc Regno existentibus, is Articulus intelligatur: quod nullus*

---

(a) Wladislai II. Decret: I. Artic. 45. anni 1492.

nullus omnino hominum per simplicem querelam, nisi per viam appellationis de Diœcesi aliquorum Dominorum Prælatorum causam suam in præsentiam eorum deducere possit: hoc quoque non prætermisso, quod si quispiam præscriptum Articulum simul cum præsenti transgredi ausi fuerint, tales ab actione sua & acquisitione decidunt, & insuper in quadraginta florenis auri per Comitem, vel Vice-Comitem & Judices Nobilium irremissibiliter exigendis, contra partem alteram adversam pro expensis convincantur, si tantas habuerint, alioquin in persona detineantur, & usque debitam emendam castigentur. Causas vero, quæ nunc in præsentia Reverendissimi Domini Ursi de Ursinis Legati verterentur, ipsi actores in præsentiam Judicis eorum ordinarii reducere teneantur. (b) Nondum tamen his satis cautum fuisse videbatur, quod non deessent, qui patria lege insuper habita Romanas aures pulsare pergerent. Itaque Regni ordines Decreto Concilii Constantiensis nixi, denuo in hæc verba decreverunt. (c) Quia ex concessione Venerabilium Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalium olim in Concilio Constantiensi constitutorum, Regnum hoc in eo privilegiatum esse constat, quod nullus extrahatur extra istud Regnum ad Judicia authoritate litterarum Apostolicarum, nisi cum cause aliqua per appellationem

N 3

legi-

(b) Ejusdem Decreti II. Artic. 10. anni 1495.

(c) Ejusdem Decret. III. Artic. 63. anni 1498.

*legitime fuerint ad Sedem Apostolicam devolutæ. Sunt autem plures, qui contra libertates hujusmodi complures Regnicolas tam spirituales, quam seculares vigore conquestuum turbant, & molestant. Quare statutum est, prout etiam in Decreto majori continetur, quod nullus extra Regnum istud, nisi per viam appellationis extrahatur; Portatores autem conquestuum, sive sint spirituales, sive seculares, sive Religiosi, captiventur, & manibus Regiae Majestatis præsententur, ad Turrim mancam (a) pro infligenda illis pœna imponendi. (b) Huc omnis legum, de quibus diximus, vis evadit, ut non exigua immunitatis Regni prærogativa in eo sit in primis reposita, ne causæ Ecclesiasticæ, præterito Dicefano ad Romanum forum deferantur, sed sua cuvis Antistiti in suos indemnissimis jurisdictionis, a quo ad Archiepiscopum Strigoniensem tamquam Metropolitam*

&amp;c.

(a) Locus Carceris *Tsonka Torony*, dictus, qua aditus olim ad Regis Palatum erat.

(b) Cautum etiam est anno 1514. Decret. VII. Art. 65. ne Pontifex conferret Beneficia. *Quoniam plurimi Beneficiatorum Ecclesiasticorum, aut privatis eorum pro rebus, aut ceterorum consociorum negotiis expediendis Urbem Romanam proficiuntur, ibique saepè numero moriuntur, & sic eorum beneficia per Summum Pontificem exteris nationibus, & advenis contra Regni hujus libertatem, crebro conseruntur; ideo deliberatum est, ut amodo deinceps quilibet Dominorum Praclatorum, & aliorum Virorum Ecclesiasticorum Beneficiatorum, Urbem petiturus, antequam itineri se submittat, teneatur de Patrimonio suo in proventibus tantum Majestati Regiae, & Sacræ Coronæ sue obligare, & inscribere, quantum proventus beneficij sui annualis valere dignoscitur: Si vero tantum patrimonii non haberet, teneatur prius, quam ingrediatur, litteras a Summo Pontifice assessorias impetrare, quod, si etiam in Urbe casu decederet, beneficium nihilominus suum in Regno hoc salvum permaneat, & sit illæsum.*

& Primatem provocare cuivis integrum fit, cujus iudicio causæ in legibus patriis memoratæ, tum quia Legati nati partes eidem in perpetuum commissæ sunt, etiam matrimonii, (c) definiendæ videntur.

Præter has Archiepiscopi prærogativas sunt aliae itidem, quæ ad res sacras attinent, & in Canonica Visitatione Capituli Strigonienfis in hæc verba exprimuntur. (d) Item habuit, & habet (Archiepiscopus,) ex prærogativa speciali Jurisdictionem ordinariam in spiritualibus voluntariam, & contentiosam in totam Curiam Regiae, & Reginalis Majestatum, videlicet iudicandi, confessiones audiendi, absolvendi, & alia quælibet Sacra menta administrandi, - Regem & Reginam, dum Deo volente decesserint de hac vita, Ecclesiastice tradere sepulturæ. Horum pleraque jam in litteris Cœlestini Papæ III. quas anno MCXCI. ad Jobum Strigoniensem Archiepiscopum dederat, reperio, quarum hic tenor est. (e) „ Cœlestinus Episcopus „ Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Strigoniensi Archiepiscopo Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Tuæ Devotionis fervorem, quem circa Romanam Ecclesiam, & nos specialiter habes, certis rerum indiciis cognoscentes, tuis desideriis duimus, & petitionibus annuendum, & tam in Coro-

„ na-

(c) Cap. Quod dilectio, de consanguinitate, & affinitate.

(d) Anni 1397.

(e) Ex Tabulario Venerabilis Capituli Strigonienfis.

„ natione Regis, juxta quod in Registro bonæ memo-  
 „ riæ prædecessoris nostri habetur inscriptum, Tibi  
 „ Privilegium confirmamus, quam etiam Regiæ Do-  
 „ mus Officialium Præpositos vinculo anathematis (a)  
 „ alligandi, & in causis spiritualibus judicandi ple-  
 „ nam, & illibatam, tuam fraternitatem habere de-  
 „ cernimus potestatem, ita siquidem, ut uillus Hun-  
 „ garici Regni Prælatorum, nisi tu solus, sicut etiam  
 „ in Regia concessione habetur, beatæ memoriæ  
 „ Prædecessoris nostri Alexandri auctoritate confir-  
 „ mata, id præsumtione qualibet audeat attentare. &c.  
 „ Datum Laterani XIII. Calen: Januarii, Pontificatus  
 „ nostri anno primo. „

*Mos. & confuetudo Regiarum* Ad hæc in eadem visitatione canonica Jus corona-  
*Donatio- num tempore.* ronandorum Regum, cuius in suis litteris Cœlestinus meminit, folis Archiepiscopis Strigoniensibus tribui-  
*re corona- tionis.* tur, addita Regis, qui coronabatur, in Archiepiscopos munificentia. Item habuit, & habet, a Fundatione Ecclesie ipsius ministerium coronandi, & inaugurandi Regem & Reginam . . (b) Item quod tempore coro-  
 nationis Rex coronatus, & unctus Archiepiscopum, & Ecclesiam Strigonensem solebat dotare certis villis, seu pos-

(a) Unicum scio exemplum, cum Robertus Archiepiscopus anno 1232. Dionysium Palatinum excommunicavit. Postea autem lege cautum est, ne id promiscue, & inconsulto Rege fieret. Vide Mathia Corvini Regis Decreti V. Articulos 1. 3. & 9. ejusdem Decret. VI. Artic. 28.

(b) Hoc in Episcopatu Vesprimensi ad examen revocabo.

*possessionibus pro suo decenti honore. De Jure corona-*  
*nationis deinceps; postremum vero id facile ex variis*  
*Regum litteris conficias. Primum ex Stephani V.*  
*ad annum MCCLXX. tertio calendas Augusti: Cum*  
*post obitum -- inclytæ recordationis Domini Regis Be-*  
*læ charissimi Genitoris nostri plenum Jus, & Regi-*  
*men totius Regni Hungariae jure genituræ ad nos de-*  
*voluta fuissent, -- quamdam villam nostram -- nomine*  
*Epel in Comitatu Strigonensi existentem, cum -- con-*  
*ditionariis nostris -- Capitulo Strigonensis Ecclæ, a*  
*qua inundati sumus, & Regium suscepimus Diadema, ac*  
*alia Ecclesiastica voluntaria, & necessaria inclyti Reges*  
*Hungariae recipiunt Sacra menta -- dedimus, & da-*  
*mus, & donamus, tradidimus, & tradimus ab eodem*  
*Capitulo Jure perpetuo possidendam. Aliquanto magis*  
*exerte Andreas III. in litteris anno MCCXC.*  
*XVII. Calen: Septembres datis loquitur: In instan-*  
*tis Nostræ Coronationis auspiciis recognitionis ob-*  
*noxiae gratitudinis non exortes, quamdam possessionem*  
*nostram Nympti, seu Thoti appellatam, eidem Domi-*  
*no Archiepiscopo dedimus, ac donavimus, ut de Regni*  
*more, ac consuetudine approbata teneri cognovimus,*  
*in Nostræ potissimum Coronationis initii, cum omnibus*  
*suis utilitatibus &c. Persimile illud est, quod Carolus*  
*Robertus anno MCCCXV. Calendis Augusti in*  
*Diplomate Lypæ dato memorat, cum Thomæ Ar-*

chiepiscopi merita recenset. (a) *Facta, inquit, Convocatione universorum Prælatorum, suorum suffraganeorum, ac aliorum, & Baronum Regni nostri fidelium, primo videlicet tempore Domini Gentilis Tituli Sancti Martini in montibus Presbyteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati de Latere missi, quia Corona Sancti Regis Stephani, Progenitoris nostri, qua de more Gentis Hungaricæ Reges Hungariæ solent coronari, per infideles, & illicitos detentores rapta detinebatur, nova Corona specialiter pro nobis fabricata, per eundem Dominum Legatum benedicta, & authorizata, per ipsum Dominum Thomam Archiepiscopum juxta consuetudinem Regni nostri approbatam, & constitutionem ab ipso Domino Legato tunc de novo editam, quæ habet, ut non nisi honorem Nostræ coronationis, nos & nostri successores per ipsum Archiepiscopum summeremus, quemadmodum ceteri Reges nostri antecessores habuerunt, solium Regale concendentis ipso novo Diademate extitimus coronati, & licet hujusmodi coronationis modus sufficiens extitisset, ut opinioni tamen Gentis Hungaricæ satisferet, & ut scandalum de medio vulgi tolleretur, recuperata, & rehabita per solicitam curam ejusdem Domini Archiepiscopi ipsa Sancta Corona ab illicitis detentoribus, rursum in loco debito, videlicet in Alba Regali, ubi solitum est ab antiquo Reges Hungarie coronari, facta convocatione universorum Prælatorum, Ba-*

ronum, Fidelium Regni nostri, observataque solemnitate consueta, & a Progenitoribus nostris constituta, solium nostri regiminis ascendimus, & de manibus ejusdem Domini Thomae Archiepiscopi Diadema Regio, videlicet eadem Sancta Corona, de novo exstimus coronati. Et quia bona consuetudo, & approbata, iuri consona, rationique consentanea habet, ut Reges tempore sue coronationis, & inthronizationis in recognitionem divini ministerii Ecclesiae Strigonensis, (a) a cuius Antistite Diadema suæ coronationis, & munus suæ undionis assumunt, manum Regiae munificentie illico aperiunt, & oblationem donativorum manu Regia largiantur; Nos itaque considerantes, quod dum Juris observantia custoditur, Deus laudatur, & actus priorum nova continuatione approbatur, tam -- recompensatione Regia satisfacere volentes, quam morem Progenitorum nostrorum in oblationibus faciendis sequi voluntates -- Castrum nostrum Komaron una cum Civitate, seu oppido Komaronensi, cum universis villis, & possessionibus, ac aliis utilitatibus, & pertinentiis universis:

## O 2

sis:

(a) Quin reperio etiam ad sepulcrum S. Ladislai donativa a Regibus post coronationem facta esse. Id Ludovicus I. in hæc verba testatur. Quod cum nos post decepsum carissimi Patris nostri, savenze Divina clementia, ad solium regiminis Hungarie, adeptæ nostra coronatione, fuissimus sublimati, ad visitandumque sepulcrum Sanctissimi Regis Ladislai -- cum fidelibus Baronibus Regni nostri -- Varadinum accedimus, -- ut eidem Ecclesiæ Varadiensi --- antiqua, & approbata, consuetudinariaque lege, ac consuetudine Regni approbante, prætextu novæ coronationis nostræ possessionariam donationem facere, & eam dotare -- prompti fuissemu: , & parati &c. Datum est 1342. feria 3. post Conceptionem.

*sis: Item Comitatum ejusdem Districtus de Komaron cum universis Juribus, videlicet Tributis, Judiciis, & aliis ipsius Comitatus attinentiis, de consilio, & consensu venerabilium Patrum, Emerici Varadiensis, Stephani Vesprimiensis, Benedicti Csanadiensis, item Benedicti Transylvaniensis, Ladislai Quinque-Ecclesiensis, & Georgii Syrmiensis Ecclesiarum Episcopis: Item Petri Magistri Tavernicorum Nostrorum, Nicolai Vayvodæ Transylvani, & Dominici Palatini, ac aliorum Baronum, & Nobilium Regni nostri, eidem Domino Thomæ Archiepiscopo, & per eum suæ Ecclesie Strigonensi dedimus, donavimus, & contulimus Jure perpetuo, & irrevocabiliter in suorum successorum successores posendum, tenendum & habendum.*

*Sigismundi peculia-  
re studium in Eccle-  
siam Stri-  
gonensem.*

Addo pro coronide Sigismundi ea de re littera ras, qui etsi non esset ab Archiepiscopo Strigonensi, cuius sedes tum vacabat, sed Vesprimensi Antistite corona insignitus, tamen, ut primum Joannem de Kanya Archiepiscopum nominarat, veteris consuetudinis memor, Ecclesiam Strigonensem insigni dono muneratus est, (a) „ Nos Sigismundus Dei gratia Rex „ Hungariæ &c. Marchioque Brandenburgensis &c. „ Quia a plurimis prædecessorum Regum Hungariæ „ retractis temporibus, in quorum contrarium humana „ mortalitas non novit recordari, ex approbatissima

Re-

---

(a) Ex autographo.

„ Regni consuetudine haetenus illibate observata , eo-  
 „ rundem Illustrissimorum Regum verum successorem  
 „ per manus Reverendissimi in Christo Patris , Domi-  
 „ ni Archiepiscopi Almae Strigonensis Ecclesiae pro-  
 „ tempore constituti , sacro Regio Diademate juridice  
 „ debent sublimari , per ipsorum Excellentissimorum  
 „ Regum Majestatem hujusmodi sacræ Regiæ Coronæ  
 „ obtenti fastigii temporibus , eosdem sanctæ Strigo-  
 „ nensis Ecclesiae Archiepiscopos regalis munifi-  
 „ centiæ honore condecet decorari , & quia pridem  
 „ universis venerabilibus Patribus , Archiepiscopis ,  
 „ Episcopis , aliarumque Ecclesiarum Prælatis , & omni-  
 „ bus indistincte Principibus , Baronibus , & Nobili-  
 „ bus , Sclavis , Croatis , Dalmatinis , & aliarum qua-  
 „ rumcunque nationum gentibus ad dicti Regni Hun-  
 „ gariae regalis regiminis quocunque titulo pertinen-  
 „ tibus ditionem , convenientibus ad Albam Regalem ,  
 „ & in personam nostram vota ipsorum concorditer  
 „ dirigenibus , nemine discrepante in Dominica Ra-  
 „ mis Palmarum in anno Domini MCCCLXXXVII .  
 „ tunc evoluta , cum ea solemnitate , quam regalis  
 „ culminis requirit sublime fastigium , Nos conscen-  
 „ dentes in Thronum regiminis Regnorum jam dicto-  
 „ rum , per manus Venerabilis in Christo Patris  
 „ quondam Domini Benedicti Vesprimiensis Ecclesiae  
 „ Episcopi , dicta Alma Ecclesia Strigonensi suo pa-  
 „ store , & gubernatore , de cuius manibus Reges

„ Hungariæ , ut præmittitur , solent inungi , & sacro  
 „ Regio Diademate coronari , pro tunc vacante , no-  
 „ lentes tamen vacationem ipsius Sedis Strigonensis  
 „ donationi regali obstatæ in hac parte , pro hujusmo-  
 „ di solita solennitate , pro nostra persona , ut præ-  
 „ mittitur , celebrata , dictæ Almæ Strigonensis Ar-  
 „ chiepiscopatum , ad devotam , & saluberrimam dile-  
 „ cti , & fidelis nostri Reverendissimi in Christo Pa-  
 „ tris , Domini Joannis , nunc ejusdem Ecclesiæ Stri-  
 „ gonensis Archiepiscopi supplicationis Instantiam , ut  
 „ nostro Regio congruit honori , irremuneratum re-  
 „ linquere , nec eidem aliquatenus super his deroga-  
 „ re - - - quasdam possessiones regales populosas , vi-  
 „ delicet Uyfalu , Baioch , Genemarotha in Strigonien-  
 „ si , & Mooch nuncupatas in Komariensi Comita-  
 „ tibus adjacentes , nec non Setteu vocatam similiter  
 „ populosam , cuius medietas in Strigonensi , & alia  
 „ medietas in eodem Komariensi Comitatibus adjace-  
 „ re perhibetur - - - cum universis earum perti-  
 „ nentiis - - - ab antiquo ad easdem spectantibus ,  
 „ cum serenissima Principe Domina Maria consorte  
 „ nostra perchara , ac Praelatis , & Baronibus nostris  
 „ matura , & digestiva deliberatione exinde præhabi-  
 „ ta , prænotato Domino Joanni Archiepiscopo , &  
 „ per eum præscriptæ Ecclesiæ suæ Strigonensis Ar-  
 „ chiepiscopatui duximus novæ donationis nostræ  
 „ titulo perpetuo - - - conferendas - - - Datum  
     Bu-

„ Budæ in Festo Conceptionis Virginis Gloriosæ, anno  
 „ Domini MCCCLXXXVIII. „ Hactenus de iis,  
 quæ coronationis tempore Reges nostri ex vetusta  
 consuetudine Archiepiscopis largiri solebant, etsi du-  
 bium non sit, saepe Regum munificentiam non in col-  
 latione fundorum, sed in concessa Ecclesiæ subditis  
 immunitate a publicis oneribus constitisse, de quo  
 postea acturi sumus.

Jus coronandorum Regum, quamquam & ex Pon- *Jus coro-*  
 tificum Rescriptis, & Regum nostrorum Diplomatibus *nandorum*  
 constet, id ad Archiepiscopos Strigonienses ab condi- *Regum*  
 ta Hungariae Ecclesia pertinuisse, tamen serius postea *Strigoni-*  
 ab Colocensi Archiepiscopo in controversiam voca- *sibus pro-*  
 tum est. Occasionem Belæ III. coronatio præbuit, *prium in*  
 quam Colocensis præstiterat, etsi Rex fidem publico *controver-*  
 Instrumento fecisset, ea re nihil se velle Juri Archi- *siam, a Co-*  
 episcoporum Strigoniensium derogare. (a) Lis Anno *locensi vo-*  
 MCCIX. tacitis molitionibus inter utrumque Archi-  
 episcopum, Joannem Strigoniensem, (b) & Bertholdum *catum.*  
 Colocensem, moveri cœpta est, Andrea Rege,  
 ut opinor, in hunc magis, quam in illum, prono. Cer-  
 te

(a) Egi de hoc Annal. Regum Part. I. ad annum 1174. pag. 164.

(b) Hunc plerique, quod sciām, Ducem Meranię, & Gertrudis Re-  
 ginę, ac Bertholdi Fratrem faciunt. Sed id erroneum est. Nam Pon-  
 tifex item, inter duos Candidatos ad Sedem Strigoniensem decidens,  
 aperte dicit, nolle se Strigoniensi Ecclesiæ providere in alia persona, quam  
 quæ de Regno Hungariae originem duceret, & mox Joannem hunc a vin-  
 culo

te ut alternis ab utroque Regum coronatio fieret, actum esse, infra memorabitur. Strigoniensis cognita machinatione adversæ partis, quæ coronationi, ut dictum est, Belæ III. præcipue nitebatur, datis litteris cum Pontifice Innocentio egit, ut sibi Jus pristinum coronandorum Hungariæ Regum, quod penes suos Decessores hactenus fuisse Pontificum complures Bullæ declararent, afferere ne gravaretur, ratus Pontifícia declaratione adversariorum machinas in irritum casuras. Innocentius, ut omnem futuris litibus an-sam velut a jugulo refecaret, consultis, qui ante se Ecclesiæ præerant, Pontificum monumentis, Jus corona-tionis omnino Strigonensibus semper proprium ac peculiare fuisse, Joanni significavit, in hæc verba re-

,, scri-

culo Colocensis Ecclesiæ solutum ad Strigonensem transfert. Ad hæc charta Bertholdi Merania Ducis, qui Gertrudis Pater fuit, anno MCLXXX. ut est in tentamine Genealogico Chronologico Illustrissimi Rudolphi Coronini S. R. I. Comitis, tres ei filios solum tribuit: Ecbertum, Ottонem, & Henricum: annales Veterocellenses addunt Bertholdum serius, quam laudata charta signata sit, natum, & inter filios postremum. Nulla uspiam Joannis illius mentio. Sed dubium omne tollit Diploma Andrea II. quo Scapusensi Præposito Adolpho donationem anno MCCIX. facit in hæc verba: *Cum Adolphus Præpositus multum in servitio nostro, & Regno -- Conjugis Nostræ tam ad Dominum Papam, quam ad Imperatores, & diversos Principes, personam, & res suas periculo expuerit -- ad Instantiam ejusdem Reginæ, ac Venerabilium Fratrum suorum, scilicet Archiepiscopi Colocensis Bertholdi, & Bambergensis Episcopi Marchionis, terram quamdam in Scapus -- eidem contulimus &c.* Si Joannes Archiepiscopus Strigonensis, qui tum vivebat, Frater Reginæ fuit, illius quoque mentionem Rex facturus erat, ut Bambergensis Episcopi Ecberti, qui licet extra Regni ambitum esset, tamen inter Reginæ Fratres locum obtinuit. Nihil itaque cognitionis inter Regnam, & Joannem Strigonensem intercessit.

scribens. (a) „ Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Joanni Archiepiscopo Strigonienſi - - -  
 „ Justis potentium precibus dignum eſt, facilem nos  
 „ præbere affenſum - - - cum ergo Venerabilis in  
 „ Christo Frater postulafſes a nobis, ut Jus coro-  
 „ nandi Hungaricos Reges, quod ad te, ac ſucceſſores  
 „ tuos aſferis pertinere, tibi, & illis Apoſtolico di-  
 „ gnareμur Privilegio conſirmare, Nos inſpecto re-  
 „ gero felicis recordationis Alexandri Papæ, Præde-  
 „ cefſoris noſtri, in eo perſpeximus contineri, quod  
 „ cum Principes, & Barones Hungarici Regni ab eo-  
 „ dem Prædeceſſore noſtro cum multa precum instan-  
 „ tia poſtularint, ut, ſi bonæ memoriæ Laurentius (b)  
 „ Prædeceſſor tuus, juxta mandatum ipſius inclitæ re-  
 „ cordationis, Belam tunc in Regem Hungarorum  
 „ elec̄tum, contradiceret coronare, ipſi per alium im-  
 „ poni Regni faceret Diadema, ne Regno & Eccleſiæ  
 „ Hungaricæ gravia poſſent pericula prouenire, ſi di-  
 „ c̄tus Bela celeriter Unctionem non recipere, & Co-  
 „ ronam; idem Prædeceſſor noſter præfato Prædeces-  
 „ , fo-

(a) Bullarium noviſſimum Editionis Romanæ per ſacram Congregationem de propaganda editum Vol. III. pag. 133.

(b) Apparet Editores de propaganda in rebus Hungaricis non ma-  
 xime verſatos eſſe, cum ex littera L. ut folent in veteribus Bullis nomi-  
 mina initio characteriſ fere exprimi, Laurentium efformarunt, qui cum  
 ab anno 1105. ad annum 1118. Strigonienſi Sedi præfuerit, ad tempora  
 Belæ III. cuius diſertam mentionem Innocentius facit, pertinere nequa-  
 quam potuit. Igitur ſubſtituendus Laurentio eſt Lucas, qui ab anno 1162.  
 ad annum 1178. & porro Strigonienſi Sedi præfuit, & cum anno aditi a  
 Bela III. Regni apprime congruit.

„ fori tuo per Apostolica scripta mandavit, & in obe-  
 „ dientiae virtute præcepit, ut supradictum electum  
 „ in Regem omni dilatione, contradictione, & appel-  
 „ latione postpositis, coronaret, aut, si per se ipsum  
 „ eum forte pro debilitate corporis coronare non pos-  
 „ set, bonæ memorie Colocensi Archiepisopo intima-  
 „ ret, ut eum absque præjudicio honoris, & dignita-  
 „ tis ipsius, ac Strigoniensis Ecclesiæ, congregatis  
 „ Episcopis Regni, in loco, ubi Reges coronari con-  
 „ fuerunt, in Regem inungeret, & sibi Coronam  
 „ imponere non differret, recepto prius ab eodem  
 „ electo in Regem scripto, de consilio, & assensu  
 „ ipsorum, & Principum Regni, aperto suo sigillo Bul-  
 „ lato, quod ex hoc nullum ei, vel Strigoniensi Ec-  
 „ clesiæ præjudicium fieret, quo minus Hungarici Re-  
 „ ges ab Archiepiscopis ejusdem Ecclesiæ semper  
 „ debeant coronari, præfato Colocensi dans nihilomi-  
 „ nus in præceptis, ut, si predictus Prædecessor tuus  
 „ coronare nollet eundem, ne in hac parte ipsi com-  
 „ mittere vices suas idem autoritate Apostolica fre-  
 „ tus, contradictione, & appellatione postpositis, abs-  
 „ que præjudicio illius, & Strigoniensis Ecclesiæ non  
 „ postponeret coronare, ita quidem, quod idem elec-  
 „ ctus in Regem ante coronationem suam Ecclesiæ  
 „ saepetatae scriptum faceret supra dictum, quod idem  
 „ ipse fecit postmodum in hæc verba: „ Ego Bela  
 „ Dei Gratia Hungariae, Dalmatiæ, Croatiae, Ramaeque  
     Rex,

„ Rex; divina disponente clementia fuscipio Coronam  
 „ de manu Colociensis Archiepiscopi , sed non in  
 „ præjudicium Strigonensis Ecclesiæ, quo minus Hun-  
 „ garici Reges ab ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopis  
 „ semper debeant in posterum coronari. Felicis quo-  
 „ que recordationis Clemens, (a) & Cælestinus  
 „ (b) ad instar præfati Prædecessoris nostri, dignitatem  
 „ coronationis Regum Hungarorum Decessoribus tuis,  
 „ & Ecclesiæ Tibi commissæ authoritate Apostolica  
 „ confirmarunt. Nos igitur eorundem Prædecessorum  
 „ nostrorum vestigiis inhærentes præfatum Jus, ut vi-  
 „ delicit Hungarici Reges ab Archiepiscopis Strigo-  
 „ niensibus semper debeant coronari , Tibi , & suc-  
 „ cessoribus Tuis authoritate Apostolica confirmamus,  
 „ & præsentis scripti privilegio communimus, salva  
 „ semper Apostolicæ Sedis authoritate, a qua Hun-  
 „ garici Regni Corona processit - - - (c) Datum La-  
 „ terani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cos-  
 „ medin Diaconi Cardinalis S. R. Ecclesiæ Cancellarii,  
 „ Indictione XII. Idibus Maji, Incarnationis Domi-  
 „ nicæ Anno MCCIX. Pontificatus vero Domini In-  
 „ nocentii PP. Anno XII. ,

(a) Anno 1188.

(b) Anno 1191.

(c) Sine dubio id ad Bonifacii VIII. Systema respicit. Sed haec olim: nunc pura verborum forma est, quæ nihil Juris fundat.

*Lis pacis  
Conventis  
dirempta.*

Nihil tamen hæc ad dirimendam litem momenti attulere. Recruduit altero abhinc anno, & majoribus utrinque animis res geri rursum cœpta est. Nec dignitatis solum, sed commodi etiam ratio in ea contentione partes habere visa fuit. Cum enim vetere Regni consuetudine, quod jam supra memoravimus, Reges, ut primum Corona incincti fuere, gratitudinis causa Strigonensi Archiepiscopo aliquam bonorum partem, quæ Fisco Regio adscripta erant, dono dare soliti essent; magnum id sine dubio illicium fuit, dissimulante etiam forte Andrea, qui Bertholdo Colocensi uxoris titulo magnopere studuerat, ut Jus coronandi Regis non solum, cum Strigonensis Ecclesia vacaret, sed alternis etiam ad Colocensem Archiepiscopum pertineret. Fuere aliæ itidem prærogativæ, quas Strigonensis præ Colocensi habebat, quæve speciem aliquam jurisdictionis in hunc præferre videbantur, quarum capita in contentionem quoque advoluta sunt. Sed cum altercatio longius, quam par erat, extrahitur, placuit, Andreæ Regis hortatu, causæ arbitrium ad Suffraganeos utriusque Archiepiscopi deferre. Ex Strigonienfis parte Agrienfis, Jaurinensis, & Vesprimiensis Episcopi fuere: a Colocensi stabant Varadiensis, Chanadiensis, & Transilvanus Antistites. Re diu utrinque deliberata ad extremum consilio arbitrorum in hæc pacta Archiepiscopis convenerat. Primam coronationem peculiari titulo ad Strigonenses pertine-

nere: si autem Sedes id temporis vacaret, aut malo dolo Strigoniensis Regem inaugurate abnueret, potestas conferendi Regalia insignia penes Colocensem esset, quin Strigonienfi propterea præjudicium creetur. Secunda Coronatio ad utrumque æquali Jure pertineat: Decumam æris feriundi, nam & de hoc disceptabatur, etiam in Provincia Colocensi, si isthic feriretur, ad Strigonienses spectaret eum in modum, qui per ceteras Regni Provincias Regum indultu hactenus obtinuisset: Strigonensem contra Jurisdictioni omnino renunciare, si quam in Colocensem Diœcесim habuit, aut habuisse videretur. Judicium Palatinalium penes eum Episcopum esset, in cuius Provincia Regi morari contingeret: Sacra autem Regi, Reginæ, horumque Liberis ministrare, in quacunque Provincia, tam Archiepiscopi, quam Episcopi possent, quemadmodum Rex suo arbitrio hos, vel illos ad id munus constitueret: cetera Jura cuilibet Archiepiscopo indemnia funto: contra quæ, & hanc, quam iniissent, concordie formam, si quis quocunque Tabularum, aut Instrumentorum genere aliquando uteretur, ea pro irritis habeantur: denique missum iri ad Papam Legatos, qui pacta conventa ejus judicio firmari peterent; Id si Pontifex abnueret, rem omnem eodem, quo prius erat, loco futuram.

*Pontifici confirmanda deferetur.* Hæc, ubi Jure jurando ab utraque parte firmata effent, cum Rege communicata, isque pro suo in Ber-

tholdum studio rata haberet, cuperetque novum ex Præpositura Cibiniensi Episcopatum in Transilvania erigere, qui Colocensis Jurisdictioni subesset, Legati utrinque Romam mittuntur, qui summo studio agerent, ne Innocentius sanctitæ in hunc modum concordiæ subscribere gravaretur. Sed postremum Regis consilium de condendo in Transilvania Episcopatum omnem haec tenus adductam dissipavit. Transilvanium enim Antistes, cum putaret novo illo Sacerdotio dignitati suæ permultum derogari, Nuncium clam in Urbem misit, qui eam Regis destinationem sedulo inturbaret, rectene, an contra? alii existimarent. Accedebat Canonicorum Strigoniensium clancularia coitio, qui, dum se inconsulis pacificationem ab utroque Archiepiscopo initam haud satis æquanimiter ferrent, existimarentque per conditiones, in quas coauerat, præjudicium Strigonensi Ecclesiæ creari, suos itidem Procuratores ad Innocentium misere, ut, si eam Pontifex ratam habere vellet, omnium nomine solenni verborum forma ratificationi intercederent. (a)

Pon-

---

(a) Non de nihilo vetustissimum Capituli Strigoniensis Sigillum Antistitem mitratum, dextra pedum, sinistra Coronam Hungariæ tenentem exhibet, cum Epigraphe ARCHIEPIS. STRIGON. Pone autem figuram Regis capite nudam, Chlamyde coopertam, & dextra Sceptrum tenentem cum hac Inscriptione: S. REX VNGARIAE: id est Stephanus, Rex Ungariae. Ut nempe hoc sigillo doceret, Jus coronandi Reges penes Strigonienses Archiepiscopos residere.

Pontifex cum tam contraria eodem tempore eadem in re postulata ad se afferrentur, & Nuncii Canoniconrum gravibus rationibus preces suas fulcirent, memorque haud ita pridem ab Rege flagitatum esse, ut Jus coronationis ad Strigonensem Ecclesiam pertinere declararet, ratus, non eam, quam oportebat, libertatem in pangenda concordia adfuisse, Canonicorum Strigoniensium precibus subscriptis, ac Jus coronandorum Regum soli Ecclesiae Strigoniensi afferuit, illa inter ceteras ratione ductus, quod, si potestas coronandi Regis pluribus tribueretur, necessum esset, Regnum pro dissidio animorum maximis periculis implicari. In eundem modum negabat fieri posse, ut novum ex Cibiniensi Praepositura Episcopatum erigi pateretur, quod id cum insigni Strigoniensis Ecclesiae injuria coniunctum esset.

Ita dimissis Legatis Pontifex rationes suæ sententiæ prolixa satis Epistola, ne quid in malam partem acciperetur, ad Regem perscripsit. (b)

### *Illustri Regi Hungariæ.*

Illa Te charissime Fili charitatis prærogativa diligimus, cum inter alios mundi Principes erga personam nostram, & Sacrosanctam Romanam Ecclesiam de-

*Qui, irritatis partis  
Jus corona-  
ndorum  
Regum  
Strigoniens-  
si Ecclesiae  
afferit.*

(b) Apud BALUZIUM Tom. II. pag. 583.

devotissimum te sciamus, quod preces, ac petitiones ex parte tua nobis oblatas intendimus libenter admittere, quantum cum nostra possumus honestate. Inde siquidem fuit, quod Venerabilem Fratrem nostrum -- Vesprimensem Episcopum ad Sedem Apostolicam accedentem paterna benignitate suscepimus, & quæ tam per eum, quam per tuas nobis litteras intimasti, pleno concepimus intellectu: qui denique inter cetera proposuit coram Nobis, quod, cum de pace perpetuo statuenda inter Strigonensem, & Colocensem Ecclesiæ diu fuerit te mediante tentatum, tandem Venerabilis Frater noster Strigoniensis Archiepiscopus de consensu, & voluntate Suffraganeorum Strigoniensis Ecclesiæ, videlicet Agriensis, Geuriensis & præfati Vesprimiensis Episcoporum ex parte una; & dilectus Filius Colocensis electus de voluntate Suffraganeorum Colocensis Ecclesiæ, Varadiensis videlicet, Csanadiensis, & Ultrasilvani Episcoporum ex altera, in certam formam concordiæ devenerunt, quam per præfatos Geuriensem, & Vesprimensem Episcopos redigi mandaverunt in scriptis. Cum illam in scriptis redactam in medium produxissent, & super ea fuisset diutius disputatum, tandem ita correcta extitit, & conscripta, quod eam pars approbavit utraque, & tam Strigoniensis Archiepiscopus, quam Colocensis electus, cum Ecclesiarum suarum Suffraganeis ad Sancta Dei Evangelia juraverunt, quod formam pacis,

quæ

quæ continebatur in illo scripto, posito coram eis, firmiter observarent, & laborarent ad hoc nihilominus bona fide, ut Nos compositionem confirmaremus eandem. P. (a) quoque Quinque-Ecclesiensis Præpositus ab Episcopo suo missus, pro eo, & Benedictus Præpositus Sancti Thomæ, nec non & Jacobus Scholasticus Strigoniensis, pro Capitulo ejusdem Ecclesiae, a quo sub debito Juramenti se asseruerunt habere mandatum, & Hubaldus Posoniensis. Præpositus juraverunt etiam illud idem: pro Colocensi vero Ecclesia Jacobus Colocensis, & Hosmundus Sancti Laurentii Præpositi præstiterunt consimile Juramentum. Unde præfatus Episcopus ex parte tua nobis humiliter supplicavit, ut compositionem eandem, quam Sigillorum prædictorum electi, & Varadiensis, Csanadiensis, Ultrafilvani, Agriensis, & ipsius Vesprimiensis Episcoporum, nec non Capitulorum Colocensis, & Bacienfis nobis exhibuit munimine roboratum, auctoritate dignaremur Apostolica confirmare; cuius tenor talis est.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti  
,, Amen. Hæc est forma pacis inter Strigonensem  
,, & Colocensem Archiepiscopos. Prima coronatio  
,, Regum Hungariæ specialiter spectat ad solam Strigo-  
nien-

---

(a) Paulus, an Petrus fuerit, incertum est.

„ niensem Ecclesiam: verum tamen, si Strigoniensis  
 „ Archiepiscopus non posset, vel malitiose nollet Re-  
 „ gem coronare, vel Strigonensis Ecclesia vacaret,  
 „ coronet Regem Colocensis, nullum ex tali corona-  
 „ tione Jus sibi vendicando in prima coronatione. Se-  
 „ cunda coronatio deinceps æqualiter pertineat ad  
 „ utramque. De proventu monetæ Decima pertine-  
 „ at ad Ecclesiam Strigonensem, ubicunque in Regno  
 „ Hungariæ cudatur. Quod si ubi desierit generalis  
 „ moneta totius Hungariæ quidquid loco generalis  
 „ monetæ successerit, Decimam habeat Strigonensis  
 „ Ecclesia. Strigonensis Archiepiscopus renunciat  
 „ omni Jurisdictioni, & Juri Spirituali, quod habebat,  
 „ vel habere videbatur in Provincia Colocensi, præter  
 „ decimam monetæ, si ibi contigerit fabricari. Judici-  
 „ um officialium Domus Regiæ quilibet Episcopus  
 „ habeat in sua Parochia: exhibitio Sacramentorum  
 „ Regibus & Reginis, & eorum Liberis tam ad ipsos  
 „ Archiepiscopos, quam ad alios Episcopos in suis  
 „ Parochiis pertineat, pro voluntate Regis. In omni-  
 „ bus aliis utriusque Ecclesiæ sua Jura conserventur,  
 „ illæsa, & consuetudines antiquæ. Si quæ autem  
 „ Privilegia, vel Rescripta, quandocunque prolatæ fu-  
 „ erint contra hanc formam, vires non habeant, salva  
 „ in omnibus auctoritate Apostolica. Quod si Papa  
 „ non approbaverit, res sit in eo statu, in quo nunc  
 „ est. Juraverunt ambo Episcopi, & eorum Suffraga-  
     nei,

„ nei, qui præsentes erant, nec non & Præpositus  
 „ Quinque-Ecclesiensis, qui vice Domini sui Episcopi  
 „ intererat, nec non & Procuratores Capitulorum utri-  
 „ usque Ecclesiæ, quod secundum formam præscrip-  
 „ tam, bona fide pacem præscriptam observabunt, &  
 „ fine fraude ad confirmationem laborabunt.

„ Cumque super his cum Fratribus nostris delibe-  
 „ rare vellemus, dilecti Filii Jacobus Scholasticus, &  
 „ Nicolaus Canonicus, præfati Archiepiscopi Nuncii,  
 „ & M. Thesaurarius, & Joannes Archdiaconus Stri-  
 „ gonienfes Procuratores ejusdem Loci Capituli petie-  
 „ runt a nobis audientiam sibi dari. Qua ipfis de mo-  
 „ re concessa, Nuncii proposuere prædicti, quod inter  
 „ præfatos Archiepiscopum, & Colocensem electum,  
 „ & eorum Suffraganeos talis compositio intervenit  
 „ (hanc jam supra depromsimus) ac Tu & charifflma  
 „ in christo Filia, Hungarorum Regina, per Vestras  
 „ a Nobis litteras peteretis, quatenus primam Sedem,  
 „ primamque vocem cum Juribus supradictis, quæ  
 „ Tu, ac dicta Regina, nec non & pars Colocensis  
 „ publice præfatæ Strigonienfi recognovistis Ecclesiæ,  
 „ ipsi perpetui dignaremur Privilegii mumimine robo-  
 „ rare. Super aliis vero, de quibus inter eos esse  
 „ videbatur contentio, propter bonum pacis sic exti-  
 „ tit ordinatum, ut nec Colocensis in Strigonienfi  
 „ Provincia, nec Strigonienfis in Colocensi præter

„ prædicta, sibi Juris aliquid vindicaret, auctoritate  
 „ in omnibus Apostolicæ Sedis salva, ita, quod si  
 „ hæc non approbarentur a Nobis, res in eo statu  
 „ in quo tunc fuerat, remaneret. Unde quidquid sic  
 „ scriptum, vel juratum esse dicatur, hoc actum, &  
 „ intellectum esse a partibus afferebant, & illud ex  
 „ parte Archiepiscopi confirmari, a nobis suppliciter  
 „ postulabant afferentes, sic actum, & intellectum  
 „ fuisse; idem Archiepiscopus, & præfati Agriensis,  
 „ & Geuriensis Episcopi suis litteris declararunt.

„ Procuratores vero Strigoniensis Capituli pro-  
 „ posuere constanter, quod tam illa compositio,  
 „ quam redactam in scriptis præfatus Episcopus No-  
 „ bis exhibuit, quam illa, in quam præfati Nuncii  
 „ dixerunt Archiepiscopum consensisse, inita fuerat  
 „ sine assensu Capituli, & in enorme dispendium Stri-  
 „ goniensis Ecclesiæ redundabat. Unde contradicen-  
 „ tes utrique, Nobis humiliter supplicarunt, ut autho-  
 „ ritate Apostolica cassaremus utramque. Nos igitur  
 „ attendentes, quod Nobis olim multa precum instan-  
 „ tia supplicaras, ut super Jure coronandi Reges Hun-  
 „ gariæ Strigonensi Ecclesiæ Privilegium concedere  
 „ dignaremur, Nosque tuis precibus inclinati, ei su-  
 „ per hoc Privilegium concessimus, Fratrum nostro-  
 „ rum subscriptionibus roboratum, considerantes etiam,  
 „ quod si potestas coronandi Regis Hungariæ penes di-  
 „ ver-

„ versas Ecclesias refideret, toti Regno grave periculum, & hæredibus tuis grande posset dispendium generare: cum, sicut plenius ipse nosti, frequenter inter Regum Hungariæ cohæredes super obtainenda Regni Corona scandalum sit exortum, quod utique posset facilius suboriri, si eos, diversos Coronatores contineret invenire, propter contradictiones, & rationes præscriptas, compositionem hujusmodi non potuimus, sicut nec debuimus, confirmare. Super Episcopatum quoque de novo creando apud Cibiniensem Ecclesiæ, siam in Ultrafilvana Dioœcesi, qui Metropoli Coloniensi subdatur, petitionem Regiam nequimus exaudire, quoniam sive Apostolicæ Sedi, sicut ipse firmiter protestaris, (a) sive Strigonensi Metropoli, sicut Procuratores ipsius fortititer asserebant, Cibiniensis Præpositura sit in Spiritualibus immediate subjecta, id absque dubio in alterutrius præjudicium redundaret. Sed & quidam, qui se Nuncium Venerabilis Fratris nostri Ultrafilvani Episcopi faciebat, contradicebat omnino, gravem, & enormem Ultrafilvani Episcopatus diminutionem allegans. (b) Serenitatem igitur Regiam rogamus, monemus, &

Q 3

„ hor-

---

(a) Id probabilius ideo ab Rege assertum fuit, quo Papam facilius ad confirmandam concordiam incitaret: alioquin constat Præposituram Cibiniensem ab exortu suo ad Strigonensem Jurisdictionem pertinuisse.

(b) Qui id fieri potuerit, non intelligo. Perinde Transilvano Episcopo finisse debuerat, sive ad Strigonensem, sive Colocensem Præpositura pertineat; in quam nihil Jurisdictionis, & ex qua nihil commodi habuit.

„ hortamus attentius, quatenus ad duritiam Nobis non  
 „ imputes, quod compositioni prædictæ robur non at-  
 „ tribuimus firmitatis, sed tam providentiæ, quam  
 „ justitiæ id adscribas, quibus Regni, & Hæredum  
 „ tuorum indemnitatibus duximus præcavendum; &  
 „ Juris ordinem observandum, cum omnibus facti si-  
 „ mus in justitia debitores; sciturus pro certo, quod  
 „ in nullo unquam a Nobis patieris repulsam, in quo  
 „ quisquam Principum debeat exaudiri. Datum Late-  
 „ rani II. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno  
 „ quarto decimo. „ Ad hunc modum lis Strigoniensi  
 Archiepiscopo, conniventia Regis, & forte Suffraga-  
 neorum, qui illius autoritatem arctius adductam vo-  
 luerint, consilio obmota, finem accepit. Nec enim,  
 si Belam III. multo ante a Colocensi inauguratum ex-  
 cipias, ullum postea Regem præter Sigismundum ab  
 Vesprimiensi, & Joannem Zapolyam ab Nitriensi (a),

Co-

---

(a) De Benedicto Vesprimiensi supra in Sigismundi Regis Diploma-  
 te memoravi; Nitriensis contra Velius meminit in sua Historia de Bello  
 Pannonico. Fuit Is Stephanus Podmaniczky, qui cum audiret Ferdi-  
 nandum Regem sibi propterea subirasci, quod Zapolyam coronasset, fa-  
 veniam petiit, & impetravit, ut litteræ autographæ docent, hujus tenoris.  
 „ Ferdinandus Dei gratia Hungariae &c. Rex &c. Notum facimus -  
 „ quod cum Reverendus, devotus - Stephanus Podmaniczky Episcopus  
 „ Nitriensis Majestati Nostræ exponi fecerit, se accepisse, Nos eidem in-  
 „ dignari ob id maxime, quod Joannem Comitem Scepusiensem quondam  
 „ Vayvodam Transilvaniensem superioribus mensibus in assertum Hunga-  
 „ riæ Regem coronaverit; Ipse vero Episcopus afferat, se ab eodem Co-  
 „ mitate vocatum, & cum inibi comparuisset, discedere non potuerit, nisi  
 „ eidem Comiti in his, quæ petebat, morem gereret, aut vitæ suæ discri-  
 „ mne subiret, hujus ergo sui commissi veniam petens - supplicaverit, ut  
 „ cum

Corona incinctos ab aliis, præterquam a Strigonensi-  
bus Archiepiscopis lego, quæ prærogativa, ubi Lega-  
ti nati authoritas sub Sigismundo accessit, & multo  
amplissima est reddita, & pacta conventa inter Stri-  
gonensem, ac Colocensem inita, si re etiam ipsa fir-  
mata essent, irrita reddidit.

Superat, ut de immunitatibus, ac ceteris Bene-  
ficiis, quibus Reges olim Strigonenses Archiepisco-  
pos, eorumque Ecclesiam donaverant, dicamus, quo  
nihil nobis eorum, quæ ad illustrandum Strigonien-  
sem Archiepiscopatum spectant, intactum prætermit-  
tatur, qua in re non tam materiæ delectum, quam  
seriem Regum sequar. Emericus Belæ III. Filius  
Privilegia Strigonensi Ecclesiæ ab Sanctis Stephano,  
& Ladislao Regibus donata partim confirmat, partim  
auget, in hæc verba: - (b) „ quod quia Sanctissimus  
„ Rex Stephanus, & Beatus Ladislaus Rex, Hunga-  
„ riæ Reges, nostri Patres, & prædecessores ordina-  
„ verunt recepto Apostolico mandato, ut de omnibus  
„ Proventibus Regalibus nunc habitis, & quoquomo-  
„ do, & nomine habendis, atque ampliandis, Rex  
„ Hun-

---

„ eum ab omni culpa, quam propterea commeruisse, absolvere, & libe-  
„ rare, eique Clementiam nostram impertiri dignaremur, maxime cum de  
„ præsenti, juri, & electioni legitimæ, quæ de persona nostra Posonii fa-  
„cta est, sponte accesserit, & consenserit - - Idcirco Nos Ferdinandus  
„ Rex antedictus relatione præfati Episcopi, & causis - - bene perpen-  
„ sis - - eidem Episcopo culpam omnem - - remisimus, & condonavimus.  
„ Datum in Civitate nostra Viennæ die 29. Mensis Julii anno MDXXVII.

(b) Ex Tabulario Strigonensi.

„ Hungariæ quicunque fuerit a Deo coronatus per  
 „ Sedem Strigonensem in signum Catholicæ fidei deci-  
 „ mam solvere deberet Archiepiscopo Strigonensi,  
 „ a quo fidem Baptismatis, (a) & Coronam recepe-  
 „ runt: Nos, qui eadem fide, qua ipsi, salvari volu-  
 „ mus, in perpetuum statuimus, quod de omnibus  
 „ proventibus Regalibus Archiepiscopus Strigonensis  
 „ decimam ad plenum recipere debeat, prout semper  
 „ receperunt: item Decimas Tributorum in Terra  
 „ Scipiensi (hoc est Scepusiensi) & in Posonio ipsi  
 „ Domino Archiepiscopo Strigonensi in perpetuum  
 „ pro Mensa sua, sicut per Sanctos Reges erant do-  
 „ natæ; item pro salute nostra, & discordia vitanda  
 „ exemplo Sanctorum Regum donavimus in perpe-  
 „ tuum Domum Regalem in castro Strigonensi, quæ  
 „ nondum fuit opere consummata, eidem Strigonensi  
 „ Archiepiscopatui, tamen tempore necessitatis Nostræ  
 „ ipse Dominus Archiepiscopus Nos in eadem recipe-  
 „ re teneatur. (b) „ Bela IV. ut nihil de Andrea,  
 cuius complures in hoc genere donationes exstant,  
 dicam, Avi exemplum fecutus amplissimis Privilegiis  
 Ecclesiam Strigonensem exornavit. (c) „ Ad uni-  
 „ versorum inquit notitiam - - volumus pervenire:  
 „ quod nos consideratis fidelitatibus, & servitiis me-

ri-

(a) Apparet hinc Capellæ Regiæ administrationem in primis ad Archiepiscopos Strigonenses pertinuisse.

(b) Datum per manus Domini Katapani Episcopi Agriensis au-  
tæ Nostræ Cancellarii, anno ab Incarnatione Domini MCXCVIII.

(c) Ex eodem Tabulario.

„ ritoriis Sanctæ Matris Ecclesiæ Strigonienfis, quæ  
 „ nos, & nostros Prædecessores in omnibus Juribus  
 „ Regalibus, & Reginalibus, & supervenientibus ne-  
 „ cessitatibus, contra omnes insultantes, & infideles  
 „ tyrannos fideliter fovit, aluit, consuluit, & defen-  
 „ savit toto posse cum opere subsecuto, a tempore  
 „ suæ primæ fundationis, maxime in coronatione Re-  
 „ gia, Regnique adeptione, ac pro nostra, & nostro-  
 „ rum antecessorum injuria repellenda, se, & sua  
 „ omnia fortunæ submittens casui, & perditioni - -  
 „ nos - - has gratias speciales - - ad præfens duxi-  
 „ mus faciendas: quod nullus tributarius in quibusli-  
 „ bet Comitatibus, vel partibus Regni nostri, cuius-  
 „ cunque nomine ad exigendum sit deputatus, aude-  
 „ at Tributum, seu Theloneum, aut Pedagium super  
 „ populos Ecclesiæ prædictæ exigere, (a) vel eosdem  
 „ impedire cum eorum rebus mercimonalibus proce-  
 „ dentes, qui si exegerit, vel impediatur, & per Offi-  
 „ ciales Ecclesiæ ad nostram præsentiam, vel Judicis  
 „ Curiæ nostræ citatus fuerit, ablata restituat sine mo-  
 „ ra, & decem marcas pro birsagio, nostro Judici per-  
 „ solvere teneatur; &, si contrarium facere attentavit,  
 „ tributum perdere Dominus terræ, probata exactio-  
 „ ne tributi, & bonorum impeditio judicetur, pro-  
 „ , ut

---

(a) Confirmata hæc legas anno 1557. Artic. 16. item anno 1563.  
Artic. 59. & anno 1613. Artic. 21.

„ ut a Sanctis Regibus hoc ab antiquo erat constituta-  
 „ tum. Item concessimus Civitatem Archiepiscopa-  
 „ lem exstruendam, & congregandam in territorio  
 „ suo sub Castro Strigonensi, & Domo Archiepiscopa-  
 „ li, ac Forum fieri in eadem per totum diem Sab-  
 „ bathi, incipiendo a media die Feriæ sextæ imme-  
 „ diate præcedentis cum Foro quotidiano, ad quod  
 „ forum omnes mercatores secure veniant, & libere  
 „ recedant factis suis mercationibus, cum omnibus li-  
 „ bertatibus, quæ congruunt Civitati, a parte Danubii  
 „ incipiendo a quodam fonte calido scaturienti, qui  
 „ est sub castro, & fluit ad ripam fluminis Kysduna  
 „ vocati, usque ad terram Archiepiscopalem Veprech  
 „ vocatam, salvo foro, & Jure Civitatis Strigonien-  
 „ sis, & Libertatibus sibi remanentibus - - - item  
 „ donavimus, & tradidimus eidem Ecclesiæ, & Ar-  
 „ chiepiscopatui Strigonensi pro remedio animarum  
 „ Parentum nostrorum, & nostræ quasdam terras,  
 „ seu possessiones nostras cum suis servitoribus condi-  
 „ tionariis, retiferis scilicet, & falconariis, perpetuo,  
 „ & irrevocabiliter Archiepiscopo, & Archiepiscopa-  
 „ tui Strigonensi - - quas quidem possessiones, seu  
 „ terras per nos ipsi Archiepiscopo, & Archiepisco-  
 „ patui Strigonensi cum omnibus suis utilitatibus, &  
 „ pertinentiis perpetuo traditas - - volumus, ut nul-  
 „ lus Archiepiscoporum processu temporis distrahere,  
 „ vendere, mutare, seu quovis modo valeat alienare,

„ cum

„ cum sint nostræ Eleemosynæ speciales: qui si quoquo  
„ modo alienaverit aliquam ex iisdem, pro non alienata  
„ prout ex nunc, sic ex tunc - - decernimus - - ut  
„ nostra donatio Eleemosynaria, & libertatum colla-  
„ tio de memoria hominum non evellatur &c. (a) „  
Idem Bela, cum periculo non careret, Privilegia Ar-  
chiepiscopatus, si causa, aut res poscebat, ultro, ci-  
troque misitari, & non pauca carie jam exederentur,  
rogatu Philippi Archiepiscopi, præcipuas immunitates,  
quibus Ecclesia Strigonienfis ab Divis Hungariae Regi-  
bus ornata fuit, quoniam pluribus litteris comprehen-  
ſæ erant in compendium redactas, suo Diplomati vo-  
lens, libensque inferuit. (b) „ Quia, inquit, gravissi-  
„ mum erat, & laboriosum, imo periculosum, tot de-  
„ ferre Privilegia in viarum discrimine, & quia quæ-  
„ dam vetustate corrupta, quædam aquarum madida-  
„ tione ex eisdem corrumpebantur, & videbantur bre-  
„ viter annullari, ratione æQUITATIS Libertates, & do-  
„ nationes de eisdem litteris privilegialibus Sanctæ  
„ Strigonienfis Ecclesiæ perpetuo factas, & concessas  
„ ad venerabilis Fratris Domini Philippi Archiepisco-  
„ pi Strigonienfis instantem petitionem, & justam sup-  
„ plicationem, de consilio Dominæ Mariæ consortis  
„ nostræ charissimæ, Reginæ, & Baronum nostrorum,  
„ in nostrum Privilegium, tamquam in originali infer-

R 2

fe-

(a) Datum anno 1239. III. Cal. Octobr.

(b) Ex Tabulario Strigonienfis.

„ fecimus, & transcribi, ut, si prædicta Privilegia ve-  
 „ tustate consumantur, vel aliquo contingente casu  
 „ perdantur, super prædictis omnibus, nostrum Privi-  
 „ legium pro totali originali habeatur, ne id, quod  
 „ semel Deo dedicatum est, ad profanos usus revoce-  
 „ tur. Quarum quidem libertatum prima hæc est:  
 „ Quod nullus Judicum Curiæ nostræ, quocunque no-  
 „ mine nominetur, vel Palatinorum Regni nostri, seu  
 „ quicunque Comites, populos Ecclesiæ Strigoniensis  
 „ conditionarios, & Nobiles suos universos judicare  
 „ valeat, vel præsumat, sed ejusdem Ecclesiæ Stri-  
 „ goniensis Judices, videlicet Palatinus suus, vel Ju-  
 „ dex Curiæ suæ, aut terrestris Comes per Archiepi-  
 „ scopum deputatus in omnibus causis, & causarum  
 „ articulis judicabunt. Item decimam partem de  
 „ Urburis proventibus Regiæ Majestatis percipiet Ar-  
 „ chiepiscopus Strigoniensis, qui fuerit pro tempore,  
 „ per totam Hungariam. Item similiter decimam par-  
 „ tem percipiet idem Archiepisopus ante omnia de  
 „ fructibus Camerarum, pro quantacunque pecunia  
 „ poterunt locari, exceptis ponderibus, quæ officiali-  
 „ bus Archiepiscopi pro ferramenti custodia sunt depu-  
 „ tata. Item similiter de pecudibus, & pecoribus  
 „ exigendis ab Olachis & Siculis idem Archiepiscopus  
 „ percipiet decimam partem. Item quod Nobiles  
 „ Regni nostri ipsi Ecclesiæ Strigoniensi, possessiones  
 „ suas, viventes, & morientes sine requisitione Re-

„ giæ

„ glæ Majestatis ulteriori donare, & legare possint,  
„ sine præjudicio tamen possessionum suorum proximi  
„ morum, & se subjecere ad serviendum more Nobilium  
„ exercituantium aliorum, salvo eo, quod Ud-  
„ vornici, & Tavernici, ac ceteri servilis conditionis  
„ homines, Regiæ, & Reginali Majestati subjacentes,  
„ & ad certa servitia deputati, hæc facere non pos-  
„ sunt, nisi super eo per successores Reges requisitio,  
„ & privilegialis concessio specialis de novo habeatur.  
„ Item quod ubicunque in possessionibus ipsius Ecclesiae Strigonensis, & infra suas metas, metallum  
„ auri, & argenti, vel quidquam aliud inveniatur,  
„ ipsi Ecclesiæ dinoscitur pertinere in tota Urbura per-  
„ cipienda. Item super possessiones ejusdem Ecclesiæ nullam collectam, nullum censum Regio Fisco  
„ applicandum, possunt dicare, & exigere, vel Lu-  
„ crum Cameræ, quod super populos omnium Regni  
„ colarum quandoque dicare, & exigere consueve-  
„ runt. Item si Nobiles Ecclesiæ Strigonensis in fur-  
„ to, vel spolio, casu contingente per Palatinum  
„ Regni, vel Judicem Curiæ nostræ, vel successorum  
„ nostrorum, ordine Juris servato, interficiantur, pos-  
„ sessiones taliter intersectorum non ad Palatinum  
„ Regni, vel Judicem Curiæ Regni devolvantur, sed  
„ in Ecclesiam Strigonensem; & si Palatinus Judex  
„ Ecclesiæ Strigonensis aquid Palatinum Regni, vel  
„ Judicem Regni Curiæ nostræ, aut alios Justitiarios

„ Regni eosdem captos esse sciverit, iidem eosdem  
 „ ipsi Palatino Ecclesiæ prædictæ ad judicium redde-  
 „ re tenentur sine mora. Quas quidem Libertates,  
 „ Donationes, & Exemtiones, certo certius indagan-  
 „ tes, invenimus, vidimus, scivimus semper pertinuis-  
 „ fe, & pertinere ad Ecclesiam Sttigoniensem. Qua-  
 „ propter omnes prædictas Donationes Libertatum, &  
 „ Exemptionum, & fructuum perceptionem in toto, &  
 „ in qualibet sua parte universas, universaliter, &  
 „ singulas singilatim de consensu Dominae Mariæ con-  
 „ fortis nostæ chariflimæ Reginæ, ac omnium Præla-  
 „ torum, & Baronum nostrorum confirmamus, ratifica-  
 „ mus, & pro originali Privilegio deputamus, salvis  
 „ etiam aliis omnibus Privilegiis, & litteris, ac Liber-  
 „ tatis Ecclesiæ Strigoniensis memoratæ, & in suis  
 „ firmitatibus remanentibus. In cuius rei memoriam,  
 „ & firmitatem perpetuam præfentes concessimus du-  
 „ plicis sigilli nostri munimine roboratas. (a) ,

*Decima-*  
*rum præ-*  
*cipua sem-*  
*per ratio*  
*habita.* Ex his præcipuo semper loco fuit Decimæ por-  
 tio, quam, ut Bela diserte ait, Archiepiscopi ex  
 fructibus Camerarum percipiebat, quo fiebat, ut in-  
 signe ad Archiepiscopales redditus auctarium fieret.  
 Percepere enim partem lucri Cameræ Cibinienfis, (b)

Bar-

(a) Datum per manus Magistri Farcasii, electi Zagrabiensis Au-  
læ nostræ Vice-Cancellarii -- anno Domini 1263. V. Cal. Novembr.  
Regni autem nostri anno vigefimo octavo.

(b) In litteris Ludovici II. anni 1519.

Bariensis, (c) Rivuli Dominarum, Syrmiensis, & Quinque-Ecclesiensis, (d) tum Zolnokiensis, (e) Tolnen-sis, Pilisiensis (f) & illius, quæ ultra Dravum amnem erat. (g) Neque proventum ratio solum ad auri, & argenti pisetum (h) attinebat, sive id factum, sive infectum esset, (i) sed ad cupri etiam & plumbi (k) reditus, etsi hos fructus aliquando ab Regibus ex malevolorum consilio interceptos, & a privatis etiam hominibus impeditos constet. Illius in Ladislao Chuno exemplum habemus, qui, cum ex male suggestis aliorum consiliis decimam tributi Scepusiensis Archi-episcopo per aliquot annos dari vetuisset, poenitentia ductus, quæ in hoc genere olim constituerat, publicis litteris antiquata esse voluit. (l) „ Nos Ladislaus „ Dei gratia Rex Hungariæ, memoriae commendantes „ significamus, quibus expedit, universis præsentium „ per tenorem; quod cum Venerabilis Pater Lodo- „ merius Dei gratia Archiepiscopus Strigoniensis per-

„ pe-

(c) In litteris Mathiae I. anni 1460.

(d) In iisdem Mathiae litteris.

(e) In Mathiae I. litteris anni 1460. 18. Januarii datis.

(f) In iisdem litteris.

(g) In litteris Caroli anni 1332.

(h) Pisetum, ut patet ex Decreto I. Caroli Regis, de anno 1342. pondus Archiepiscopi Strigonensis, idque in eo erat situm, quod a qualibet Marca Archiepiscopo grossus obtingebat. Pisetum vero auri, ut est in Decreto II. Sigismundi Artic. 15. valebat florenos duos.

(i) In litteris Wladislai II. anni 1499.

(k) In litteris Joannis Zapolya anni 1529. Nihil quoque Archiepi-scopis detrahebatur, ex Pisetum, si aurum & argentum extra Regnum de-ferretur, ut patet ex litteris Belæ IV. de anno 1255.

(l) Ex Tabulario Strigonensi.

„ petuusque Comes loci ejusdem - - - ab eo tempo-  
 „ re, quo per ordinationem seu provisionem Aposto-  
 „ licam in Strigoniensem Ecclesiam est translatus,  
 „ apud Nostram Excellentiam diutius institisset, ut De-  
 „ cimam totius tributi nostri de Scepus de Jure com-  
 „ muni, & approbata consuetudine Regni nostri, Ar-  
 „ chiepiscopatui Strigoniensi debitam, & per Nos ha-  
 „ ctenus denegatam, assignare in persona ipsius Vene-  
 „ rabilis Patris Archiepiscopatui Strigoniensi perpetuo  
 „ integraliter dignaremur; Nos quibusdam minus fana-  
 „ sapientibus, & injusta, communique Juri, & generali  
 „ consuetudini Regni nostri contraria malitiose sugge-  
 „ rentibus, assignationem ejusdem Decimæ distulisse-  
 „ mus per tempora longiora, tandem urgente Nos  
 „ conscientia, in convocatione, & Parlamento publi-  
 „ co Regni Nostri per Venerabilem Patrem Joannem  
 „ Dei gratia Archiepiscopum Colocensem, & com-  
 „ plures Episcopos, Barones, & Nobiles Regni No-  
 „ stri, de jure ipsius Archiepiscopi, & Ecclesiae Stri-  
 „ gonienfis, quantum ad prædictarum debitum Deci-  
 „ marum sufficienter edocti fuissimus, ipsam Deci-  
 „ mam totalis Telonei, seu tributi nostri de Scepus  
 „ ipsi Archiepiscopo, ipsiusque Successoribus contuli-  
 „ mus, tradidimus, dedimus, & assignavimus, in præ-  
 „ sentia totius Congregationis Regni Nostri integrali-  
 „ liter, & irrevocabiliter percipiendam pleno Jure.  
 „ Datum prope Fuen in Vigilia Beati Joannis Bapti-  
 „ „ stæ

„ st̄e anno Domini MCCLXXXIX. „ (a) Idem a pri-  
 vatis etiam hominibus parum æqua lucri cupiditate  
 duētis jam multo antea tentatum fuit, Regum de-  
 cretis non modo insuper habitis, sed contemta etiam  
 Praefulum authoritate, in istorum Jus temere involan-  
 tibus, ut adeo necessum esset, & illorum proterviæ  
 modum ponere, & Archiepiscoporum indemnitati no-  
 vis Privilegiis cavere. Ex quibus illud, quod Bela  
 IV. propterea Strigonienfibus indulserat, præ ceteris  
 memoratu dignum est, nec hoc loco prætermittendum.  
 (b) „ Bela Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ,  
 „ Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cu-  
 „ maniæque. Omnibus Christi Fidelibus, ad quos  
 „ præfens scriptum pervenerit, salutem in omnium  
 „ Salvatore. Quod si petitiones justas singulorum ex  
 „ officio Celsitudinis Regiæ tenemur admittere, ma-  
 „ xime tamen eorum debemus precibus inclinari,  
 „ per quos præcipue Coronæ Nostræ insignia extollun-  
 „ tur. Proinde ad universorum tam præsentium, quam  
 „ po-

(a) Confirmata hæc legas in Diplomate Caroli Roberti anno 1335.  
 & 1342. deinde in Ludovici I. anno 1346. Sigismundi anno 1408. &  
 1430. Uladislai II. anno 1492. Ludovici II. anno 1519. Ferdinandi I.  
 anno 1554. Joannis Zapolya anno 1527. Ferdinandi II. anno 1624. &c.  
 sūtque constans hæc lucri Camerae, & Piseti perceptio penes Strigonien-  
 fes Archiepiscopos, quoad Thurzones Cameras administrare cœpissent,  
 de qua re exstat fassio anni 1519. quo Ludovicus II. pristinum Jus instau-  
 rat, præter aurum, & argentum, quod in usum Regis, & Regiorum li-  
 berorum cudebat, ut habeat Bela IV. in litteris anni 1256.

(b) Ex Tabulario Strigonienfis in transiunto Caroli Roberti anni  
 1332.

„ posterorum notitiam harum serie volumus perveni-  
 „ re , quod accedens ad nostram Præsentiam Venera-  
 „ bilis in Christo Pater, (a) B. eadem Gratia Archi-  
 „ episcopus Sanctæ Matris Ecclesiæ Strigoniensis , pro-  
 „ posuit Nobis querulose, quod cum eadem Ecclesia  
 „ Strigonensis a prima sui fundatione multis Liberta-  
 „ tibus, Beneficiis diversis, pluribusque Privilegiis  
 „ Exemptionis super omnes Ecclesias Cathedrales to-  
 „ tius Regni Hungariæ , velut omnium Ecclesiarum  
 „ Primas sit decora , a Sede etiam Apostolica , a San-  
 „ ctis Regibus nostris Progenitoribus Gloriosis, Donis  
 „ mirabiliter fulcita, specialiter super eo , quod nullus  
 „ Judicum Curiæ nostræ , Palatinorum, Baronum, &  
 „ Comitum quorumlibet Comitatuum, Cives, Nobi-  
 „ les, Exercituantes, Conditionarios, Hospites, Rus-  
 „ ticos, Villanos, & Inquilinos eidem Ecclesiæ Stri-  
 „ gonensi subjectos possit, vel valeat judicare ; non  
 „ descensus facere super ipsos, vel collectam exigere  
 „ nomine Regio aliqualem ; similiter in Decimis per-  
 „ cipiendis Regalium proventuum ex parte Siculo-  
 „ rum, Valachorum in pecudibus, pecoribus, & ani-  
 „ malibus quibuslibet - - - ubicunque, & a quocon-  
 „ que provenientium in Regno Hungariæ persolvi  
 „ consueverunt : nec non super Decimis exigendis de  
 „ urburis Regi persolutis, & exactis in quibuslibet ar-  
 „ genti fodinis, & auri fodinis : Item de lucro Ca-  
     meræ,

„ meræ, quod dicari in Regno Hungariæ est constitutum, salvo eo, quod de qualibet marca in Camera, „ ubi denarii cuduntur, unum pondus argenti fini „ sibi persolvi debeat, nomine suæ Ecclesiæ, & quod „ ferramenta cudentia, & sculpta non alias servari debent, nisi sub hominis ipsius custodia ad hoc per eum deputati: nunc autem quidam Judices Regni nostri, & collectores censuum nostrorum, ac Exactores Urburarum, nec non Comites Camerarum nostrarum, (a) sibi, & Ecclesiæ suæ fraudem facere conarentur, occupando --, solutionem quoque diminuendo, super quibus omnibus a Nobis Justitiam sibi fieri postulavit, & Sanctam Strigonensem Ecclesiam in ipsius Juribus, & Libertatibus indem-

S 2

„ nem

(a) Nec Ecclesiasticas personas ab hoc vitio immunes fuisse, sequens instrumentum docet. „ Nos Bela Dei gratia Rex Hungariae &c. & Dux Styriae, tenore presentium omnibus fieri volumus manifestum. Quod Magister Benedictus Canonicus Zagrabiensis, & Archidiaconus de Gvercha in Camera de ultra Drava, non refedit ut homo Episcopi Zagrabiensis; quamvis idem Episcopus una cum Bano Stephano, vice nostra, procuraverit Cameram ultra Dravam, sed tamquam homo Bani Stephani per ipsum Banum ad hoc specialiter deputatus, quod & idem Episcopus coram Nobis praesentialiter recognovit. Ne vero ex eo, quod dictus Magister Benedictus in dicta Camera permanxit, Strigonensi Ecclesia, & Venerabili Patri B. Archiepiscopo ejusdem, ad quem, & ejus Ecclesiam supra dicta Camera Decimatio, sicut & aliarum, in quacunque Provincia Cameræ constituantur, vel moneta cudatur, pertinet, & pertinuit, & quam Decimationem ipsius Archiepiscopi, & Ecclesia Strigonensis homo in Camera præfata de ultra Dravam residens plene & pacifice eorum nomine percepit semper, & percipit, præjudicium aliquod generetur, vel Zagrabiensis Episcopus aut quisvis aliis in dicta Camera ultra Dravam jus aliquod imposterum sibi valeat vendicare, eidem Venerabili Patri B. Archiepiscopo Strigonensi, ac ejus Ecclesia præsentes deditus litteras duplicitis Sigilli nostri munimine roboratass Datum -- anno Domini MCCLVI. decimo septimo Calen. Januarii, Regni autem nostri anno vicefimo secundo.

„ nem , & illæsam conservari , ac omnia præmissa , &  
 „ singula munimine duplicitis Sigilli nostri in forma Pri-  
 „ vilegii consignari , ne imposterum per quemcunque  
 „ posteriorum , seu Successorum nostrorum ejusdem Ec-  
 „ clesiæ Libertas valeat aliqualiter impugnari . Nos  
 „ igitur hæc præ oculis habendo , & salutem animæ  
 „ nostræ , & Progenitorum nostrorum , consequi volen-  
 „ tes , consideratis etiam justis petitionibus præfati  
 „ Patris B. Archiepiscopi Strigoniensis , fidelis nostri ,  
 „ pro eadem Ecclesia Sancta Matre nostra , a qua Nos  
 „ sumus , & nostri Progenitores fuerunt coronati , un-  
 „ eti , & Regium honorem consecuti , & adepti , quæ  
 „ etiam Nobis , & nostris Successoribus - - transgressis  
 „ divina Mandata absolutionis beneficium , & remissio-  
 „ nem peccatorum vice Dei impertitur , ac infideles  
 „ nostros , & sacræ Coronæ per censuram Ecclesiasti-  
 „ cam arcet , & compellit , ad Nobis , & sacræ Coro-  
 „ næ obediendum , cui nedum sua Jura illæsa debemus  
 „ conservare , ab antiquo a Sanctis Regibus , nostris  
 „ Progenitoribus condonata , & obtenta , & pacifice  
 „ usque modo possessa , ac a sancta Sede Romana con-  
 „ firmata , verum etiam a nostra Regia benignitate ,  
 „ ipsius Ecclesiæ Strigoniensis Excellentia considerata ,  
 „ ampliora condonare , cui quidem Ecclesiæ gratuita  
 „ pietate sumus alligati , omnia præmissa universaliter ,  
 „ & singillatim tam super libertatibus , quam e-  
 „ tiam super exactione Decimarum de omnibus supe-  
 „ rius

„ rius annotatis , habito tractatu , & deliberatione ma-  
 „ tura cum omnibus Prælatis , Baronibns , & Comiti-  
 „ bus nostris , de consensu eorundem , & ex certa sci-  
 „ entia , edicti perpetuo valitura confirmatione robo-  
 „ ramus , imponentes omnibus nostratibus , quod in  
 „ præmissis Libertatibus videlicet , & Decimationibus  
 „ tam animalium , quam Urburarum , & lucro Came-  
 „ ræ , nec non ponderibus exigendis , & custodia  
 „ ferramenti (a) Camerarum nostrarum , non præ-  
 „ sumant in aliquo ipsam Sanctam Matrem no-  
 „ stram Ecclesiam Strigoniensem , aut suos officiales  
 „ molestare , vel etiam defraudare : si qui autem mo-  
 „ lestare , seu defraudare præsumserint , poena debita  
 „ eos puniemus , ne mercede æternali , quam spera-  
 „ mus obtinere , propter offensam ipsorum carere de-  
 „ beamus . In cujus rei testimonium , firmitatemque  
 „ perpetuam præsentes concessimus litteras duplicis  
 „ Sigilli nostri munimine roboras . Datum - - an-  
 „ no Domini MCCLVI . decimo septimo Calendas  
 „ Januarii Regni autem nostri anno vicesimo secun-  
 „ do . „

Id Belæ Regis præclarum non modo pietatis , sed  
 Regiæ etiam munificentia in Strigoniensem Ecclesiam <sup>Anacæ-  
phalosis</sup>  
 monumentum est , quo ceteros ante se Reges <sup>Privilegio-  
rum Eccle-  
siæ Strigo-  
nienfis.</sup>

S 3

vix

(a) Supra dicitur : *ferramenta cudentia* , quo suspicor ea ferramen-  
 ta venire , quibus moneta cudebantur , ne quid frandis , aut damni in per-  
 cipiendis redditibus Archiepiscopi paterentur .

vix non superasse videri potest. Finem non inveniam, si singulorum quoque Regum beneficentiam in Strigonienenses Antistites persequi velim. Quare, ut modum narrationi ponam, ea quæ hactenus, ut materiæ argumentum poscebat, latius dicta, & alia, quæ minoris momenti sunt, in compendium cogam, ac iisdem prorsus verbis, quibus ea Olahus Archiepiscopus Strigonensis olim complexus est, referam. Is prærogativas Decessorum suorum bifariam in vetera, & nova Privilégia dispescit.

*Vetera Archiepiscoporum Strigoniensium  
Privilegia.*

„ I. Describuntur nomina omnium Præpositorum, & aliorum, qui licet sint in Dicecesi aliorum Prælatorum hujus Regni, tamen tenentur sub omnimoda, & immediata Jurisdictione Strigonensi, nemine alio recognito, cum clausula generali, de aliis ubilibet constitutis, quos Sedes Apostolica pro expressis habuit.

„ II. Quod iidem tenentur contribuere procuratrices Legationum, ac provisiones Nunciorum Sedis Apostolicæ, & ad alia onera supportanda. (a) „

„ III.

---

(a) Si quo casu ea contributio protelaretur, aut non daretur, combinatione solebat exigi. Afferam exemplum, quod ex autographo exscripti. „ Reverendis in Christo Patribus, Dominis, Archiepiscopo Strigonien-

„ III. Quod Reverendissimus olim Strigoniensis  
 „ Joannes Archiepiscopus , & antecessores pacifi-  
 „ cam vel quasi habebant a tanto tempore, quod non  
 „ erat memoria in contrarium. „

## „ IV.

„ nienſi , Epifco Juriensi , ac Eleſto Vesprimienſi , & providis Viriſ ,  
 „ eorum in ſpiritualibus , ſeu temporalibus Vicariis , Officialibus , Came-  
 „ rariis , vel Receptoribus quoquinque nomine ceneſantur , Ildebrandinus  
 „ permissione divina Epifcopus Paduanus , Nuncius per Reverendum Pa-  
 „ trem Dominum Guidonem Sanctæ Cæciliae Presbyterum Caſinali ,  
 „ Apoſtolicæ Sedi Legatum ad Sereniffimum Principem Dominum Ludo-  
 „ vicum Hungariae Regem , & partes aliquas ejusdem Regni Nuncius deſti-  
 „ natus , Salutem , & ſinceram in Domino charitatem . Noveritis , quod  
 „ cum prafatus Dominus noster , Dominus Legatus ad Sereniffimum Prin-  
 „ cipem , Dominum Ludovicum Regem Hungariae , & aliquas partes ejus-  
 „ dem Regni nos transmiferit , prout in ejusdem Domini Legati litteris ,  
 „ quarum copiam ſub ſigillo noſtro vobis transmittimus , latius continentur ;  
 „ ac nos in prosecutionem negotiorum Nobis per prafatum Dominum Le-  
 „ gatum commiſſorum in Civitatibus , & Diocesibus veſtris eundo , ſtando ,  
 „ & redeundo , una cum Venerabilibus Viriſ , Magistro Nicolao Ordinis  
 „ Fratrum Eremitarum ſacrae Theologiae Profeffore , & Domino Ludovico  
 „ Cantore Laudunensi , prafati Domini Legati Capellaniſ , ſociis Nobis de-  
 „ putatiſ , decem dierum moram fecerimus , & adhuc duobus aliiſ facturi  
 „ ſimus , & ſecundum tenorem prädictarum litterarum pro quolibet die  
 „ pro expenſis noſtriſ , & noſtræ familiæ , duodecim floreni auri Nobis de-  
 „ beantur , & ſic diebus omnibus computatiſ centum & quadraginta qua-  
 „ tuor florenos auri a Vobis recipere , & levare poſſemus , & ex certa  
 „ cauſa centum , & trīginta duos florenos a Vobis recipere , & levare ve-  
 „ limus , quos inter Vos , ut onus diuiſum in partes faciliuſ ſupportetur ,  
 „ ut ſequitur , duximus dividendoſ : videlicet , quod de tota ſumma prä-  
 „ dicta Vos Domine Archiepifcope pro mensa veſtra , & Eccleſiis , &  
 „ perfonis Eccleſiaſticis , & Diocesiſ veſtra medietatem Nobis ſolvere  
 „ debeatis , qua medietas ascendiſ ad ſexaginta ſex florenos auri : de reli-  
 „ liqua vero medietate , Vos Domine Epifcope Jaurinenſis XXXIII . et  
 „ Vos Domine Eleſte Vesprimienſis alioſ XXXIII . pro mensiſ veſtriſ ,  
 „ Eccleſiis , & perfonis Eccleſiaſticis veſtrarum Civitatum , & Diocesium ,  
 „ ſimiſiter ſolvere debeatis : Et ne Vos Domine Archiepifcope ad requiſi-  
 „ tionem , & mandatum noſtrum Nobis ſolveriſ , & aſſignaveriſ totam ,  
 „ & integrum ſumma prädictam , ſcilicet centum & XXXII . florenos ,  
 „ ne hujusmodi onus ſuper Vos dumtaxat remaneat , ad ſolutionem quanti-  
 „ tatis prädictæ , prout ſuperius eſt expreſſum , contributores authoritate ,  
 „ qua in hac parte fungimur , Vobis aſſignamuſ prafatoſ Venerabiles Pa-  
 „ treſ Epifcopoſ , & Eleſtuſ cum omnibus perfonis Eccleſiaſticis exem-

„ IV. Quod prædicti Prælati non possint vocari  
„ ad Judicium ab alio, quam ipso Archiepiscopo. „

„ V. Quod processus, & sententiæ factæ contra  
„ hæc Privilegia nullius sint momenti. „

„ V.

„ tis, & non exemptis suarum Civitatum, & Diœcesium, nec non omnes  
„ Ecclesiasticas personas exemptas, & non exemptas Ecclesiæ, Civitatis, &  
„ Diœcesis Strigonienfis. Quo circa Vos Venerabiles Patres, Dominos  
„ Episcopum, & Eleatum requirimus, & monemus, Vobisque cum debita  
„ reverentia, & præfatis Vicariis vestris, & Officialibus Camerariis, vel  
„ receptoribus, vel cuiilibet eorum, qui super hoc fuerit requisitus, sub  
„ excommunicationis poena præcipimus, & mandamus, quatenus infra  
„ terminum quindecim dierum, quorum quinque pro primo, quinque pro  
„ secundo, & quinque pro reliquis, pro tertio, ac peremptorio termino, &  
„ monitione Canonica Vobis, & singulis Vestrum assignamus, præfato  
„ Domino Archiepiscopo, vel Procuratori suo pro eo in Civitate Strigo-  
„ nienfi quantitates prædictas solvere, & assignare curetis, si vero Vos  
„ Domini Epifcope & Electe requisitioni, monitioni, præcepto, & man-  
„ dato Nostro hujusmodi parere contemferitis, prout justum fuerit, contra  
„ Vos fortius procedemus: At si Vos Vicarii, Officiales, Camerarii,  
„ vel Receptores in præmissis exequendas contumaces, contemtores, vel  
„ rebelles fueritis nos in illum, seu illos ex Vobis, qui requisisti, seu re-  
„ quisitus super præmissis fuerint, vel fuerit, & mandatis nostris prædi-  
„ etis parere, satis facere, vel obedere conteinerint, seu contemferint, in  
„ his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Ceterum impo-  
„ nendi Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis exemptis & non exemptis Eccle-  
„ siarum, Civitatum, & Diœcesium vestrarum de prædicta summa secun-  
„ dum morem apud Vos in similibus, & hactenus observatum, congruam,  
„ & debitam portionem, nec non compellendi per censuram Ecclesiasti-  
„ cam, & alia remedia opportuna ad solvendam Vobis quantitatem, quam  
„ eisdem propter prædicta duxeritis imponendam, plenam, & liberam  
„ Vobis concedimus facultatem. Et nihilominus personis eisdem Ecclesiasti-  
„ sticis sub poena excommunicationis in personas, & interdicti in eorum  
„ Ecclesiis, quas, si contrascererint, ipsos prædicta Canonica monitione  
„ præmissa, incurrire volumus ipso facto, & in eos, & eoram quemlibet,  
„ & in eorum Ecclesiis, qui contumax, seu contumaces fuerint, vel re-  
„ belles, ferimus in his scriptis, præcipimus, & mandamus, quatenus infra  
„ terminum, seu terminos, quem, seu quos eisdem duxeritis præfigendos,  
„ Vobis, seu illi, vel illis, quem vel quos ad hoc duxeritis deputandum,  
„ vel deputandos, solvere, & assignare procurent. Volumus autem, quod  
„ de prædicta quantitate Vobis, seu Camera vestra oneriam portionem  
„ similiter imponatis, super quo vestram conscientiam oneramus. Datum  
„ Strigoni anno Domini 1349: die Lunæ 28. Septembris.

„ VI. Quod omnes Exemtiones, Delegationes,  
„ & Indulta contra præmissa fuerunt revocata.

„ VII: Quod fuit confirmatum Jus Primatiæ, &  
„ Legationis natæ Archiepiscopi Strigoniensis eidem  
„ concessum alias, tam in foro poli, quam foro in  
„ Ecclesiis ei tam subjectis, quam subjiciendis, & de  
„ novo concessum tam in seculares, quam Ecclesiasti-  
„ cas personas.

„ VIII. Quod. solus Archiepiscopus in Hungaria  
„ Crucem ante se deferri facere potest, & causas etiam  
„ per simplicem querelam coram eo motas cognosce-  
„ re, & cognosci facere, & exequi per quoscunque,  
„ tam Ecclesiasticos, & Religiosos, licet exemptos, quam  
„ mundanos.

„ IX. Quod Pontifices quam plurimi, & Pius II.  
„ confirmat omnes laudabiles consuetudines prædictas  
„ ex certa scientia, & de novo concedit.

„ X. Præterea Templariorum, & aliorum Ordin-  
„ um suppressorum, & extinctorum Ecclesiæ, & Be-  
„ neficia, redacta ad secularem statum, ad collatio-  
„ nem, & præsentationem Archiepiscopi spectant:  
„ Item Preceptorum Hospitalis Sancti Joannis Hye-  
„ rosolymitani, Rhodi, ac Abbatissarum Conventus,

„ seu Monialium monasteria Sancti Benedicti, & San-  
 „ ctæ Claræ in dicto Regno Hungariæ, & partibus  
 „ ei subjectis pertinentia, eidem Reverendissimo Domi-  
 „ no Strigoniensi in omnibus subjiciuntur.

„ XI. Quod Prioratus de Aurana subfit cum  
 „ omnibus sibi subjectis dicto Archiepiscopo in tribus  
 „ casibus, & tenentur ad ejus synodus accedere, &  
 „ contributionem facere.

„ XII. Quod si qui se exemptos dicunt, probent,  
 „ quando ab ipso Archiepiscopo fuerint requisiti.

„ XIII. Quod a quibusvis Judicibus Ecclesiasticis  
 „ Regni ad ipsum Archiepiscopum poslit appellari.

„ XIV. Quod etiam Plebaniæ Parochiales, &  
 „ aliæ Ecclesiæ, illarumque Rectores, & aliæ personæ  
 „ Ecclesiasticæ cum subditis, ac etiam dictorum Ordin-  
 „ num suppressorum, ac illorum subditi, etiam exem-  
 „ ti pariter teneantur. (a)

„ XV.

---

(a) An Archiepiscopus Strigoniensis ex prærogativa Legati nati possit viris religiosis exempti ordinis ad alium ordinem transeandi veniam largiri, mihi non est omnino compertum. Factum id suisse in Hungaria sequentes litteræ ex autographo docent. „ Petrus miseratione divina tituli „ Sancti Cyriaci in Thermis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter „ Cardinalis Regini ad Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ Regna, nec non „ Prussiam, Russiam, Livoniā, Lithuania, Valachiam, Silesiam, Lusatiam, Moraviā, Transilvaniā, Sclavoniā, Dalmatiā, Croatiam &c.

„ XV. Quod in causis simplicis' querelæ, & primis  
 „ Instantiis præfatus Reverendissimus Archiepiscopus,  
 „ in Colocensis, & Bachiensis ac illorum suffraganeo-  
 „ rum Civitatibus, & Dioecesibus Jurisdictionem con-  
 „ currentem habeat, præventionisque locus exi-  
 „ stat.

„ XVI. Quod in tertiis Instantiis, in quibus co-  
 „ ram eodem Archiepiscopo in secunda Instantia pro-  
 „ cessum fuerit, ad Romanam Curiam devolvatur.

„ XVII. Quod præfato Archiepiscopo subsint  
 „ exempti abutentes eorum exemptione.

T 2

„ XVIII.

„ Apostolicæ Sedis Legatus, dilecto Nobis in Christo Gregorio Præposito  
 „ Monasterii Sancti Michaelis de Chorna, Ordinis Præmonstratensis, Jan-  
 „ ricensis Dioecesis salutem in Domino sempiternam. Exhibita Nobis nu-  
 „ per pro parte tua petitio continebat, quod si in dicto tuo Monasterio  
 „ Sancti Michaelis alii XII. aliorum ordinum Fratres per te admitteren-  
 „ tur, & recipierentur, ex hoc profecto divinus cultus susciperet incremen-  
 „ tum. Quare Nobis humiliter supplicari fecisti ut libere XII. Fratres  
 „ aliorum quorumvis ordinum Hungaria recipiendi, dictisque Fratribus ad  
 „ Monasterium, & Ordinem se transferendi licentiam concedere dignare-  
 „ mur. Nos igitur tuis supplicationibus in hac parte inclinati, Tibi XII.  
 „ Fratres, quorumunque ordinum, minoris, vel paris observantie regula-  
 „ ris in dicto tuo Monasterio recipiendi, & eisdem Fratribus ad præfatum  
 „ ordinem, & Monasterium Sancti Michaelis prædictum suorum Superiorum  
 „ petita licentia etiam non obtenta se transferendi, inibique professionem  
 „ regularem per Fratres ordinis, & Monasterii præfati fieri, & emitte so-  
 „ litam, emitendi, & perpetuo remanendi -- Authoritate Apostolica,  
 „ qua fungimur, in hac parte licentiam concedimus, & etiam facultatem,  
 „ non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus -- quibuscumque.  
 „ Datum Buda Vesprimensis Dioecesis sub nostro solito sigillo anno Incar-  
 „ nationis Dominicæ MDII. nonis Martii. Pontificatus Sanctissimi in  
 „ Christo Patris & Domini Nostri, Domini Alexandri divina providentia  
 „ Papæ VI. anno decimo.

„ XVIII. Quod fuit derogatum omnibus Privilegiis in contrarium, & de novo ista sunt confirmata.

„ XIX. Quod transumto harum litterarum ubique credatur, tamquam originali, dum modo sit appositorum sigillum alicujus Ecclesiasticæ personæ in dignitate constitutæ, cum subscriptione Notarii publici.

### *Nova Privilegia.*

„ I. Quod Hæreticos ad gremium Ecclesiæ reddentes Apostolica authoritate absolvere possit, vel per se, vel per Vicarios.

„ II. Quod possit dispensare cum prædictis absolutionis ad quæcunque beneficia.

„ III. Quod Doctores & Notarios creare, & constituiere possit: & Bastardos quoscunque legitimare.

„ IV. Quod quemlibet de sua Dioecesi existenterem extra tempora ad sacros ordines promovere possit, vel per se, vel per alium. Datum Tirnaviae die XXIV. Aprilis, anno Domini MDLXI. ex ædibus nostris. „

Hæc Olahus: istis Pazmanus in hunc modum *Prærogatiæ Archi-episcoporum in pro-fana Repu-blica.*  
 subdit. (a) „ Archiepiscopus Strigoniensis est Comes  
 „ perpetuus Strigoniensis: - - Summus, & Secretarius  
 „ Cancellarius Regius: Personalis præsentia Regiæ  
 „ Majestatis; & unus ex Judicibus Regni ordinariis.  
 „ (b) Circa quæ sciendum, quod, cum Archiepiscopus  
 „ negotiorum mole pressus Judiciis assidue interesse  
 „ non potuerit, prout personalis Regiæ Majestatis præ-  
 „ sentia interesse tenebatur; primo substituti sunt Lo-  
 „ cumtenentes, ut plurimum spirituales personæ (c) - -,  
 „ postea, ut in causis criminalibus, & capitalibus sen-  
 „ tentiis proferendis major esset libertas, statutum  
 „ est, ut secularis persona officio fungeretur, (d) quod  
 „ & hodie fit, vocaturque personalis præsentia in  
 „ Judicis Locumtenens. - - Illud quoque Legibus  
 „ Hungariæ expressum est, ut duo homines Archi-  
 „ episcopi Strigoniensis judicio Tabulæ Regiæ inter-

T 3

„ fint,

(a) Append. III. ad laudatam synodum pag. 134.

(b) Artic. 15. anni 1536.

(c) Decret. VI. Mathiæ, Artic. 18. Decret. I. Vladislai Artic. 37. &amp; Decret. V. Vladislai in conclusione.

(d) Decret. VI. Vladislai Artic. 4. &amp; Decret. VII. Artic. 55. Intersunt tamen Prælati causis criminalibus sine suffragio, qua in re a Papa dispensati sunt porrecto hujusmodi libello supplici. „ Beatisime Pater! „ quoniam propter consuetudinem, &amp; morem Patriæ, Prælati Regni Hun- „ gariae debent, &amp; tenentur interesse Judiciis secularibus, &amp; non nunquam „ etiam in causis criminalibus, quamvis nulla dent vota, tamen ut in „ conscientia sint tuti, supplicant Vestre Sanctitati pro dispensatione, &amp; ab „ solutione, ne interessendo hujusmodi Judiciis incurvant aliquam suspensi- „ nem, irregularitatem, aut aliam quamvis censuram Ecclesiasticam, &amp; si „ incurrisserit haec tenuis, petunt dispensationem, &amp; absolutionem, a præde- „ cessoribus etiam Vestre Sanctitatis semper habuerunt facultatem, &amp; li- „ centiam. SS. Dominus annuit C. Sancti Georgii.

„ fint (a) præterea, ut Archiepiscopus nunquam te-  
 „ neatur personale juramentum in judicio deponere,  
 „ sed per officiales juret: (b) ad hæc illud quoque  
 „ inter Leges Hungariæ habetur, ut Archiepiscopus  
 „ etiam in beneficiis in aliena Diœcesi existentibus  
 „ Jurisdictionem secundum Privilegia sua exerceat;  
 „ (c) denique Legibus sancitum est, ne Rex noster  
 „ patiatur vacare Archiepiscopatum Strigonensem. „  
 (d) Haec tenus Pazmanus. Quod ad prærogativam Su-  
 premi Comitis attinet, quamquam Pazmanus ad Lu-  
 dovici I. & Mariæ ejus Filiæ decreta provocans, vi-  
 deatur dignitatis hujus initia non porro extendere, ta-  
 men exstant sub Ladislao Chuno Strigonensium Ar-  
 chiepiscoporum litteræ, quibus sibi hunc Honorem  
 disertis verbis tribuunt. De Cancellarii autem supre-  
 mi munere extra dubitationem est, id ab primordio  
 Strigonensibus Antistitibus fuisse proprium, ac pecu-  
 liare, etsi sæpe alii ab iis Præfules eo honore ornati  
 in Regum litteris reperiantur. Verum hac de re alias  
 prolixius agam, cum de sigillis Regum, & Regni Hun-  
 gariæ ex instituto commentabor.

Nunc

---

(a) Anni 1557. Artic. 13. & anni 1567. Artic. 26.

(b) Anni 1550. Artic. 64:

(c) Anni 1560. in fine edicti Ferdinandi I.

(d) Anni 1550. Artic. 18. Addi hoc loco etiam poterat, Archi-  
 episcopum, si cui Curiam Nobilem conferat, hunc properea Nobilem fieri,  
 vulgo *Prædialem* dictum, qui per totum Regnum ab exactione tributo-  
 rum, & Teloniorum liber sit juxta Artic. 59. anni 1563. De prærogati-  
 va sedendi in Comitiis Regni lis inter Pazmanum Archiepiscopum, & Pa-  
 latinum oborta est; quæ quem finem acceperit, PETERFUS Concil. Hung.  
 Tom. II. pag. 294. docet.

Nunc, quod in principio præstitui, seriem Archi-  
episcoporum ex Diplomatibus depromtam subjicio : *Dificul-*  
*tates in se-*  
cujus principium cum non nulla difficultatum capita : *rie primo-*  
objiciat, illa hoc loco extricare necessarium esse puto. *rum Archi-*  
*episcopo-*  
Primum ad Sanctum Adalbertum attinet, quem aliqui  
si non re ipsa, certe designatum ab Divo Stephano  
Archiepiscopum Strigoniensem fuisse suspicantur, quod  
quam ob causam dicant, prorsus non affequor. Nam  
Adalbertum quidem prius mortem oppetiisse, quam  
Stephanus Episcopatum rationem definitam haberet,  
exploratum est: designari autem Archiepiscopum po-  
tuisse etiamsi patiar, designatum re ipsa esse, nemo  
docet, imo per Stephanum ne potuisse quidem desi-  
gnari, vel ex hoc capite nullo negotio confit, quod  
id temporis, cum rursus in Hungariam Adalbertus ve-  
nit, Geysa, non Stephanus, rerum potiretur. Credo  
suspicioni inde ansam fuisse præbitam, quod cum A-  
dalbertus maximam in propaganda per Hungariam  
Christianæ Religione partem haberet, fueritque Gey-  
sa, & Stephano condendorum Episcopatum etiam  
author, ac propterea serius postea Patronus Strigoni-  
ensi Ecclesiæ datus, facile posteri, sed non rite, eun-  
dem Strigoniensem designatum, sibi persuaserint. Al-  
terum ad Sebastianum spectat, qui apud multos, pri-  
mum inter Strigonienses Archiepiscopos locum occu-  
pat, (a) præcipue apud Ludovicum Thomassinum,

cu-

(a) Apud BONFINIUM, &amp; INCHOFERUM.

cujus hæc narratio est: (b) „ Sebastianus , qui primus  
 „ Strigoniensis Archiepiscopus ordinatus fuerat, ali-  
 „ quamdiu post oculis orbatus successorem habuit Co-  
 „ locensem Episcopum , ita dispensante Papa: quo rur-  
 „ sus similiter dispensante Sebastianus triennio post  
 „ receptis oculis , abstergoque cæcitatis morbo pristi-  
 „ næ restitutus est sedi, remigrante in suam quoque  
 „ priorem Ecclesiam Episcopo Colocensi una cum pal-  
 „ lio, quo exornatus fuerat. Facile auguramur ea  
 „ occasione factum esse, ut & Colocensis Ecclesia in  
 „ Metropolim assurgeret. „ Non optimum id auguri-  
 um est, quod serius dehinc prærogativam Archiepisco-  
 patus ad Colocenses pervenisse, alibi jam docui, (c)  
 & in Sebastiano apertum mendum cubat, quod pri-  
 mum omnium Strigonensem Archiepiscopum fuisse  
 Dominicum, litteræ Sancti Stephani, quibus Abba-  
 tiam Sancti Martini in Monte Pannoniæ fundat, ad  
 annum MI. diserte produnt. (d) Primus itaque Stri-  
 gonensi Ecclesiæ præfuit dominicus, huic Sebastianus  
 subrogatus, & isti postea, quam lumen oculorum  
 amisisset, Astricus Colocensis Antistes suffectus est,  
 qui Sebastiano, ubi hic oculorum usum receperat, lo-  
 cum rursus fecit. Hæc Carthuitii testimonio nitun-  
 tur

(b) Tom. I. de vetere, & nova Ecclesiæ disciplina lib. I. cap. 45.  
 Num. 6.

(c) In Dissertatione de Sancto Ladislao Rege.

(d) Legitur enim in hæc verba subscriptus: *Dominicus Archiepi-*  
*scopus Vice-Cancellarius fecit anno Dominicæ Incarnationis MI.*  
*Nemo tunc Archiepiscopus in Hungaria præter Strigonensem.*

tur in hæc verba scribentis: (e) „ Eodem tempore  
 „ in Monasterio Sancti Martini erat Monachus qui-  
 „ dam Sebastianus nomine, cuius probabilis vita, &  
 „ devota in Dei servitio religio habebatur. Hunc  
 „ Rex venerabilis miro amore cœpit diligere, quia  
 „ quanto quis religiosior, tanto ei erat acceptior.  
 „ Illum ergo ob vitæ merita, Pontificali honore di-  
 „ gnum judicans, regendo Strigonienf Archiepiscopatui  
 „ eum præfecit. Et quoniam flagellat Deus omnem  
 „ filium, quem recipit, prædictum Sebastianum ad  
 „ probandam ipsius patientiam, corporalium oculorum  
 „ lumine ad tempus privavit. Sed ne novellus in si-  
 „ de grex absque pastoris regimine, a recti tramitis  
 „ proposito deviaret, per consensum Romani Pontifi-  
 „ cis sæpe dictum Astraricum Colocensem Episcopum in  
 „ illius locum substituit. Evolutis deinde trium anno-  
 „ rum circulis Sebastianus ex Dei misericordia recepto  
 „ lumine, rursum per Apostolici consilium suæ Sedi  
 „ restitutus est, & Astraricus ad suam Ecclesiam, vide-  
 „ licet Colocensem, cum pallio rediit. „ Haec tenus ille.  
 Quemadmodum autem cum pallio Astraricus ad suam  
 Ecclesiam redierit, jam alias memoravi, & deinceps,  
 ubi de Colocensibus agendum erit, rursus meminero.  
 Id jam hoc loco videndum est, quo tempore Astri-  
 cus

---

(e) In Legenda sancti Stephani Regis cap. 2.

cus Sebastiano vicariam operam præstiterit: qua in re ut multorum sunt sententiæ, ita parum inter se consentientes. Plerique tamen annum MII. Sebastiano tribuunt, quo fuerit Dominico Archiepiscopo subrogatus. Hac ratione Dominicus annum integrum non excesserit, quod tempus mihi videtur magnopere adstrictum, & in Sebastiano propterea occupatum. Recens enim instructum, & ab Monachis habitatum sancti Martini Monasterium, tum sancti Stephani de religiosa Sebastiani vita judicium, quod multam, & crebram de ejus virtutibus cognitionem indicat, verisimiliter suadent, Sebastianum aliquot post Dominicum annis huic subrogatum, et si, quis hic annus sit, definire non ausim. Si tamen conjecturæ locus sit, reor annum MV. fuisse, quo Sebastianus ad Strigonensem Cathedram promotus sit, & oculis captus, quod altero ab hinc anno Astrici, qui & Anastasius audit, memoria in Synodo Francofordiensi in hæc verba occurrit: „ Anastasius Ungrorum Archiepiscopus interfui, & subscripti. (a) „ Ungrorum Archiepiscopus hoc tempore nemo, præter Strigonensem fuit, itaque, cum Astricum, sive Anastasium, vicariam operam Seb astiano præstitisse Carthuitius memoret, hunc Synodo

---

(a) Collect. Concil. Harduini ad annum 1006. alii rectius ad annum 1007. quo anno idem Anastasius eodem axiome subscriptas legitur Diplomati Henrici II. ut est apud Hartzheim Concil. German. Tom. III. pag. 38. & apud Eccardum Corp. Hist. mediæ ævi Tom. II. col. 62.

do Francofordiensi subscriptisse oportuit, & dehinc eidem Sebastiano locum rursum cessisse ita tres annorum circulos Carthuitii proxime ad verisimilitudinem exactos habemus.

Quæri forte hic etiam possit, num Bonipertus, quem primum Quinque-Ecclesiensibus Episcopum a Stephano datum fuisse compertum est, inter Strigonienses Archiepiscopos locum habeat. Dubitandi ansam præbet Fulberti Epistola, (a) ad eundem Bonipertum data in hunc tenorem.

„ Sancto , ac Venerabili Arc. suo Boniberto  
„ Fulb. Fidelitatis obsequium, & summi Pastoris be-  
„ nedictionem. Primum quidem benedicimus Domi-  
„ num Patrem ingenitum, Filiumque suum unigenitum  
„ Jesum Christum Dominum nostrum , & Spiritum  
„ Sanctum paraclitum, unum verum Dominum, qui  
„ cuncta creavit , qui te quoque dilectissime Pater  
„ multa sapientia illustravit, ad docendum Populum  
„ suum, & decore sanctitatis ad præbendum bonæ vi-  
„ tæ exemplum decenter ornavit. Deinde magnas  
„ tibi referimus grates , quod Nos, licet immeritos,  
„ atque ignotos, salutationis tuæ, pariterque munere

U 2

Gra.

---

(a) Ex editione variorum operum a Carolo de Villiers Parisiis  
1608.

„ gratiæ dignatus es prævenire. Unde profecto Nos  
 „ in amorem tuum sic animasti, ut perennem tui me-  
 „ moriam in intimo cordis nostri vigere velimus, ut  
 „ faltem per crebra orationum suffragia, si aliter fa-  
 „ cultas non suppetierit, tuæ benignitati vicem re-  
 „ pendere satagamus. Significavit autem Nobis Filius  
 „ noster, tuusque fidelis Hilduinus, tuæ Charitatis  
 „ erga nos insignia fideliter afferens, unum de nostris  
 „ Priscianis velle, quem & per eundem libenter mit-  
 „ timus, quidquid etiam de nostro petieris, hilarissime  
 „ Tibi, si possibile fuerit, transmissuri, ipsam quoque  
 „ præsentiam nostram, si Tibi opus esset, ac voluntas,  
 „ Nobisque potestas, obsequentissime præstaturi. Ad  
 „ ultimum salvere te semper optamus, precantes, ut  
 „ illam novam, ac gloriosam adoptionis prolem, sum-  
 „ mi Regis Regem, videlicet Stephanum Excellentiae  
 „ seu, (fors *suæ*) ex nostra parte, & universarum  
 „ congregationum, quæ sunt in Episcopatu nostro,  
 „ Canonicorum scilicet, & Monachorum, orationum  
 „ fidelia. Vale. „ Quo anno data epistola sit, non  
 liquet. Mabillonius, (*b*) scriptam putat prius, quam  
 Episcopatum Carnotensem Fulbertus adeptus esset, id  
 quod ante annum MVII. fieri oportebat, quo Ful-  
 bertus jam Episcopus fuit. At id temporis Boniper-  
 tus nondum, nisi fors designatus, Quinque-Ecclesiensis

An-


Antistes erat, quem anno primum MIX. in litteris fundatæ Ecclesiæ a Stephano nominari Episcopum constat. Insunt tamen nonnulla litteris Fulberti, quæ illum contra, quam Mabillonius sentiat, jam Episcopum fuisse videantur declarare. Non obscure enim Stephano Regi offert *orationum fidelia*, & quidem tam *Canonicorum*, quam *Monachorum*, idque, ut ait, *in Episcopatu nostro*. Scio quidem Homines minoris etiam ordinis, Episcopatum, in quo degunt, suum non infreuerter dicere; verum, quod Fulberti litteræ exsertim habent, *orationum fidelia* non modo *Canonicorum*, sed *Monachorum* etiam totius Episcopatus offerre, non ad privatum, sed ad eum, qui omnibus præest, hoc est, Episcopum, ut puto, videntur pertinere. Adde, quod Hilduinum, quem Bonipertus misserat pro referendo Prisciani exemplo, id enim temporis Clerus in Hungaria hujusmodi litteris egebat, *filium* suum dicit, &, quo minus, ac volebat, in Hungariam ipse Fulbertus concedere potuerit, omnino, nisi omnia me fallunt, Episcopum designant, qui officii rationes, Episcopali muneri, ut oportebat, postposuerit. Fuit igitur, meo quidem judicio, jam tum Fulbertus Carnotensis Episcopus, cum ad Bonipertum litteras dedit. Sed qua ratione hunc ille Archiepiscopum compellare potuerit, nam illud *Arc. suo*: plerique interpretantur, *Archiepiscopo suo*: prorsus obscurum est. Præter Strigonensem Hungaria nullum eo tem-

pore Archiepiscopatum novit, quod Bachiensis serius postea exortus, & hic cum Colocensi deinceps in unum conflatus est, ut alias jam docui (*a*), & rursus memorabo, si eo ventum fuerit. Strigonenses autem illius temporis satis rite exactos habemus, & Chronicon MS. Seculi exeuntis XII. Bonipertum Episcopi titulo insignitum obiisse ad annum **XLII.** refert, ut adeo verisimilimum sit; in *Epistolæ* titulum errorem, forte scribentium, aut legentium desidia irrepessisse, ac pro *Arc.* rescribendum *Am.* quasi dicat *Amico suo*, quod & stilos *Epistolæ*, & facilis utrinque litterarum conversio suadere videntur: nisi forte quis existimet, voculas *Arc. suo*: ab imperita manu serius postea in codicem inserta fuisse. Utrumvis sit, Bonipertus certe locum inter Strigonenses Archiepiscopos nunquam habuit.

AR-

---

(*a*) In *Dissertatione Historico-Critica de Sancto Ladislao Rege.*



A R C H I E P I S C O P I  
S T R I G O N I E N S E S.

*Annus Christi.*

- 1001. Dominicus I.
- 1005. Sebastianus.
- 1006. Astricus Colocensis Episcopus, Administrator Strigoniensis.
- 1007. Astricus.
- 1008. Astricus.
- 1009. Sebastianus restitutus.
- 1037. Dominicus II.
- 1055. Benedictus I. (a)
- 1075. Neæmias.
- 1085. Acha.
- 1093. Stephanus I.
- 1096. Seraphinus.
- 1105. Laurentius.
- 1108. Laurentius.
- 1111. Laurentius.

III 3.

---

(a) Hunc Nicolaus SCHMITTIUS, ac ceteri qui Catalogos Strigoniensium Archiepiscoporum contexuerunt, omisere. Cur illi hic locum tribuam, autographum fundationis Abbatia de Tyhon in causa est, sub cuius finem primus omnium subscriptus legitur in hæc verba: †. *Benedicti Archiepiscopi signum.* Eo tempore in Hungaria nullus præter Strigoniensem Archiepiscopus erat: igitur hunc fuisse oportuit, & Neæmias ad annum 1048. tempus vehementer occupat.

- 1113. Laurentius.
- 1119. Marcellus.
- 1124. Marcellus.
- 1133. Felicianus I.
- 1138. Felicianus.
- 1139. Felicianus.
- 1143. Mycha. (b)
- 1145. Felicianus. II.
- 1156. Martirius.
- 1157. Martirius.
- 1158. Martirius.
- 1162. Lucas.
- 1165. Lucas.
- 1169. Lucas.
- 1175. Lucas.
- 1178. Lucas.
- 1180. Nicolaus I.
- 1183. Nicolaus.
- 1186. Job.
- 1188. Job.
- 1190. Job.
- 1193. Job.
- 1195. Job.
- 1197. Job.
- 1198. Job.
- 1199. Job.

1201. Job.  
 1202. Job.  
 1204. Ugrinus, sive Guilelmus. (a)  
 1206. Joannes I.  
 1207. Joannes.  
 1208. Joannes.  
 1209. Joannes.  
 1210. Joannes.  
 1211. Joannes.  
 1212. Joannes.  
 1215. Joannes.  
 1217. Joannes.  
 1218. Joannes.  
 1219. Joannes.  
 1220. Joannes.  
 1221. Joannes.  
 1222. Joannes.  
 1224. Vacat, (b) & eodem anno  
 1224. Thomas I. (c)  
 1225. Vacat.  
 1226. Robertus. (d)

1228.

(a) Ex Jaurinensi Sede promotus.

(b) In Diplomate per Cleatum Agriensem Præpositum dato.

(c) In alio autem per Magistrum Stephanum Domini Pape Subdiaconum, diserte Thomas Archielectus vocatur.

(d) Ex Vespriensi Sede traductus. Hic Andream Regem ob Iudeos, & Saracenos publicis muniis adhibitos sententia excommunicationis subjecit. Qua de re questis Rex apud Papam facile relaxationem obtinuit, monuitque Pontifex Archiepiscopum, ut cum Rege *in Spiritu lenitatis* agat.

1228. Robertus.  
 1229. Robertus.  
 1230. Robertus.  
 1231. Robertus.  
 1232. Robertus.  
 1233. Robertus.  
 1234. Robertus.  
 1237. Robertus.  
 1238. Robertus.  
 1239. Mathias: (a)  
 1241. Mathias.  
 1242. Stephanus II. de Vancsa. (b)  
 1243. Stephanus.  
 1244. Stephanus.  
 1246. Stephanus.  
 1247. Stephanus.  
 1248. Stephanus.  
 1249. Stephanus.  
 1251. Stephanus.  
 1252. Stephanus. (c)  
 1254. Benedictus I.  
 1255. Benedictus.  
 1256. Benedictus.

1262.

(a) Ex Vacensi postulatus.

(b) Itidem ex Vacensi postulatus. Hic Bela IV. litteras, quibus Hungariam Imperio clientelarem promiserat, si Tartari illius ope ex Hungaria exigerentur, ad Fridericum Imperatorem detulit, quas Rudolphus tum in Aula Friderici versatus se vidisse testatur. Sed conditionem non satis impletam prolixe in annalibus docui.

(c) Cardinalis factus, &amp; ad Prænestinum Episcopatum traductus.

1262. Philippus.  
 1263. Philippus.  
 1264. Philippus.  
 1268. Philippus.  
 1269. Philippus.  
 1270. Philippus.  
 1271. Philippus.  
 1272. Philippus.  
 1273. Vacat. III. Calend. April. autem  
 1273. Nicolaus II. & II. Cal. Novembris iterum  
       vacat.  
 1274. Pridie Idus Januarii, & X. Cal. Februarii vacat.  
 1275. Magister Benedictus II. (a)  
 1276. Benedictus.  
 1277. Benedictus.  
 1279. Lodomerius I. (b)  
 1280. Lodomerius.  
 1281. Lodomerius.

X 2

1283.

(a) Ex Colocensi traductus, primusque, quem hactenus repererim  
 hoc titulo usum: *locique ejusdem Comes perpetuus*. An aliis ante eum  
 titulo hoc usus sit, ignoro. Certe Ladislai Diploma ita subscriptum est.  
*Datum per manus Venerabilis Viri Magistri Benedicti, electi in Ar-  
 chiepiscopum Sanctæ Strigonensis Ecclesiae, perpetuigne Comitis loci  
 ejusdem, Praepositi Budensis, & Aulæ nostræ Vice-Cancellarii.* Ita-  
 que multo ante hoc titulo Archiepiscopi gaudebant, quam Eminentissimus  
 PAZMANUS existimavit.

(b) Vetusta MSS. apud Nicolaum SCHMITT Archiepiscoporum Stri-  
 gonensium Catalogo pag. 144. faciunt illum Radislao Halicæ Duci co-  
 gnatum. Ex Varadiensi Sacerdotio ad Strigonensem Cathedram promotus,  
 ut liquet ex litteris Ladislai Chuni de Anno 1283. in quibus dicitur;  
*Lodomerius - - primum Ecclesiae Varadiensi praesidens, & nunc San-  
 ctam Ecclesiam Strigonensem, Matrem nostram gubernans &c*

1283. Lodomerius.  
 1284. Lodomerius.  
 1286. Lodomerius.  
 1287. Lodomerius.  
 1288. Lodomerius.  
 1289. Lodomerius.  
 1290. Lodomerius II. (c)  
 1291. Lodomerius.  
 1295. Lodomerius.  
 1296. Lodomerius.  
 1297. Lodomerius.  
 1298. Gregorius. (d)  
 1301. Gregorius. (e)  
 1304. Michael. (f)

1305.

---

(c) Hunc omnes cum priore eundem faciunt, nominis similitudine, & quod priorem confessum fecerunt est, decepti. Distinguendum tamen a priore syudent litteræ autographæ, quas præ manibus habui. Earum hoc initium est: *Lodomerius miseratione divina Archiepiscopus Strigonensis, locique ejusdem Comes perpetuus.* Donat terram, quam sibi olim Bela IV. dederat, cognatis suis. Clausula sic habet: *Datum Strigoni, anno Domini MCC. nonagesimo secundo Archiepiscopatus Nosiri anno tertio.* Quod aliquando, rarius tamen, in aliorum quoque Episcoporum litteris occurrit. Sigillum refert Episcopum mitratum sine pedo, cum hac perigraphe. *S. minus Lodomerii Dei gratia Archiep. Strigoni.* Hinc facile conjicias utrumque Lodomerium secernendum esse.

(d) Probabiliter Frater Comitis Ceeny de genere Katupany, Canonicus olim Strigonensis. Male hunc aliqui censem illegitimum Archiepiscopum suisse, quod peculiari Dissertatione Vien. anno 1768. edita illustrat pia memorie Fr. Xystus SCHIER. Ordinis Sancti Augustini.

(e) In Instrumento anni 1301. dicitur; *Administrator Strigonensis & Albensis Ecclesiarum,* quia ex Transilvaniensi Cathedra ad Strigonensem promotus illud beneficium retinuit.

(f) Hunc plurimos ad Caroli Roberti partes attraxisse ex Instrumento Tabularii sacrorioris Vindobonensis certum est, cuius magis opportuno loco meminisse non omissam.

1305. Thomas II.  
 1308. Thomas.  
 1309. Thomas (a)  
 1313. Thomas.

X 3

1315.

(a) Sub hoc synodus in *Udvard* hoc anno celebrata: cuius acta cum PETERFYUS compendio solum referat, invenit litteras integras eti prolixas exscribere. „ Thomas Dei gratia Archiepiscopus Strigonienſis, locique ejusdem Comes perpetuus, univerſis praefentes litteras inspecturis falutem in Domino sempiternam Cum omnes leges & jura Ecclesiastica proclament, quod Ecclesiaz, personaz Ecclesiasticaz, jura, possessiozes, prædia, & qualibet obventiones, & universa bona mobilia, & immobilia Ecclesiastica immunitatem habeant perpetua libertatis, & nonnulli contra prædictam prærogativam Ecclesiasticaz libertatis, Ecclesias, Ecclesiasticas personas, jura, obventiones, possessiozes, & bona Ecclesiastica mobilia & immobilia diversis gravaminibus, angariis, occupationibus, Talliis, & exactionibus aggravent, & perturbent, Nos ex offici nostri debito militiis prædictorum, prout est possibile, viam præcludere cupientes, de consilio, & consensu Venerabilium PP. Dominorum Episcoporum sociorum, & collegarum nostrorum, & aliorum Prælatorum, & ceterorum Virorum Ecclesiasticorum in Concilio nostro Provinciali in Udvard congregatorum statuimus sententiam, & decernimus sententiando, quod tales, qui prædicta perpetrant, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatæ Virginis Matris ejus se noscant incurrisse omnes, qui Sacerdotibus, vel quibuscumque Ecclesiasticis viris Tallias, vel exactiones quascunque imponunt, vel eosdem ad aliqua onera subennda compellunt, aut eisdem decedentibus bona eorumdem rapunt, vel usurpat, aut super eos descensus violentos faciunt, vel per alios fieri procurant, & mandant manifeste, vel occulte. Item in alios, qui parochiales Sacerdotes ad tempus in regimen animarum assumunt nec eosdem his, ad quos spectat confirmatione de Jure, præsentant, & in Sacerdotes, qui hoc fieri patiuntur, vel procurant occulte, vel manifeste. Item in eos, qui data pecunia, vel accepta ad Ecclesias Parochiales se introduci procurant: (omnium Simoniam vocabant) In eos etiam Sacerdotes, qui sine litteris diplomatis sui Episcopi Diœcesis, ad Diœcēsim, vel sine licentia, & litteris Archidiaconi, de uno Archidiaconatu ad alterum, vel in eodem Archidiaconatu de Ecclesia ad Ecclesiam aliam transitum fecerint, excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis: nihilominus eosdem per suos Archidiaconos capiendos nobis præsentari mandamus, quod eisdem Archidiaconis in virtute obedientiae injungimus firmiter, & mandamus. Item in omnes Sacerdotes, qui Interdictum violaverint, divina officia in locis interdictis, vel non interdictis, excommunicatis „ tamen

1315. Thomas.

1317. Thomas.

1318.

„ tamen vel personis interdictis celebrando , vel corpora excommunicato-  
 „ rum , seu etiam interdictorum in locis sacris interdictis , vel non inter-  
 „ dictis sepe deliverint , præter poenam irregularitatis , quam sic facientes eo  
 „ ipso incurrint , similem excommunicationis sententiam proferimus in his  
 „ scriptis: statuentes nihilominus , ut per eorum Archidiaconos , quibus hoc  
 „ in virtute sanctæ obedientiae firmiter injungimus , nobis adducti manci-  
 „ pentur , & si atrocitas facti , vel contumacia eorundem exegerit , degra-  
 „ dati Curia tradantur severius per eosdem puniendi : Seculares autem si-  
 „ ve Laici , vel quævis alia persona , si Archidiacono , vel quibuscumque  
 „ aliis , mandatum speciale ad hoc habentibus , in executione prædicti nego-  
 „ tii , in persona , vel in rebus , vel in quibuscumque circumstantiis im-  
 „ pedimentum , vel aliquod gravamen , occulte , vel manifeste fecerint ,  
 „ aut fieri mandaverint , vel procuraverint , vel Sacerdotibus prædicta  
 „ perpetrantibus , ne ipsa poena percelli possint , auxilium , consilium , vel  
 „ favorem præstiterint , simili excommunicationis sententia , quam in eos  
 „ ex nunc prout ex tunc proferimus in his scriptis , subjaceant ipso facto .  
 „ Item cum honor Beatae Virgini Genitrici Domini nostri Jesu Christi  
 „ impensus , vel impendens , eidem Domino nostro Jesu Christo , & toti  
 „ coelesti Curia impendi nullatenus ambigatur , de consilio Reverendorum  
 „ PP. & Domorum Episcoporum , Collegarum nostrorum , & aliorum  
 „ Prælatorum statuimus , & ordinamus , sicut in pluribus locis a fidelibus  
 „ Christi hoc firmiter observatur , ut quolibet die de sero , cum jam dies  
 „ inclinari cœperit , quavis Prælatus ejuscumque dignitatis , aut status fe-  
 „ cularis , & universi Ecclesiæ Parochialium Sacerdotes ad instar tinti-  
 „ nabuli campana sonari faciant , quo signo auditio universi Christi fideles  
 „ ad honorem Beatæ Virginis ter dicant Ave Maria , ut sic suorum re-  
 „ missionem mereantur accipere peccatorum Nos enim , & quilibet Epi-  
 „ scoporū Nostro in præfenti Concilio congregatorum , singuli nostrum  
 „ singulas decem dierum Indulgentias de omnipotentis Dei manu confisi ,  
 „ omnibus hoc ad laudem Genitricis Dei facientibus , duximus conceden-  
 „ das . Ceterum quicunque Ecclesiastica Judicia , secularia , seu spirituallia  
 „ usurpant , ea temerarie judicando , & ad sua Judicia vocata trahendo ,  
 „ sententiam excommunicationis in omnes tales proferimus in his scriptis :  
 „ Similiter qui a viris Ecclesiasticis , Regularibus , seu Secularibus , præ-  
 „ fertim ad sacerdotum Concilium , vel sacram Synodus venientibus , tributa ,  
 „ vel pedagia receperint , sententiam excommunicationis in eos proferimus  
 „ in his scriptis . Prætereâ quicunque duas Ecclesiæ Parochiales , aut duo  
 „ beneficia curam animarum habentia , sive duos Personatus , vel perso-  
 „ nam , & beneficium habens curam animarum , in altero Vicarium te-  
 „ nendo , palam vel occulte , vel quocunque quæsito colore , indebitè deti-  
 „ nent , cum de Jure non possint , sententiam excommunicationis in omnes  
 „ tales

1318. Thomas.

1319. Thomas.

1322.

„ tales, & Vicarios, per ipsos institutos, proferimus in his scriptis. De-  
„ dum quia inter mala omnia, quæ prætactis temporibus plurimum in  
„ Regno Hungariae sunt multipicata, corrupti quippe in eo omnis caro  
„ viam suam, & homicidii malum plus increbescit, & frequentatur, pla-  
„ cuit, ut in Missarum Solenniis, eis, quos homicidas certitudinaliter esse  
„ sciverint, & cognoverint, nullus omnino communicet, sed sicut antiqui-  
„ tus vigente fide, & fervente devotione a fidelibus servabatur, tamquam  
„ prædicti homicidae ab omnibus spernantur, & contemnuntur. Nam præ-  
„ dicti sceleris perpetratores, qui antea cum humilitate magna, & cordis  
„ contritione nudi, & disfaleati ante fores Ecclesie se flagellantes, suorum  
„ precabantur veniam peccatorum, nunc - - impudice se Missarum so-  
„ lenniis, & aliis divinis immiscent officiis, & quanto plura committunt  
„ homicidia, unde dolere deberent, & ingemiscere, cum creaturam ad imagi-  
„ nem Dei creatam nequiter extinguunt, spiritum vite, quem in eos Deus  
„ inspiravit, crudeliter afferentes, tanto amplius gloriantur. Universi  
„ igitur Prælati Ecclesiarum in suis Ecclesiis in Dominicis diebus, & præ-  
„ cipuis festivitaribus præcipiant populo sibi subiecto, ut homicidas præ-  
„ dictos, ne malum hoc amplius frequentetur, tamquam excommunicatos,  
„ & leprosos evitent, contemnant, & despiciant, ut sic saltē rubore  
„ suffusi ad poenitentia fructum revertantur, & a perpetrandis malis præ-  
„ dictis amplius arceantur, & hoc Christi Fidelibus in suorum injungant  
„ remissionem peccatorum. Item cum Martinus Sclavus, ceterique Cives  
„ Budenses, per Reverendum Virum bonæ memorie Dominum Gregori-  
„ um quondam electum Strigonensem, & subsequenter per Reverendum  
„ Dominum Nicolaum tunc Ostiensem, & Veltrensem Episcopum, A-  
„ postolicae Sedis Legatum, ac demum Dominum Michaëlem piæ memo-  
„ riae quondam Archiepiscopum Strigonensem, prædecessorem nostrum ex-  
„ certis, & legitimis, ac evidenter, & cunctis nomine notis can-  
„ sis, excommunicationis, & castrum ipsum interdicti sententiis fuerint  
„ irretiti, & ipsas sententias a novem annorum cursu animo sustinuerunt  
„ indurato, cogentes populum Castri Budensis audire Missas Ludovici  
„ Sacerdotis, & siorum ejus excommunicatorum, qui in loco præfato in-  
„ terdicto ab ejusdem temporis spatio, actu Missas, & alia divina officia  
„ celebrarunt, prædictis excommunicatis, & interdictis, & adhuc cele-  
„ bran Dei timore postposito, prædictas excommunicationis, & inter-  
„ dicti sententias, per prefatos latas, in eosdem innovamus, & nihilominus  
„ in ipsos denuo excommunicationis, & interdicti sententias proferimus  
„ in his scriptis; Sacerdotes, qui in eodem loco celebraverunt haec tenus,  
„ & adhuc celebrant, vel celebraverint in posterum, quoad iidem cives  
„ meruerint absolutionis beneficium obtinene - - excommunicavimus in his  
„ scriptis, prædictos Sacerdotes, tamquam Hæreticos, & Schismaticos de-

~, clau.

1322. Boleslaus Dux Tostensis.

1223.

„ clarantes, deputando personas eorundem a Fidelibus Christi capiendas,  
 „ ac bona ipsorum diripiendo universa, civium scilicet Budensium, & Sa-  
 „ cerdotum sic celebrantium prædictorum, & hoc eisdem Fidelibus in  
 „ suorum injungimus remissionem peccatorum: Et Nos, Reverendi PP.  
 „ Coepiscopi, & Collegæ nostri in præsenti nostro Concilio congregati,  
 „ Joannes videlicet Nitriensis, Petrus Quinque-Ecclesiensis, ac Martinus  
 „ Agriensis Ecclesiarum Episcopi, omnibus Christi Fidelibus, qui predi-  
 „ cto Sacerdotes, & cives Budenses sic obstinatos impugnaverint capi-  
 „ endo personas, & bona diripiendo, seu auferendo eorundem, quilibet  
 „ nostrum singulas quadraginta indulgentias dierum duximus concedendas.  
 „ Item cum summus Pontifex Dominus Bonifacius felicis recordationis  
 „ Papa VIII in omnes Duces, Barones, Banos, Comites, Prælatos, Cle-  
 „ ricos, Religiosos, cuiuscunq[ue] ordinis, dignitatis, aut conditionis exi-  
 „ stant, qui Domino Carolo, naturali Regi Hungariæ non adhærerent,  
 „ aut sibi consili's, auxiliis, aut favoribus opportunis non assisterent,  
 „ universa Jura Regalia, & servitia debita, ac consueta sibi facere, vel  
 „ dare denegarent, eundem Regem Hungariæ non nominando, vel titu-  
 „ lando, sed quemcunque alium, excommunicationis publicæ, & solenniter  
 „ per suas litteras autenticas, & in Ducatus, Civitates, Castella, Oppida,  
 „ aut quælibet loca, eidem prædictis modis rebellantia, interdicti sententias  
 „ protulisset, & Nos, ac Prædecessores nostros hujusmodi mandati execu-  
 „ tores statuisset, Nos quamvis frequentatis vicibus publicaverimus, &  
 „ denunciaverimus hoe in scriptis, nihilominus & nunc declaramus, ac  
 „ denunciamus, omnes tales in excommunicationis, & interdicti sententias  
 „ dicti summi Pontificis incidisse, & autoritate Metropolitica prædictas  
 „ sententias innovamus, & in eosdem contemtores profirimus in his scri-  
 „ ptis, una cum Venerabilibus PP. Joanne Nitriensis, Petro Quinque-  
 „ Ecclesiarum Episcopis, ac toto sacro nostro Concilio in Vdvard cele-  
 „ brato, monentes, inducentes, & exhortantes peremtorie, & præcise  
 „ universos, ut ad obedientiam prædicti Regis redeant: eundem in Do-  
 „ minum naturalem, & Regem Hungariæ recognoscendo, universa Jura  
 „ regalia, & servitia debita, & consueta dantes, & impendentes eidem.  
 „ Alioquin sciunt indubitanter, quod totum Regnum Hungariæ generali  
 „ subiectetur interdicto, & in rebelles ejusdem Domini Regis Caroli, &  
 „ Jurium suorum detentores Vexillum Sanctæ Crucis Fidelibus universis  
 „ prædicabitur, tamquam contra sepulcri Domini detentores. „ Haec tenus  
 „ litteræ synodicae. Annus deest, sed ex postremis conjectu facilis est An-  
 „ nus 1309. Idem Archiepiscops Thomas Mathæum Trenchinensem Pala-  
 „ tinum excommunicavit. Nihil autem mirum, tam severis poenis in Hun-  
 „ garos promiscue id temporis animadversum fuisse, quod tribus de Re-  
 „ gno concertantibus, nulla experiendi uris via supereisset, ut adeo necesse  
 „ fuerit, poenis Ecclesiasticis, quæ Hungaris nunquam non in pretio fuere,  
 „ in obliquantes uti. Fortassis haec in causa erant, ut Regnum anno sequen-  
 „ te Carolo penitus obtemperaret..

1323. Boleslaus.  
 1324. Boleslaus.  
 1325. Boleslaus.  
 1326. Boleslaus.  
 1327. Boleslaus.  
 1328. Boleslaus. (a)  
 1328. Nicolaus III. (b)  
 1329. Nicolaus.  
 1330. Nicolaus. Vacat autem pridie Calend. Maji, &  
 1330. Chanadinus pridie Nonas Junii (c)  
 1332. Chanadinus, & regis compater.  
 1333. Chanadinus.  
 1334. Chanadinus.  
 1335. Chanadinus.  
 1336. Chanadinus.  
 1338. Chanadinus.  
 1342. Chanadinus.  
 1345. Chanadinus.  
 1346. Chanadinus.  
 1347. Chanadinus.

1348.

(a) Idem *Dux Tostensis* dictus a *Tost* Urbe Silesia, quæ olim ad Ducatum Olsnicensem pertinuisse videtur, ut habet Cl. SOMMERS BERG Tom I. Pag. 886.

(b) Boleslao Catalogi, quos haecenius viderim, confessim substituunt Chanadinum, interserendum tamen est Nicolaus, qui in binis Caroli Roberti autographis anni 1328. occurrit, tertii anni principio probabili- ter mortuus.

(c) In Instrumento Cambii, quod cum Comitibus Bediis inierat titulo oppidi Bogdan.

1348. Chanadinus.  
 1349. Vacat. (a)  
 1350. Nicolaus IV.  
 1351. Nicolaus.  
 1352. Nicolaus.  
 1353. Nicolaus.  
 1354. Nicolaus.  
 1355. Nicolaus.  
 1356. Nicolaus.  
 1357. Nicolaus.  
 1358. Vacat III. Nonas Septembris: & XIV. Calend.  
     Dec. ex Colocensi  
 1358. Nicolaus V.  
 1359. Nicolaus.  
 1360. Nicolaus.  
 1361. Nicolaus.  
 1362. Nicolaus.  
 1363. Nicolaus.  
 1364. Nicolaus.  
 1365. Nicolaus.  
 1366. Nicolaus.

1367.

(a) Nicolaus SCHMITT in Archiepp. Strigoniensibus pag. 189. Chanadinam ad annum 1350. adducit in litteris Ludovici Regis, quibus donationem oppidi Zuhna confirmat, sed nupsiam indicat, an autographum vel apographum fuerit, in qua postrema facile error irrepit. Ego in autographo Capituli Agrienſis de anno 1349. in festo Beati Sylvestri Papæ & M. hanc subscriptionem lego: *regnante Ludovico Dei Gratia illustri Rege Hungariae, Strigonien. & Colocen. Sedibus vacantibus.* Ex quo liquet Chanadinum usque ad annum 1350. non posse pertingere.

1367. Thomas III. (a) Deseu.  
 1368. Thomas.  
 1369. Thomas. Decretorum Doctor.  
 1370. Thomas.  
 1373. Thomas.  
 1376. Joannes II. (b)  
 1377. Joannes.  
 1378. Joannes.  
 1379. Demetrius Tit. SS. quatuor Coronatorum S.  
       R. E. Presbyter Cardinalis, Strigonienſis  
       Ecclesiæ Gubernator &c.  
 1380. Demetrius.  
 1381. Demetrius.  
 1382. Demetrius.  
 1383. Demetrius.  
 1384. Demetrius.  
 1387. Vacat, *Dominica Ramispalmarum*  
 1388. Joannes III. de Kanyfa.  
 1389. Joannes.  
 1390. Joannes.  
 1391. Joannes.

Y 2

1393.

(a) Ex Colocensi traductus. In privilegio Elisabethæ reginæ anni 1382. hæc reperio: *Magistri Deseu filii Benedicti, patris quondam Archiepiscopi Strigonienſis &c.* Hæc ex temporis ratione videntur Thomæ III. congruere.

(b) Rursus apud Nicolauim SCHMITT Thomas ad annum 1370. pertinet, cum tamen Joannes, quem penitus ex serie omittit, in Tabulis fæderis, inter Endovicum Regem, Aquilejenses, & Fozojulienses anno 1376. initî, fuseriptus legatur Strigonienſis Archiepiscopus.

1393. Joannes.  
 1394. Joannes.  
 1395. Joannes.  
 1396. Joannes. (c)  
 1397. Joannes.  
 1399. Joannes.  
 1400. Joannes.

1401.

(c) Hoc anno Sigismundum Regem a clade Nicopolitana variis erroribus circumactum summa fide secutus, ut ipse Rex in litteris suis anno 1397. calendis Junii datis fatetur in hæc verba: „ Nobis demum in fluvio „ Danubii versus mare, & postea per annes pelagi (nigri) in galeis ver- „ sus civitatem Constantinopolitanam, & ab eadem ad Dalmatiæ, & „ Croatiae Regnorum nostrorum clima remigantibus, idem Dominus „ Joannes Archiepiscopus Nos nullatenus deserere voluit, quin potius no- „ stris personæ, & obsequiis summa promptitudine, consilio, peritia, in- „ dustria, & solertia, totis suis risibus ubique placide, & proficie assistere „ didicit indesinenter. „ Ex itineris ratione patet, Sigismundum ab Ni- copoli secundo Danubio in mare nigrum ex hoc in fretum Constantinopolitanum, postea in Propontidem, hinc per Dardanelas, ut vocant, maritimo itinere in Dalmatiam appulisse. Nemo haçtenus, ut reor, Hungarorum, multo minus Regum nostrorum, hac iter fecit, quod tamen ex locorum situ, & vetusto Jure non esset difficultissimum. Si *Galeas*, maritimi navigii genus, quarum etiam Danubius patiens est, a Moldavis, aut Valachis, quod tamen vix puto, per iter Sigismundus non accepit, veri simile est, Hungaros id genus navigatorum olim habuisse, ut ex ejusdem Sigismundi litteris de anno 1433. conjicio. In his facinus egregium mulieris ita collaudat. *Ipsa namque Domina Comitissa (Cæcilia) Nobis, & Comite Stephano (de Rozgon) Domino & Marito suo -- cum nostris exerciti- bus in obsidione -- Castris Galambocz existentibus -- præ ceteris Do- minabus audacior -- ad Castrum nostrum Szent-László-Vár -- ex oposito Castris Galambocz -- per Nos ædificatum venire au'la est, & unam Galeam nostram armatam inter ceteras inibi super ipso fluvio Danubii habitam, ne dum prætermissa muliebri, sexusque feminæ fra- gili, tremula, & formidula conditione, sed & unimo, atque corde sumto Heroico, audacter concendens, & cum eadem in dicto Danu- bio hinc inde strenue modo currens, modoque discurrens, inchoatis belli præludiis se ingerendo, plurimas peregit scaramantas triumpha- les: de eadem quoque *Galea aliquoties, imo vicibus frequentatis ex pyxidibus, seu bombardis, Ballistisque, & aliis ad id correquisitis Ingeniis ad ipsum castrum Galambocz, contra Turcos -- idem ca- strum tenentes, sagittari facere non exparit &c.**

1401. Joannes.  
 1404. Joannes.  
 1405. Joannes.  
 1406. Joannes.  
 1407. Joannes.  
 1409. Joannes. Legatus natus Apostolicus tam in  
       Strigoniensi, quam Colocensi provincia (a)  
 1410. Joannes.  
 1411. Joannes.  
 1412. Joannes.  
 1413. Joannes.  
 1414. Joannes.  
 1417. Joannes. (b)  
 1418. Joannes. (c)  
 1419. V. Idus Junii vacat. (d)  
 1420. IV. Idus Augusti vacat.  
 1421. Vacat.  
 1422. Georgius I. ab Altaflamma (e)

Y 3

1423.

(a) Ex autographo.

(b) Geffit hoc anno titulum hujusmodi: *Aula Romano-Regiae supremus Cancellarius.*

(c) Male hunc aliqui ad annum 1420. protrudunt.

(d) Vacante Sede fuit, *Augustinus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tolonensis, Vicarius in Pontificalibus Ecclesiæ Strigoniensis, per honorabile Capitulum constitutus.*(e) Hoc est: ab *Hohenlohe*. Hunc non pauci cum Georgio de *Palocz* suo successore ob nominis paritatem confundunt. Ille nominatus est Strigoniensis anno 1422. ut liquet ex privilegio *Præposituræ Thurocziensis* concessō, in quo dicitur *Episcopus Ecclesiæ Passaviensis, & Administrator Ecclesiæ Strigoniensis*. Mortuus est anno 1423. sexto Idus Augusti juxta

1423. Georgius ab Altaflamma , & ante II. Novembris eodem Anno

1423. Georgius II. de Palocz. (f)

1424.

ta Schritovinum , & catalogos Episcoporum Patavienium , eique' eodem anno successit Georgius de Palocz , ut colligo ex litteris Nicolai de Gara Palatini anno 1423. die 18. Novembris datis ; in quibus haec habentur : *Valentianus de Hydaga pro Reverendo in Christo Patre Domino Georgio electo Ecclesiae Strigonensis - - per modum protestationis - - no i s signficare curarit Ec , & ne nefciremus hunc a priore alium esse , sub jiciuntur ista : post illud tempus , quo videlicet Dominus Georgius Episcopus Ecclesiae Patavienis , Administratorque dicti Archiepiscopatus , prædecessor ut puta ipsius Domini Georgii electi immedicatus Ec.* Schritovinus hoc illi elogium struxit , quod puto non ad Hungariam , sed Pataviam pertinere . „ Georgius plurimum secularibus artibus exstitit deditus , deliciis vacans corporis , Pontificalibus raro indu tus , in quibus tamen Domino deserviret , plurimum mature , & devote se geslit , adeo ut suis ceremoniis nonnullos in devotionem excitaret , ut in velatione sanctimonialium , in ordinibus Clericorum . Fertur adeo injuriarum memor fuisse , ut omnes tibi sua opinione injurias inferentes , in quadam cerata , quam jugiter fecum deservebat , exaratos temisset ad mortem . Multa arte suis diebus exactiabantur Clerici in Investituris ad beneficia , in consecrationibus Ecclesiarum , in benedictionibus par mentorum Ecclesiæ : Concabinarii Clerici mulcta data , & soluta fede bant cum suis ocariis quieti . „

(f) Nicolaus SCHMITT Archiepiscop. Strigoniens pag. 239. hunc putat esse Georgium Lépes ex Transilvaniensi Cathedra anno 1424. ad Strigonensem promotum . Hnic ad annum 1429. Successorem dat Thomam , cui anno 1430. Georgius de Palocz successerit . Tota haec series confusa est , & Thomas , qui solius Szentivanyi auctoritate nititur , inter suppositios Archiepiscopos relegandus , quod ab anno 1429. ad 1439. Georgium Strigonensi Ecclesiae præfuisse ex diplomatis , ex quibus seriem contexui , certum sit . Perinde in Georgio Lépes error cubat , qui quidem Episcopus Transilvaniensis fuit , sed nunquam ad Strigonensem Ecclesiam traductus Non , ut ille vult , anno 1429. quo anno Blasius apud Transilvanos Episcopus erat : non deinceps , quod Georgium Lépes in Transilvaniensi Cathedra sedisse ad antum etiam 1437. certum sit , & postea usque ad Georgium Zathmar nemo Georgii nomine inter Strigonenses censeatur . Prius illud firmo litteris ex autographo desumis , quæ sic habent . „ Conventus Monasterii Beatae Virginis de Clusmonstra - - præsentium notitiam habituris salutem . Ad universorum notitiam - - volumus pervenire , quod Nobiles viri Ladislaus filius Benedicti Farkas - - Paulus Magnus de Vaydaháza , Vexilifer Universitatis regnicolarum Hungarorum , & Valachorum - - Transilvania - - parili voce detexerunt , & confessi sunt „ in

1424. Georgius.  
1425. Georgius.  
1426. Georgius.  
1427. Georgius.  
1429. Georgius.  
1430. Georgius.  
1431. Georgius.  
1432. Georgius.  
1434. Georgius.  
1435. Georgius.  
1436. Georgius.  
1437. Georgius.  
1438. Georgius.  
1439. Georgius.  
1440. Dionysius de Zeech. Cardinalis.  
1447. Dionysius.  
1453. Dionysius.  
1455. Dionysius.  
1456. Dionysius.  
1457. Dionysius.

1464.

„ in hunc modum. Quod quamquam prædicta Universitas Hungarorum,  
„ & Valachorum in his partibus Transilvanis - - commorantium, tum pro  
„ eo, quia Reverendus in Christo Pater Dominus Georgius Lépes Episco-  
„ pus Transilvanus, suas Decimas ex parte ejusdem Universitatis sibi de-  
„ bendas, currente moneta vilium denariorum, exigere nolens, sere tribus  
„ annis ad ipsos accumulando, moderno tempore cum magna, & pondero-  
„ sa moneta extorquere voluisse &c. Datum Sabbatho proximo post fe-  
„ stum Visitationis Beatæ Mariæ Virginis anno Domini MCCCC. trigesi-  
„ mo septimo. „ Quare Georgius Lépes, & Thomas illius Successor ex  
Strigonienfes Archiepiscoporum catalogo expungendi sunt, & in eorum  
loco reponendus Georgius de Palocz.

1464. Dionysius.
1465. Joannes III. Vitezius Varadiensis Episcopus  
XIV. Calend. Martii postulatus Strigo-  
nienfis.
1466. Joannes.
1467. Joannes.
1468. Joannes.
1469. Joannes.
1471. Joannes. Cardinalis.
1472. Joannes. (a)
1473. Joannes IV. Alemannus. (b)
1474. Joannes.
1475. Joannes.
1476. Joannes.
1477. Joannes V. de Arragonia Cardinalis.
1480. Joannes.
1486. Vacat.
1487. Hyppolitus Estensis, Dux Ferrariæ.
1489. Hyppolitus, electus & confirmatus.
1490. Hyppolitus.

1492.

(a) Vir Latinis, & Græcis litteris, tum Astronomiæ deditissimus, ut patet ex Ephemeridibus Astronomicis Regionontani Professoris Budensis, quas illi dicavit.

(b) Hunc Scriptores Salisburgenses perperam confundunt cum Joanne Vitezio. Fuit ille ortu Vratislaviensis, Patre, ut Chronica habent, *Piskenschlager*, aut, ut alii malunt, Carpenterio natus. Ob linguarum peritiam a Mathia Corvino magni factu, & primum ad Varadiense, tum Agriense, ac denique Strigoniense Sacerdotium applicitus. In hoc compendia rei pecuniaria faciens, convasatis CCC. florenum millibus, repente ad Fridericum III. Imperatorem, Mathiæ æmulum, defecit, spe, ut putabatur, Archiepiscopatus Salisburgensis, quem serius deinde obtinuit, illitus; plus secum infamia, quam pecuniæ vobens.

1492. Hyppolitus Cardinalis.  
 1493. Hyppolitus.  
 1494. Hyppolitus.  
 1495. Hyppolitus.  
 1496. Hyppolitus.  
 1497. Thomas IV. Bakocz de Erdevd. (a)

1498.

(a) Fuit prius Agriensis Episcopus. Videtur cum Hyppolito Clypeum, quod ajunt, mutasse. Nam sequente anno, ac deinceps, istum inter Agrienses Antistites reperio. Forte, quod admodum juvenis Strigonienſem Ecclesiam regendam suscepit, itaque minus tantæ provinciæ effet idoneus, Pontifex, quod sub Mathia Corvino durum erat, consulto, ac rogato Wladislao, illum ad Agriensem, Thomam vero ex hac ad Strigonienſem Sedem transtulerit. Litteræ ad Regem propterea scriptæ ita ex autographo habent. *Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Wladislao Hungaricæ Regi illustri salutem Ec. Gratia divinæ præmium, & humanae laudis præconium aquiritur, si per seculares Principes Prælati, præcipue Metropolitanarum Ecclesiæ regimini præsidentibus, opportunum favoris præsidium, & honor debitus impendatur. Hodie squidem Ven. Fratrem nostrum, Thomam, Episcopum nuper Agriensem, in Archiepiscopum Strigonienſem electum, licet absentem, a vinculo, quo Ecclesiæ Agriensi, cui ante præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Ecclesiam Strigonienſem, nunc certo modo vacantem, de Fratrum eorundem consilio duximus Apostolica authoritate transferendum, ipsumque illinc Archiepiscopum præfecimus & Pastorem, curam, & administrationem ejusdem Ecclesiæ Strigonienſis, sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris superinde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, Fili charissime, sit virtutis opus, Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis, & operibus pro Regis æterni gloria venerari, serenitatem Tuam Regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem electum, & præfatam Strigonienſem Ecclesiam suæ curæ commissam, habeas pro nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis, & conservandis Juribus suis sic ipsum benigni favoris auxilio prosequaris, quod idem Thomas electus Tua Celsitudinis fulcitus præsidio, in commissione sibi curæ pastoralis officio possit, propitio Deo, prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis ritæ præmium, & a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1497. Cal. Januarii, Pontificatus nostri anno sexto.*

1498. Thomas.  
 1499. Thomas.  
 1500. Thomas.  
 1501. Thomas Cardinalis Tit. Sancti Martini in  
       Montibus.  
 1502. Thomas.  
 1504. Thomas.  
 1505. Thomas.  
 1506. Thomas.  
 1508. Thomas.  
 1509. Thomas, simul Patriarcha Constantinopolitanus.  
 1510. Thomas. (a)  
 1511. Thomas.  
 1514. Thomas.  
 1515. Thomas. (b)  
 1518. Thomas.  
 1521. Thomas. (c)  
 1521. Georgius III. Zathmar.

1524.

(a) Hoc anno 1510. die 2. Maji synodus Strigoniæ celebrata est, Demetrio de Nyas in spiritualibus Vicario Generali.

(b) Usus hoc anno est præter confuetos, hoc etiam titulo: *Simul ad Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniae, Norvegiae, & Sveciæ Re-gna, nec non Prussiam, Livoniam, Lithuaniae, Valachiam, Sile-siam, Lusatiam, Moraviae, Transilvaniam, Sclavoniam, Dal-matiæ, Croatiae, & Moscoviam, omnesque, & singulas Regnorum, & Provinciarum prædictarum Civitates, Insulas, Terras, atque loca illis subiecta, & alia eis adjacentia, Apostolicæ Sedis Legatus de Latere.*

(c) Obiit, ut habet Olahus in suo Chronico; Mense Junio anno MDXXI. cui succedit Georgius Zathmar eodem anno.

1524. Georgius Zathmar. (a)  
 1524. Ladislaus Szalkan.  
 1525. Ladislaus.  
 1526. Ladislaus.  
 1527. Paulus de Varda. (b)  
 1528. Paulus.  
 1537. Paulus.  
 1539. Paulus.  
 1542. Paulus.  
 1543. Paulus.  
 1544. Paulus.  
 1545. Paulus. Locumtenens.  
 1548. Paulus.  
 1549. Paulus. (c)  
 1550. Vacat.  
 1551. Georgius IV. Martinusius ex Varadiensi postulatus, Cardinalis. (d)

Z 2

1552.

(a) De hoc rursum Olahus in Chronico: *Anno MDXXIV. Georgius Zathmar Archiepiscopus Strigonienſis Budæ VII, die Aprilis, mortuus, cui succedit Ladislaus Zalkanus VI. Maii.* Hunc Ursinus VELIUS coævus in libro Epigramatum variis scientis & doctrina conspicuum laudat: factiosi autem in conciliabulo Hatvanienſi, ut habet Baro de Burgio in MS. Diario suo, ex Sede deturbatum volebant, partim quod divitias, ut illi aiebant, fordida avaritia corraderet, partim quod Sutore Patre natus, ea dignitate indignus putabatur.

(b) Fundavit Proceſſionem menstruam, & Sacra quotidiana in Ecclesia Strigonienſi: Item Sacra ad Altare sanctæ Crucis Strigonii.

(c) De eo Olahus in Chronico: *eodem anno MDXLIX. Dominus Paulus de Vard Archiepiscopus Strigonienſis XII. die Octobris annum agens LXVI. Posoni mortuus est.*

(d) Ut est opinatio, ex Sancti Pauli I. Eremitæ Ordine. Non est tamen fatis exactum, an non ex Olivetanis fuerit. Hic primus Ferdinandus I. Regi auctor fuit recuperandæ Transilvaniae: qua de cauſa ab Rege desti-

1552. Vacat.

1553. Nicolaus Olahus. (c)

1554. Nicolaus.

1536.

destinatus erat ad Strigoniensem Cathedram. Sed cum in fide, ut ita dicum, ambidexter esset, Castaldi iussu in Castro Alvinci, est id in Transilvania, fœde trucidatus est. En Castaldi de hac re Epistolam ad Thomam Nadasdium propterea scriptam, quam ex autographo exscribo Spectabilis, & Magnifice Eccl. Placuit Omnipotenti Deo Illustrissimum Dominum Cardinalem Varadiensem felicis recordationis ad aliam vitam ducere morte quadam repentina. Scribo Domino Bathory (Andreas is fuit) ut illico possessionem hujus Regni, nomine Regiae Majestatis, ad accipendum veniat. Propterea, si litteræ istæ Dominationem Vestram Spectabilem, & Magnificam in itinere reperiunt, illico ad Nos veniet, si etiam ad domum suam pervenisset, idem faciet. Nam norit, quantum servitio Regiae Majestatis Domini nostri clementissimi hoc conveniat. Magnificos Dominos Franciscum Ronay, & Paulum Bank hic mecum habeo, devotissimos Regiae Majestati. Eandem bene valere opto. Ex Zasfibus die XVII. Decembbris 1551.

Uti Frater Joan. Bapt.  
Castaldus.

*Marcus Antonius primus inter omnes  
pugione in gutture bis trafixit Re-  
verendissimum, ipse Marcus com-  
mendat servitia sua humiliter.*

Nadasdius tamen non venit, ut Castaldus sperabat, tum quod ab patrato scelere abhorret, tum quod Regi apud Siculos meliorem operam, ac fidem præstaret. Sed de his in rebus Transilvanicis prolixius agam.

(e) Ex sanguine Principum Valachia ortus, ut ipse fatetur, propter ea Olahus, quod nobis Valachum notat, dictus. In adito Archiepiscopatu iurandum in hanc formam dixit: „Ego Nicolaus Olahus miseratione divina Archiepiscopus Strigoniensis, juro, quod statuta, & ordinaciones hujus Almae Ecclesie mea Strigoniensis, & Capituli, laudabilesque confluendines, rationi non obviias, ab antiquo inductas, & veteri obseruantia observatas, sollicite observabo, neque infringam. Item honorem, commodum, & utilitatem ejusdem Ecclesie Strigoniensis, & Capituli consilio, favore, & auxilio procurabo, & defendam. Quodque res, & Bona, tam mobilia pretiosiora, quam immobilia, utpote Oppida, Villas, aliasque possessiones, ac Jura possessionum, ac proventuum, privilegiaque tam a Divis Regibus, quam a Sanctissimis Pontificibus ab antiquo concessa, & ad ipsam Ecclesiam meam, & Capitulum spectantia, ac pertinentia, non vendam, non donabo, non impignorabo, nec sub colore aliquo alienabo, distraham, aut dissipabo, etiam cum consensu Capituli dictæ Ecclesie meæ, inconsulta Sede Apostolica: Imo quoquo modo distracta, alienata, & dissipata, pro posse meo recuperabo. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia, ac Sanctus Adalbertus. „

1556. Nicolaus.  
 1558. Nicolaus.  
 1559. Nicolaus.  
 1561. Nicolaus supremus Comes Hontensis.  
 1563. Nicolaus.  
 1565. Nicolaus.  
 1567. Nicolaus.  
 1568. Nicolaus. (a)  
 1569. Vacat XIV. Maji, die autem XV. Octobris.  
 1569. Antonius Verantius de Schybenik.  
 1570. Antonius.  
 1571. Antonius. (b)  
 1572. Antonius.  
 1573. Antonius. (c)  
 1578. Vacat XXII. Februarii.

Z 3

1579.

(a) Obiit die XIV. Januarii. Vir in primis doctus. Exstant præter Synodalia, & alia typis edita, illius Poetica in MS. quæ a veterum elegantia non longe recedunt. Testamenti Executores constituit Paulum Bor nemiszam Episcopum Transsilvanum, & Nitrensis Episcopatus Administratorem, Georgium item Drasovich Zagrabensem, Joannem Listinum Vef primensem, Stephanum Radetium Varadiensem Episcopos, & Matthæum Græcum suum Vicarium Generalem, & Præpositum majorem Ecclesiæ Strigoniensis. Inter alia hujus Testamenti legantur mille aurei pro duobus Juvenibus Hungarî Viennæ scholas frequentaturis, & qui animum appulerint ad Statum Ecclesiasticum. Illius Exemplum codem anno secutus est Georgius Kutassy Cantor & Canonicus Strigoniensis, qui XVIII. die Aprilis 800. florenos in eundem finem legavit, ut duo Pauperes Hungari studentes in Collegio Corporis Christi alerentur.

(b) Eodem anno Matthæus Poklosztoj Præpositus Saghiensis, Ordinis Præmostratiensis, Viennæ in Universitate fundat viðum, pro duobus itidem Studiofis Hungarî summa 1100. florenorum deposita.

(c) Obiit Eperjesini XII. Calend. Sextiles. De ejus natali solo, ceterisque, egi in Prælatione ad Tomum V. Annalium Regum Hungaricæ satis

1579. Vacat. (a)
1580. Vacat XXVI. Februarii.
1582. Vacat XXVIII. Martii.
1583. Vacat XXVII. Septembris.
1586. Vacat XXVII. Augusti.
1587. Vacat XXII. Decembris. (b)
1593. Vacat XIX. Julii.
1596. Stephanus Fejérkövy. (c)
1597. Joannes Kutaffy ex Colocensi, Locumtenens. (d)
1599. Joannes.
1600. Joannes.
1601. Joannes (e)
1602. Vacat XIII. Augusti.

1603.

---

satis prolixæ. Vir sua ætate inter doctissimos, & politicæ artis gnarissimos, qui multis, ac variis, iisque difficultimis Legationibus perfundetis est, numerandus. Nihilo erat remissior in Orthodoxa religione conservanda, ac propaganda, ut ex ejus Epistolis, quarum tres Tomi MSS. existant, facile colligitur. In his non obscurum indicium est, Marmor Arundelianum ab eo omnium primo detectum esse. Ab ejus obitu Sedes Strigoniensis ad annum fere 1596. vacavit.

(a) Nicolans Telegdi Vicarius Generalis Archiepiscopatus Strigoniensis in Spiritualibus.

(b) Joannes Kutaffy Episcopus Quinque-Ecclesiensis, & Administrator in spiritualibus Archiepiscopatus Strigoniensis.

(c) Eodem anno, aut confertim in principio sequentis mortuus.

(d) Eodem anno VI. Februarii Abbatia Sancti Martini Montis Pannoniae illi collata pro subsidio mensa. Cavet Rex datis ad eum litteris VIII. Februarii, ne ceterorum Locumtenantum more XXXII. Colonos per defetum feminis, quod Palatinorum est, sine praescitu sua Majestatis austit conferre.

(e) Sub hoc Clerus Hungariae Libellum supplicem Cæsari porrigit, ne Archiepiscopatum Strigoniensem diu vacare permittat, septem gravissimis causis in medium allatis, quibus deinde Petrus Pazmanus ingens pondus adjecit.

1603. Vacat XV. Februarii.  
 1604. Vacat.  
 1607. Vacat III. Maii, XXX. autem ejusdem mensis  
 1607. Franciscus Forgach de Ghymes ex Nitriensi  
       XVIII. Augusti, Locumtenens, & Cardi-  
       nalis.  
 1608. Franciscus.  
 1609. Franciscus,  
 1610. Franciscus.  
 1611. Franciscus.  
 1613. Franciscus.  
 1615. Franciscus.  
 1616. Petrus Pazmanus de Panasz. (a)

1617.

(a) Priusquam nominatus fuisset Archiepiscopus, contulit ei Mathias Rex eodem anno die XXV. Aprilis Praeposituram Thurocziensem litteris in hunc finem expeditis. In iis sic Rex loquitur: postquam Praepositu-  
 ram Beatae Mariae Virginis de Thurocz -- vacare contigit, eum  
 Nos fideli nostro, Honorabili Petro Pazman, quem etiam Beatissimi  
 in Christo Patris, & Domini Pauli V. autoritate ab obligatione re-  
 ligionis Patrum Societatis Jesu exemptum esse compertum habemus Ec-  
 cequitor Collatio Regia. Eodem anno die XXVIII. Septembbris nominatus  
 est Strigoniensis Archiepiscopus, & a Paulo Papa die X. Novembbris con-  
 firmatus. Hujus litteræ ex Autographo sic habent. „ Paulus PP. V. Di-  
 „ lecte fili jalutem, & Apostolicam benedictionem. Catholicæ Religionis  
 „ zelus, litterarum scientia, vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia  
 „ probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno com-  
 „ mendaris testimonio, Nos inducunt, ut te specialibus favoribus, &  
 „ gratiis consequamur. Cum igitur Charissimus in Christo filius noster,  
 „ Mathias Romanorum Rex in Imperatorem electus, ad quem vi Regis  
 „ Hungariæ nominatio personæ idoneæ ad Ecclesiam Strigoniensem pro-  
 „ tempore vacantem ex privilegio Apostolico, cui non est haec tenus in  
 „ aliquo derogatum, spectare dignoscitur, te ad dictam Ecclesiam, nunc  
 „ pastoris solatio destitutam, per suas litteras nominavit, tu vero, qui ex  
 „ parentibus hæreticis natus, & in hæresi, quam tamen, sicut fide di-

1617. Petrus.  
 1618. Petrus.  
 1519. Petrus.  
 1620. Petrus.

1622.

„ gna relatione accepimus, in XIII. aetatis tuae anno convictus abjurasti,  
 „ educatus fuisti, dictæ Ecclesiæ absque nostra, & Sedis Apostolicæ dis-  
 „ pensatione præfici non potes, Nos attendentes, quod tu, sicut etiam  
 „ simili relatione accepimus, ab inde citra in Catholica religione, & unio-  
 „ ne Sanctæ Romanae Ecclesiæ perseveraveris, sacrarum litterarum studiis  
 „ diligenter incubueris, & libros in fidei Catholicæ defensionem contra  
 „ hæreticos scripseris, præmissorum meritorum tuorum intuitu specialibus  
 „ favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicatio-  
 „ nis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris,  
 „ & poenit a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, fi-  
 „ quibus quomodolibet innodus existis, ad effectum præsentium duntaxat  
 „ consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, mo-  
 „ tu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, tecum,  
 „ ut non obstante, quod ex parentibus hæreticis natus, & in hæresi edu-  
 „ catus fueris, dictæ Ecclesiæ Strigoniensi, pastoris solatio, ut præfertur,  
 „ destitutæ, in Archiepiscopum, & patronum, si nullum aliud tibi Canonii-  
 „ cum obstet impedimentum, præfici, & postquam illi præfectus fueris, eidem  
 „ Ecclesiæ præfesse, ac illam in spirituallbus, & temporalibus regere, &  
 „ gubernare libere & licite possis, & valeas, Apostolica auctoritate teno-  
 „ re præsentium dispensamus, tibique, quod in litteris Apostolicis super  
 „ provisione & præfectione de persona tua in Archiepiscopum prædictæ  
 „ Ecclesiæ Strigonensis expediendis de hujusmodi defectu, ac dispensatione  
 „ mentionem facere minime teneris, auctoritate & tenore præsentium con-  
 „ cedimus, & indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in  
 „ universalibus, provincialibusque, & synodalibus conciliis editis generali-  
 „ bus, vel specialibus Canonibus, & ordinationibus, ac dictæ Ecclesiæ  
 „ Strigonensis, etiam in juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis  
 „ firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contra-  
 „ riis quibusunque. Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem sub  
 „ annulo Piscatoris die X. Novembbris MDCXVI. Pontificatus nostri an-  
 „ no duodecimo. „ Litteræ ita clam ex Cancellaria Pontificia expedite sunt,  
 „ ut de iis Mutius Vitellescus tum Generalis Societatis nihil sciret, ut  
 „ que res magis illum lateret, inscriptæ sunt Pazmano, tamquam Congrega-  
 „ tionis Clericorum regularium Sommaschæ, alias Sancti Majoli Papiensis  
 „ Presbytero. Unde, cum anno 1633. P. Ferdinandus Salazar ad instantiam  
 „ Regis Hispaniarum ex Societate exemptus in Episcopum consecratus fuisse,  
 „ rumor diditus est, Pazmanum Sommaschum fuisse. Sed falso rumo-  
 „ rem, evidens documentum præ manibus habeo.

1622. Petrus.  
 1623. Petrus.  
 1624. Petrus.  
 1625. Petrus. (a)

1626.

(a) Cum circa hæc tempora plerique Antistites fere solum electi in Hungaria essent, & non confirmati, scripsit Pazmanus ad Urbanum VIII. litteras, quibus suadet, interpositis etiam precibus, ne Curia Romana calamitosissimo hoc tempore, totque bellis implicito, exigat ab Episcopis Hungaricis Taxas pro confirmatione. Alioquin futurum, ut ob egestatem, & temnitatem proventuum solis contenti titulis Episcopi maneant, nec munia Episcopalia ob defectum consecrationis exercere possint, cum incredibili animarum sibi creditarum detimento. Eodem anno Ferdinandus II. Episcopis facultatem tenui de bonis mobilibus non patrimonialibus tribuit in hæc verba. „ Nos Ferdinandus secundus Dei gratia electus Romanorum „ Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae &c. Rex. Ad „ perpetuam rei memoriam pro Nobis, ac Hæreditibus, & Successoribus no- „ stris recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis; „ Quod cum universus incliti Regni nostri Hungariae fidelis Clerus demisse „ Nobis supplicaverit, ut Prælatis Hungaricis facultatem, ac potestatem cer- „ ta aliqua ratione de bonis ipsorum, quæ quidem patrimonialia non sint, „ mobilibus disponendi, atque etiam testandi, quæ ratio, & modus in po- „ sterum uti firma régula, & norma in notabile Catholicæ religionis emo- „ umentum, ab omnibus æquo jure perpetuo observari possit, clementer „ concedere, nec non super id Regium nostrum diploma impertiri dignare- „ mur: Nos pro solita nostra in Deum pietate, & continuo rerum omnium, „ næcumque in majorem cultus divini propagationem, atque Ecclesiæ, „ status, & boni publici conservationem, & augmentum cedere possunt, „ pro viribus promovendarum studio, ac zelo, uti pro benigno etiam huic „ imprimit Hungarico Ciero, ob præclara, & insignia sua in Nos, & Re- „ ligionem Catholicam, ac totum Hungariae Regnum merita, gratificandi „ d' siderio, memoratis ejusdem Cleri Hungarici postulatis, ac precibus, „ sub sequenti modo, ac ratione cl' menter annuimus, atque assensimus, „ prouti tenore, ac vigore præsentis nostri Regii diplomatis annuimus, & „ assensimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene delibera- „ to, sano accidente consilio, & de Regiæ potestatis nostræ plenitudine „ omnibus, & singulis Regni nostri Hungariae Prælatis benigne admittimus, „ & concedimus, adeoque expressè declaramus, decernimus, & statuimus, „ ut ipsis in posterum perpetuis futuris temporibus sequentem de mobilibus „ suis disponendi, atque etiam testandi facultatem, & potestatem habeant, „ eademque facultate, & potestate, absque omni impedimento, vel contra- „ dictione, in hunc modum, & hac præscripta ratione, & ordinatione, „ quiete, & libere uti, frui, & gaudere possint, ac debeant. Nimurum

1626. Petrus.

1628.

„ si Prælatus Capitulum habens , vel in Capitulo existens decedat , sive  
 „ testamentum condiderit , & executores ordinaverit , sive non , teneatur  
 „ Capitulum tres probata fidei viros ex suo corpore , quorum unus regio  
 „ nomine semper deputetur , & interveniat , destinare , qui & funeri curan-  
 „ do , & mobilium cuiusvis generis consignationi , Inventario confiende ,  
 „ & fideli conservationi attendant , quique sub poena excommunicationis  
 „ & amissionis beneficii , quam poenam Prælati , infidelitati , si quæ hic ad  
 „ mitteretur , inflixerunt , & amissione honoris obligati sint omnia fideliter  
 „ consignare , nec quidquam distrahi sinere . Mobilia vero Prælati defun-  
 „ eti ita dispensentur . Primo : honesta , nec sumtuosa sepultura procuretur ,  
 „ & pro refrigerio animæ Eleemosynæ pro facultatum ratione fiant . Dein-  
 „ de servitoribus , & creditoribus satisfiat : ubi tamen attendendum , ut si  
 „ aliqua debita in præjudicium Hungarici Seminarii , de quo inferius men-  
 „ tio erit , a defuncto essent contracta , ea uti hisce expresse prohibita ,  
 „ pro nullis , & penitus irritis habeantur ; adeoque nulla ratione solvantur .  
 „ Ad hæc juxta statuta synodi Ternaviensis , libri omnes Capitulo cedant  
 „ ad erigendam Bibliothecam : indumenta sacerdotalia , & Altarium orna-  
 „ menta Ecclesie cedant ; utensilia domestica , mensæ , lecti , scamina , &  
 „ similia , successori relinquantur . Quid superfuerit mobilium cujuscunque  
 „ generis , & allodialium , ejus media pars in usum erigendi Seminarii ,  
 „ vel postquam Seminarium in perfecto statu fuerit , Parochiis meliorandis  
 „ seponatur , ut ad censum collocata summa aliqua , Alumni Clerici educa-  
 „ ri , vel tandem Parochiis in deteriori conditione constitutis subveniri pos-  
 „ sit , uti Metropolitano Strigonensi , ac aliis Episcopis videbitur . Te-  
 „ neantur tamen tam executores , quam prædictæ personæ Capitulares ad  
 „ inventandum destinata , Metropolitano Strigonensi pro tempore existen-  
 „ ti , ac etiam , si in alia Diœcesi fuerit , Ordinario loci Inventarium ex-  
 „ hibere , ac rationem peracti sui muneric sufficiem dare . Et de alia  
 „ hujusmodi mobilium media parte libere liceat Prælatis juxta sacrorum  
 „ Canonum prescripta testari , & disponere . Speramus tamen eos confi-  
 „ niorum , quæ communis Patriæ , adeoque totius Christianitatis propugna-  
 „ culum sunt , ut piissimæ causæ , in Testamentis memores futuros . Si de-  
 „ functus Prælatus nec Capitulum habens , nec membrum sit Capituli ali-  
 „ ejus , in eo casu Diœcesanus , in cuius Diœcesi beneficium obtinuit ,  
 „ vel residentiam habuit is , qui obiit , vel certe Capitulum propinquius ,  
 „ aut Conventus vicinior prædicta omnia per Ecclesiasticas personas ad id  
 „ deputatas exequi curabit . Cum autem servitores mortuorum hæc forsi-  
 „ tan ulla ratione impediare , vel rapinis se se tradere præsumferint , Exe-  
 „ cutores Testamenti , vel ad Inventarium confiendum destinati , eos ad  
 „ plenam usque satisfactionem , invocato brachio seculari , etiam in perso-  
 „ na detinendi potestatem habeant . Mandantes idcirco , & serio præcipien-  
 „ tes universis , & singulis , præsentibus & futuris Regni nostri Hungariæ  
 „ Palatino , Judici Curiæ , Comitibus , Camera nostraræ Hungaricæ officiali-  
 „ „ bus ,

1628. Petrus.

1629. Petrus. (b)

A a 2

1630.

„ bus , Præfidiorum supremis , ac Vicecapitaneis , atque liberarum Civita-  
 „ tum Magistratibus , aliisque omnibus nostris , & Regni nostri Hungariae  
 „ subditis , & fidelibus , cuiuscumque status , gradus , conditionis , vel præ-  
 „ eminentiae extiterint , ut sæpius memoratos ejusdem Regni nostri Hun-  
 „ gariae Prælatos , eorumque Capitula , & Dicecefanos , atque magis vicina  
 „ Capitula , & Conventus in posterum perpetuis futuris temporibus , præ-  
 „ scripta testandi , & mobilia defunctorum Prælatorum relicta curandi , &  
 „ dispensandi potestate , ratione , & ordinatione , pacifice , quiete , & sine  
 „ omni impedimento , vel molestia , plene uti , frui , potiri , & gaudere  
 „ sinant , nec non eisdem etiam , atque iis , quibus cura hujusmodi execu-  
 „ tionis demandata fuerit , quotiescumque requisiti fuerint , juxta hujus cle-  
 „ mентissima nostræ intentionis tenorem , & contenta , ad talia in omnibus ,  
 „ & singulis puntis , clausulis , articulis , sententiis , & verborum expref-  
 „ sionibus ad convenientem effectum perducenda , decentem operam ferant ,  
 „ & quantum necessitas exegerit , serio assistant , idemque ab aliis , pariter  
 „ fieri sedulo current . Si quis autem contra hoc nostrum Regium Diplo-  
 „ ma , & ejus contenta quidquam attentare temere ausus fuerit , is Nostram  
 „ & Hæredum , ac Successorum nostrorum Hungariae Regum indignationem ,  
 „ & poenam gravissimam se noverit ipso fasto incursum , harum testimonio  
 „ litterarum , manu nostra subscriptarum , & Sigilli nostri Regii appensione  
 „ munitarum . Datum in Civitate nostra Regia Soproniensi , XI. mensis  
 „ Decembris , anno Domini MDCXXV . ”

(b) Hoc anno Cardinalis creatus . Plerique ex Collegio illi de obten-  
 „ ta dignitate gratulati sunt , in primis Cardinalis Scaglia in hac Verba .  
 „ Etsi ipsa tux ad Cardinatum assumptionis die litteras ad te dede-  
 „ rim , quibus de honore , quo concordissima totius Senatus approba-  
 „ tione ab Urbano Pontifice Max. es auctus , gratulatus fui , cum ta-  
 „ men postea universa aula promotioni tuae acclamante , ac plaudente ,  
 „ plenius intellexerim , quanta sit tui generis Nobilitas , tuarum ex-  
 „ cellentia virtutum , tureque doctrinæ , ac religionis eminentia , in li-  
 „ bris contra Hæreticos editis , atque in pluribus tuis sumtibus funda-  
 „ tis Collegiis enitescens , rerum denique agendarum peritia , & usus ,  
 „ simul cognovi eam , quæ te nunc ornat , dignitatem a te vicissim  
 „ ornari , ac propterea non minus gratulandum esse amplissimo nostro  
 „ Collegio Te , tanto Collega , ditato , quam Tibi in tantum Collegium co-  
 „ optato . Quoniam vero Collegio gratulatio debita ex præclaris actio-  
 „ nibus provenit , quæ abs te ad Christianæ Reipublicæ commodum ,  
 „ ac decus exspectantur , his litteris , non vernacula lingua , ut scri-  
 „ ptæ fuerunt pro privato officio priores , sed Latina , digniori sane ,  
 „ & magis communi , magisque proinde accommodata officio , commu-  
 „ ne , & ob id nobilius bonum respicienti , exaratis , gratulari me Tibi  
 „ rursus debere putari . Non quidem , quod sis creatus Cardinalis sed  
 „ quod

1630. Petrus.

1632. Petrus. (c)

1633.

quod talis existas, ex cuius forti, & constanti opera, ac prompto, vigilique studio ornamentum, ac beneficium minime vulgare praestans nos noster ordo, totusque Christianus orbis sibi pollicantur. Hæc enim est vera laus, hæc solida gloria Purpuratorum, qui non solum, ut præsint, sed magis etiam ut Reipublicæ præsint, ad tantum fastigium evehuntur, cuius laudis & gloriæ cum non exiguum Te partem videam esse laturum, ac judicio de tua virtute a Cæsare fasto, a summo Pontifice comprobato, cumulatissime satisfactum, ingenti lætitia, ac voluptate perfundor, atque studio Tui, Tibique inserviendi cupiditate accensus, de me ita constitutas, vehementer excepto, neminem in te colendo, ac diligendo, suisque omnibus Tibi deferendis officiis me superaturum, æquatueros autem admodum paucos. De quo meo in Te propensiore animo, & benevolentissima voluntate luculentius testimonium feret tuorum præconiorum celeberrimus Præco, mihiq[ue] amicissimus Fr. Antonius Galbiatus Minorum Regularis observantie generalis Commisarius. Vale. Romæ III. Kal. Decembris 1629.

Tuæ Illusterrimæ, ac Reverendissimæ Dominationis

Servus humillimus, & obsequientissimus  
Fr. Desiderius Scaglia Cardinalis de  
Cremona.

(c) Hoc anno V. Februarii ab Cæsare Orator Romanus destinatus, comparatis ad iter rebus necessariis, Mense Martio in Urbem venit, equestri pompa ingressus, dicens secum 250. Nobiles Hungaros, exquisito pro more gentis vestitu indutos, inauratis, ut Oldoinus resert, ehippiis insidentes. Acceptus est ab Urbano liberaliter, & Galerum cum Titulo Sancti Hieronymi Illyricorum accepit. Sed non parvas in obeunda Legatione difficultates perpessus, quarum causam ex litteris Pazmani ad Franciscum Cardinalem Barberinum Pontificis nepotem Roma datis excerto: Cum Sanctitas sua dixit, se accipere, & aperire litteras Cæsaris non posse, si in his Legatus ego appeller, siquidem infra dignitatem Cardinalitiam sit, ut legatione fungar, & ex meo scripto, quod ut summam legationis meæ Sanctitati suæ exhibui, Legati nomen me spectante culamo delevit: Ego ad hoc nihil aliud dixi, quam antea quoque usitatum fuisse, ut a magnis Principibus Cardinales mitterentur ad Sedem Apostolicam. Cum vero Sanctitas sua subjunxit, ignorantes fuisse, qui id fecerunt; Ego nihil aliud respondi, quam me non esse missum a sua Majestate, ut de hac re disputarem, sed ut pericula exponerem Germanicæ, & openam Sanctitatis suæ imploram &c. Pervicit tamen sua constantia, & prudentia, ut illi legatio eatenus feliciter caderet.

1633. Petrus. (a)
1634. Petrus.
1635. Petrus.
1636. Petrus.
1637. Petrus. (b) & XXI. Decembris eodem  
anno.
1637. Emericus Losy
1638. Emericus.
1639. Emericus.
1641. Emericus. (c)
1642. Georgius V. Lippay de Zombor.
1646. Georgius.
1647. Georgius.
1649. Georgius.
1650. Georgius.
1651. Georgius.
1655. Georgius.
1659. Georgius.
1662. Georgius.
1665. Georgius.

A a 3

1666.

(a) Sanctorum Clericis Tirnaviae degentibus, quæ prius rarissime carnibus vescebantur, eorum earum certis in Hebdomada diebus indulxit, ut patet ex Dispensationis instrumento hujus anni: contra arctissimam illis clausuram circumscribit, cum prius nou solum ad Civitatem omnibus promiscue, sed earum Antistiti ad vicinos pagos & prædia, lustrandæ & in ordinem cogenda oeconomia causa, curru procurrere integrum esset.

(b) Mortuus XIX. Martii, ut habet Diarium Collegii Poloniensis, ut vero speculum Ecclesiae Jauriensis XVI. Februarii.

(c) Obiit XVII. Februarii.

1666. Georgius VI. Pohronczius Szelepcényi. (a)
1667. Georgius.
1668. Georgius. (b)
1669. Georgius.
1677. Georgius.
1678. Georgius.
1681. Georgius.
1684. Georgius.
1685. Georgius VII. Szecsényi.
1686. Georgius.
1690. Georgius.
1695. Georgius. (c) & XXVI. Octobris eodem anno
1695. Leopoldus Kolonics Card. Tit. Sancti Hieronymi Illyricorum.
1700. Leopoldus. (d)

1707.

(a) Ita se subscriptit in Thesibus, quas Romæ Alumnus Collegii Germanici Pazmano Cardinali anno 1634. dicavit.

(b) Hoc anno Calendis Januariis Sacrum in Templo Domus Professorum Viennæ decantans primum pallio Archiepiscopali usus recenter ex Urbe allato.

(c) Obiit XVIII. Februarii.

(d) Sub hoc forma conventionis titulo Testamentorum inter Clerum Hungariæ, & Excelsum Cancellariam confecta, ut patet ex libello Memoriali hujus tenoris. „ Sacratissimæ Cæsareae Regiæque Majestatis Inclytæ „ Cancellariæ Hungaricæ Aulicæ præsentibus perquam officiose significan- „ dum. Meminerit haud dubie Eadem inclytæ Cancellaria Hungarico-Auli- „ ca, quidnam in nuperno congressu quinta hujus currentis Mensis sub „ præsidio Eminentissimi Domini Leopoldi Cardinalis a Kollonics inter „ inclytum, & Venerabilem Clerum Regni Hungariæ, & Cameram hanc „ Cæsaream Regio-Aulicam, præsentibus ex parte inclytæ Cancellariæ Re- „ gio-Aulicæ Illustrissimo, & Reverendissimo D. Ladislao Mattyafoszky „ Episcopo Nitriensi, ac Aulæ Cancellario, & Reverendissimo D. Au- „ gustino Benkovics Episcopo Varadiensi, Illustrissimo, & Reverendissimo „ D. Eme-

1707. Christianus Augustus Dux Saxonie, & Cardinalis.

1715.

„ D. Emerico Csáky Episcopo Noviensi, Speſtabilibus, ac generoſis  
 „ D. Franciſco Klobuſſiczy L. B. de Szetén, I. Comitatus de Zarand  
 „ Supremo Comite, nec non Personalis præſentia Regiae in Judiciis Lo-  
 „ cumtenente, D. Barone Hoffman, D. Barone Mednyánszky, ac ex par-  
 „ te Cameræ Aulicæ Cæſareo-Regiae ejusdem Consiliario, & Referendario  
 „ intimo, hic ſubscripti celebrato occaſione gravaminum motorum a Reve-  
 „ rendiſſimo D. Stephano Telekessy, Episcopo Agrieni, tam circa contra-  
 „ ventionem Resolutionis ratificatoriaꝝ 14. Auguſti Anno 1694. ſuper reſtitu-  
 „ tione Bonorum ad Episcopatum D. Episcopo Georgio Fenelli piæ re-  
 „ cordationis obtentæ, quam ratione Bonorum mobilium, ac fructuum  
 „ tempore mortis præfati D. Epifcopi Anteceſſoris ſui extantium, uti &  
 „ in medio tempore vacantiæ perceptorum, a Fisco Regio apprehenſo  
 „ rum, & prætentorum, ſtabiliendam in hiſce caſib⁹, eveniente ſcilicet  
 „ mor.e alius D. Prælati, non tantum quoad formalitates in obſignatio-  
 „ ne hæreditatis, confiſcando Inventario, ac administratione bonorum ſede  
 „ vacante, fed etiam quoad quantum pro confiniis, & fortaſtiis juxta  
 „ tenorem, & mentem diplomaticis a piissimo Imperatore, & Rege  
 „ Ferdinandō II. glorioſe reminiſcentia, pro inclyto, & Venerabili Cle-  
 „ ro Hungaria adhuc anno 1625. die XI. Mensis Decembris, ratione  
 „ conceſſe de bonis mobilibus testandi facultatis emanati, applicandam cer-  
 „ tam Regulam, & normam firmam ad tollenda in ejusdem caſib⁹ hucus-  
 „ que inter ſæpe fatum Venerabilem Clerum, & Ficum Regium, obinde  
 „ in ſumnum præjudicium utriusque exorta ſumtua litigia, controverſias,  
 „ & querelas, nec non præcavendas occaſione, & ſublevamine eorumdem,  
 „ ſæpe non parvo religionis noſtræ ſcandalo, practicatas hæreditatum expila-  
 „ tiones, & diſtraſtiones, omni ex parte proficuum, & omnino neceſſarium  
 „ fore viſum fuerat: nimirum

„ Primo: ut quod ad obſignationem bonorum mobilium, a quovis D.  
 „ Prælato vita funeto relictorum, ſtatiſ post caſum mortis a duobus Domi-  
 „ niſ Capitularibus, ac uno officiali Cameratico, cuiuscunq; gradus, aut  
 „ officii, in illo loco exiſtente, omnia bona mobilia, exceptis utensilib⁹,  
 „ in locum tutum, quantum fieri poterit, reponantur, ac tribus Sigillis  
 „ obſignentur. Si autem illo in loco Cameraticus nullus aderet, interea  
 „ Capitulares obſignent omnia, ac vicinorem Capitaneum per Tabellionem  
 „ proprium, ut idem praefet, admoneant.

„ Secundo: Ex poſt ſuper mobilia hæc obſignata, uti & alia tum  
 „ mobilia a defuncto aquiſita, nec beneficio Eccleſiaſtico cum conſenſu  
 „ Regio de more ſolito prædicta Cameræ obtento, incorporat⁹, a dictis  
 „ duobus Capitularibus, & Cameraticis eum in finem deputatis, bene or-  
 „ dinatum, legitimum, ſigillorum, ac manuum appoſitione roboratum  
 „ confiatiſſur Inventarium, cum annexa iuſta, & æqua taxatione: cuius  
 „ in-

1715. Christianus Augustus.

1723. Christianus Augustus.

1725.

„ Inventarii Exemplar, unum Archiepiscopo Strigoniensi tradatur, tertio  
„ penes Capitulum retento.

„ Tertio: Bona hæc sic ordine debito conscripta, & juste taxata,  
„ deducto ære alieno defuncti, in rem Episcopatus, aut Prælatura ejusdem  
„ Ecclesiæ; primum vero, & ante omnia libri omnes, si qui adfuerint,  
„ juxta diploma glorioſa memoriae Ferdinandi, Capitulo ad erigendam  
„ Bibliothecam, indumenta sacerdotalia, & Altarium ornamenta Ecclesiæ,  
„ res utensiles demum juxta superius dictum inventarium, successori ce-  
„ dant: residua vero in tres æquales dividantur partes: una earum in  
„ usum erigendi Seminarii, & postquam hoc in statu perfecto fuerit, Pa-  
„ rochis meliorandis, & Ecclesiis instaurandis juxta Archiepiscopi Strigo-  
„ niensis, aut, ex hujus commissione, Capituli dispositionem impendatur:  
„ altera Fisco Regio pro confiniis, ac Fortalitiis, tertia demum pro fu-  
„ neralibus, aut hæreditibus institutis, vel ab intestato venientibus cedat,  
„ & obveniat. Quæ distributio tamen de bonis patrimonialibus immobili-  
„ bus non est intelligenda, in quæ successio secundum leges, ac usum Pa-  
„ triæ maneat. Quod attinet

„ Quarto: Administrationem Bonorum, & proventus, ac fructus Se-  
„ de vacante obvenientes, hac omnia per Administratorem a Camera Re-  
„ gia, & Capitularem a Capitulo pro Inspetore constituendum fideliter  
„ administrabuntur: proventus vero, & fructus omnes, durante hac admi-  
„ nistratione, per Trimestre vi Juris Patronatus Fisco Regio, post trime-  
„ stre vero, cum sacri Canones Cap. cum vos de off. Jud omnes fructus  
„ cedere debere definiant; dimidia pars Ecclesiæ, aut subjectis ei Parochiis,  
„ altera vero dimidia Fisco Regio consignetur; ita tamen, ut Allodiatura,  
„ si quæ foret instructa, successori relinquatur, nec bona tempore hujus ad-  
„ ministrationis intermedio vattentur, aut exhausturiantur.

„ Quinto: Quod si vero quis præsumeret, cuiuscumque conditionis ille  
„ sit, ex specificatis bonis mobilibus, & hæreditate defunctorum Prælato-  
„ rum, vel etiam fructibus medio tempore vacantiæ perceptis, quidquam  
„ auferre, aut celare, condigna legibus pœna rigorose puniatur. Quæ  
„ omnia, & singula Suæ Majestati Sacratissimæ Cæsarea, Regiæque per  
„ delegatam in Hungaricis commissionem Ministerialem demississime relata,  
„ ab eademque in omnibus, & per omnia clementissime sunt approbata,  
„ & ratificata, ac abinde huic inclytæ Cancellariæ Hungaricæ, & Aulico-  
„ Regiæ eum in finem insinuantur ut emanatam desuper hanc benignissi-  
„ mam Suæ Majestatis declarationem, & resolutionem finalem, inclyto, ac  
„ Venerabili Regni Hungariae Clero debite notificare, ac pro regula, &  
„ norma pro futuro in hisce casibus inalterabiliter observanda intimare  
„ velit. Cui de reliquo &c.

1725. Christianus Augustus. (a) & Cat. Septemb.  
eodem  
1725. Frater Emericus Eszterházy de Galantha. (b)  
1726. Frater Emericus.  
1729. Frater Emericus.  
1738. Frater Emericus. (c)  
1741. Frater Emericus.  
1744. Frater Emericus.  
1745. Frater Emericus. (d)  
1746. Vacat.

1747.

(a) Obiit XXII. Augufti.

(b) Ex Inlyta Comitum Eszterházyorum Familia. Sed cum ille  
nusquam in litteris publicis in sua Cancellaria expeditis titulo *Comitis*,  
sed, quæ erat animi illius demifſio, tantum *Frutris*, quem olim D. Pauli  
Eremita geffit, uteretur, hunc præ illo usurpare mihi libuit.

(c) Hic annus illi jubilaris fuit, cum alteras Primitias celebraret.

(d) Die VI. Decembris mortuus, ac ſequente anno die XXI. Ja-  
nuarii tumulo illatus. Epitaphium ipſe ſibi vivus confecit hujusmodi.

SVB. HOC.

ADMIRANDAE. COMMISERATIONIS.

PRODIGIO. IN.

DIVO. IOANNE. ALEXANDRINO.

EGO. IN. TE.

DEVS. MEVS. MISERICORDIA. MEA.

ASSISTENTE. MIHI.

DVLCI. MISERICORDIAF. MATRE.

DORMIAM. ET. REQVIESCAM.

FRATER.

EMERICVS.

1747. Vacat.  
 1748. Vacat.  
 1749. Vacat.  
 1750. Vacat.  
 1751. Nicolaus e Comitibus Csáky de Kereftszeg.  
 1757. Nicolaus. (a)  
 1758. Vacat.  
 1759. Vacat.  
 1760. Vacat.  
 1761. Franciscus e Comitibus Barkoczi.  
 1762. Idem.  
 1763. Idem.  
 1764. Idem.  
 1765. Idem. (b)  
 1766. Vacat.  
 1767. Vacat.  
 1768. Vacat.  
 1769. Vacat.  
 1770. Vacat.  
 1771. Vacat.  
 1772. Vacat.  
 1773. Vacat.  
 1774. Vacat.  
 1775. Vacat.  
 1776. JOSEPHUS I. e Comitibus de BATTYÁN. (c)

EPI-

(a) Obiit eodem anno Posonii die XXXI. Maji.

(b) Obiit XVIII. Junii.

(c) Primum Praepositus Castriferrei, mox Posoniensis, tum Episcopus Transsilvanus, &amp; ex hoc factus Cołocensis Archiepiscopus, denique ipsis Calendis Januariis hujus anni ab AUGUSTA MARIA THERESIA Strigoniensis Metropolita declaratus. Cui VITA &amp; FELICITAS.

E P I S C O P A T U S  
A G R I E N S I S.

**E**piscopatus Agriensis limites Pazmanus (*a*) Bor-  
sodiensi, Zempliniensi, Bereghiensi, Szabolchensi,  
Szárändiensi, Sároffensi, Abaujvariensi, Heveiensi, &  
Ungvariensi (*b*) Provinciis definit; quarum singulæ ut  
amplissimo agro continentur, ita Episcopatum consti-  
tuunt, qui primas a Strigonensi Archiepiscopatu faci-  
le teneat. Ejus initia ad Sanctum Stephanum pri-  
mum Hungariæ Regem referri oportere ex litteris  
Belae IV. constat; quæ utcunque mancæ sint, fundi  
enim Episcopi, & Capituli omnino reticentur, ad fa-  
ciendam tamen fidem minime prætereundas reor.  
 „ Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ,  
 „ Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ-  
 „ que Rex, omnibus Christi fidelibus præsens scri-  
 „ ptum inspecturis salutem in vero Salvatore. Rex  
 „ Regum, & Dominus Dominantium Deus ad hoc  
 „ præposuit Reges mundo universo, ut in ipsius simi-

B b 2

li-

(*a*) Append. I. ad Synodum anni 1629. pag. 81.

(*b*) Adjiciendus etiam fuit ager Marmorossiensis, ut postea  
dicetur.

*Initia, &  
limites Epis-  
copatus.*

„ litudinem quivis in suis Regiminibus unicuique pe-  
 „ tenti Jus suum tribuat Justitia svadente, perdita  
 „ restauret, restaurata conservet, conservata non oc-  
 „ cupet, meritorios benigne remuneret, & dignos  
 „ servitio dignæ laudis extollat præconio, viduas, &  
 „ orphanos defendat, pauperes colligat, famulos  
 „ Templi Prælatos, & Clericos Dei servitio mancipa-  
 „ tos omni reverentia in suis Juribus illæsos conser-  
 „ vare non desinat, & facultatibus ampliare - - - Hinc  
 „ est, quod ad universorum notitiam harum serie vo-  
 „ lumus pervenire, quod Sancta Mater Ecclesia A-  
 „ griensis, in honorem Beatissimi Joannis Apostoli,  
 „ & Evangelistæ dedicata, cuius fundator Sanctissimus  
 „ Rex Stephanus, Parens Regni Hungariæ, & Apo-  
 „ stolus præcipuus, miro modo fuit, & est, demum  
 „ per Beatissimum Regem Ladislauum fœcundioribus  
 „ fructibus, & possessionibus lautioribus eadem Eccle-  
 „ sia exstitit ampliata, sic & per successores Reges  
 „ Hungariæ, nostros Progenitores, diversis possessioni-  
 „ bus - - ac multiformis Libertatibus exstitit decora-  
 „ ta, & munita. Itaque supra omnes Ecclesiæ Ca-  
 „ thedrales Regni Hungariæ per tot donationes, &  
 „ Libertates per Sanctos Reges donatas, & concessas,  
 „ sedebat ut domina Gentium in Sede Majestatis suæ,  
 „ Diadematæ pulchritudinis decorata: sed proh dolor!  
 „ nostris in temporibus per Tartarorum rabiem, (a)  
 „ &

„ & velanicum eorum insultum, prædicta Ecceſia A-  
„ grienſis funditus, & in toto exſtitit deſtructa, &  
„ combuſta, Bonis omnibus ipſius Eccleſiæ, & Privi-  
„ legiis Sanctorum Regum ſuper Poſſeſſionibus, & Li-  
„ bertatibus emanatis, ablatis penitus, & combuſtis,  
„ ſuiſque Canoniciſ quam pluribus interemtiſ. Vo-  
„ lentes igitur nos veri Regis Iefu Christi veſtigia  
„ imitari, Eccleſiam Agrienſem ipſius ſanguine dedi-  
„ catam de perditis reſtaurare Privilegiis, ſuper Poſſeſſionibus, & Libertatibus priſtinis confovare, ſub  
„ munimine dupliſiſ Sigilli noſtri omnes Poſſeſſioneſ  
„ Epifcopaleſ, & Libeſtateſ Poſſeſſionum Epifcopali-  
„ um, nec non Civiſatum, Villarum, & Oppidorum,  
„ ac Civiſum, Hoſpitem, Inquiliñorum, Conditionario-  
„ rum, Vaſallorum, Nobilium, in unum noſtrum Pri-  
„ vilegium ex certa noſtra ſcientia infeſendo commu-  
„ nicari, ne de memoria hominum elabatur, & ipta  
„ Eccleſia Agrienſis Jure ſuo deſraudetur, & tantæ  
„ Libeſtatiſ veſtuſas per Sanctos Reges confeſſa, per  
„ Filios invidiæ aliquando ſucceſſiuis temporibuſ de-  
„ formetur: Primum volumus, ut nomina omnium  
„ Poſſeſſionum Epifcopaliū, & Tributa conſcriban-  
„ tur, & demum Libeſtateſ infeſtantur, ut processu  
„ temporis in ſuiſ tenutiſ ab impugnantibus, & inquie-  
„ tantibus ſalva conſiſtat Libeſtate. „ Haſtenus Re-  
„ gis Litteræ. Non eſt dubium immunitateſ, & ſinguloſ  
Eccleſiæ fundoſ iisdem infeſtoſ eſſe, quos perquam

fuisse amplos liquet ex conditione, quam idem Rex in hæc verba subdit. „ Hoc non prætermittimus, „ quod, si aliquo tempore Reges Hungariæ, nostri suc- „ cessores, quatuor Filios habuerint, Episcopus Agri- „ ensis, qui pro tempore fuerit, quartum custodiet, „ prout hoc a Sanctis Regibus exstitit ordinatum, & „ statutum. - - Datum per manus discreti Viri Magi- „ stri Pauli Albensis Ecclesiæ electi, anno Incarnatio- „ nis Dominicæ MCCLXI. quinto Idus Septembribus, „ Regni autem nostri vigesimo sexto. „ (a) Non igi- „ tur a Bela IV. quod aliqui putabant, conditio alendi, „ instituendique quarti Regum Filii, sed a Divis Ste- „ phano, & Ladislao, jam in ipso conditæ Ecclesiæ A- „ grienfis primordio, adjecta esse videtur.

*Lis cum  
Episcopo  
Transsilva-  
nienſi titulo  
limitum  
Diæcesos.* Quid Jurisdictionis causa litium Agrienfibus Epi- scopis intercesserit cum Metropolita, jam supra nar- ratum est, nec refert, quid domi turbarum aliquando obortum fit, (b) hoc loco depromere. Majus nego- tium

(a) Ex MSS. P. Gabrielis Hevenessy.

(b) Hoc Innocentii IV. litteræ indicant hujus tenoris. *Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbatii de Scepus Cisterciensis Ordinis, Priori Fratrum Prædicatorum de Potoch, & Præposito Ecclesiæ Sancti Martini de Scepus Strigonensis, & Agrienfis Diæcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Conquerentibus olim dilectis filiis, Rectoribus, ac perpetuis Vicariis Ecclesiæ Agrienfis Diæcesis, quod Venerabilis Frater noster Episcopus, ac Præpositus, Archidiaconi, & Canonici Agrienfes, omnes redditus, & proventus Ecclesiæ Agrienfis ipsarum suis usibus indebite applicantes, dictis Rectoribus, & Vicariis non nisi quamdam tenuem, & exilem partem de oblationibus, & obventionibus illarum pro suo libitu conferebant,* &

tium Agriensibus cum Transsilvanis Episcopis ob Mar-  
marossensem Provinciam fuit, quod isti eam suæ Dioce-  
cesi assertum irent, illi contra ad suam Jurisdictionem  
pertinere contendebant. Ubi controversia ad Andre-  
am III. Regem delata est, hic momentis in utramque  
partem perpensis, nil dubitavit, causam Transsilvano  
Episcopo adjudicare, litteris ea de re in hæc verba  
vulgatis. (c) „ Nos Andreas Dei gratia Rex Hunga-  
riæ &c. Præsentium per tenorem significamus,  
„ qui-

¶ quod diversis aliis gravaminibus afficiebant eosdem. Nos tandem  
in hujusmodi negotio partibus coram Nobis litterarum nosirarum au-  
toritate citatis, dilectum Filium Martinum Ubaldum Subdiaconum,  
¶ Capellum nostrum dedimus Auditorem, ¶ quia his nimis esset  
difficile super præmissis apud Sedem Apostolicam litigare, Nos ipso-  
rum laboribus, & expensis parcere, ac super his per viam compendii  
salubriter providere volentes, discretioni Vestræ per Apostolica scrip-  
ta mandamus, quatenus vocatis eisdem Partibus, si de ipsorum vo-  
luntate processerit, infra tres Menses a receptione præsentium, compon-  
natis amicabiliter inter eos: alioquin ex tunc Episcopo præfato au-  
thoritate nostra mandetis, ut memoratis Restoribus, & Vicariis  
quartam partem omnium Decimarum, cum hoc de jure communi exi-  
stat, habere ipsis pro sustentatione dimittat, percipiendam pacifice in  
perpetuum ab eisdem. Aiam vero quartam decimarum ipsarum in  
tuto, & competenti loco cuiuslibet Parochiæ pro fabricis, luminaribus,  
& aliis ornamentis dictarum Ecclesiarum deponi fideliter faciat. Ad  
hæc præsumptum Episcopum duabus partibus oblationum, quæ a Paro-  
chialibus, vel aliis Christi Fidelibus ex quacunque causa Ecclesiarum  
ipsorum Ataribus offeruntur, exceptis pane, carnis, & candelis,  
quæ omnia cum tertia parte hujusmodi oblationum in denariis, auro,  
vel argento fasta, Restoribus, & Vicariis cedant, faciatis esse con-  
tentum, coniunctudine, vel præscriptione aliqua non obstante. Præter-  
ea nominatos Restores & Vicarios a præfato Episcopo in Cathedratico  
ultra, quam a jure permittitur, molestari nullatenus permittatis.  
Ceterum eosdem Restores, & Vicarios, quos per Episcopum præsumptum,  
Archidiaconos, & Canonicos Iuriprudentios, post appellationem ad Sedem  
Apostolicam interjectam, Ecclesiis, vel a iis Bonis suis, vobis esse con-  
siderit spoliatos, ad ea integra, sicut iussum fuerit, restituere pro-  
curetis.

(c) Nicolai SCHMITT Episcop. Agriens. Tom. I. pag. 233.

„ quibus expedit universis. Quod cum mediantibus  
 „ litteris nostris, & nuncio, Venerabili Patri Domi-  
 „ no Andreæ Dei gratia Episcopo Agriensi inhibui-  
 „ semus, ne licentia a nobis minus legitime obtenta,  
 „ Jure Dicecesano in Maramarusio uteretur ante,  
 „ quam coram Venerabili Patre Domino Joanne Ar-  
 „ chiepiscopo Colocensi Metropolitano, & Domino  
 „ Petro Episcopo Transsilvaniæ de hoc jure expe-  
 „ riretur, utrum terra Marmarus vocata, intra termi-  
 „ nos, & limites Diœcesis Transsilvaniæ existat, nec  
 „ ne - - - Nos convocatis Nobilibus partis illius, di-  
 „ ligenti inquisitione per Venerabilem Patrem Emeri-  
 „ cum Episcopum Varadiensem, & Dominicum Ladi-  
 „ slaum Præpositum Tyteliensem Aulæ nostræ vice  
 „ Cancelarium præmissa, quia invenimus terram Mar-  
 „ marus prædictam esse, & fuisse intra limites, &  
 „ terminos Diœcesis Transsilvaniæ, pro eo habita de-  
 „ liberatione, una cum Baronibus, & Confiliariis no-  
 „ stris possessionem Juris Diœcesani, quæ per licenti-  
 „ am per Nos Domino Episcopo Agriensi datam, tur-  
 „ bata videbatur, Domino Episcopo Transsilvaniæ, &  
 „ per eum Episcopatui Transsilvanico duximus adjudic-  
 „ candam, & sententialiter restituendam (a) in ea  
 „ parte, qua Ecclesia Transsilvanica per Nos læsa, vel  
 „ offensa videbatur, & in pacificam possessionem præ-  
 „ dicti Juris per Mathiam Sacerdotem, dilectum, &  
 „ fi-

---

(a) Num consulto Pontifice id factum, an contra, litteræ reticent.

,, fidelem Capellanum nostrum, ipsum Dominum Epi-  
,, scopum Transfilvanum fecimus introduci. Datum in  
,, Castro Budensi in festo Beati Laurentii anno Domi-  
,, ni MCCXCIX. „ Res hæc occasionem suapte offert  
ad indagandum, an Provincia Marmarossiensis olim ad  
Transfilvaniam pertinuerit, quod mihi tamen, res fa-  
cras in primis tractanti, nunc discutere non vacat.  
Ceterum rursus ad Agriensem ea Provincia rediit, et-  
si, quo id tempore factum sit, apud neminem repe-  
riam. Probabilius tamen post ætatem Pazmani id fa-  
ctum suspicor, qui, si suo tempore is terræ Tractus  
ad Agriensem Dioecesim pertinuisset, illius omnino  
mentionem in eo, quem supra promisimus, loco factu-  
rus erat, id enim illi ignoratum fuisse, vix credibile  
est. Atque hæc, quod de Episcopatu Agriensi jam alii  
ante me prolixe commentati fuere, (a) compendio  
perstrinxisse satis sit.

EPI.

---

(a) Reverendissimus D. AMBROSOVSKY Canonicus Agriensis, et P. Nicolaus SCHMITT, quorum postremus Episcopatum hunc tribus Tomulis complexus est.



---

## E P I S C O P I A G R I E N S E S.

---

*Annus Christi.*

- 1009. Catapranus.
- 1019. Bonifacius.
- 1037. Buldus.
- 1048. Petrus I. (a)
- 1102. Procopius. (b)
- 1104. Laurentius.
- 1106. Martinus I.
- 1113. Wolfertus. (c)
- 1119. Cletus I.
- 1133. Andreas I.
- 1143. Martinus II.
- 1156. Lucas.
- 1158. Lucas.
- 1166. Lucas.

1169.

---

(a) Primi quatuor ex P. Nicolai SCHMITT serie Episcoporum Agriciensium, qui hos partim ex Bonfinio, partim ex MSS. memoris P. Alexandri Szörenyi accepit, sumti sunt. Petro videntur nimis multi anni regiminis tribui, qui, cum anno 1048. dicatur cœpisse, & 1096. obiisse, nec credibile sit eo tempore ante trigesimum etatis annum quemquam ad Episcopen promotum, oportuit Petram, cum obiit, annorum 118. fuisse.

(b) Hunc, & sequentes ex diplomatis collegi.

(c) In transiusto authentico Privilegiorum Abbatis de monte Zobor. Itaque Cletus apud Nicolaum SCHMITT seriem anteverit.

1169. Sarna. (a)  
 1169. Nicolaus. I.  
 1183. Petrus II.  
 1188. Petrus.  
 1193. Petrus.  
 1195. Petrus.  
 1198. Catapanus.  
 1199. Catapanus.  
 1206. Catapanus.  
 1207. Catapanus.  
 1208. Catapanus.  
 1209. Catapanus.  
 1210. Catapanus.  
 1211. Catapanus.  
 1212. Catapanus.  
 1217. Thomas I.  
 1218. Thomas.  
 1219. Thomas  
 1220. Thomas.  
 1221. Thomas.  
 1222. Thomas.  
 1224. Thomas, & eodem anno (b)  
 1224. Cletus II. (c)

C c 2

1225.

(a) Occurrit in diplomate Stephani III. quo Rex privilegia confirmat cœnobio SS. Cosmæ, & Damiani in Pafimania Dalmatiæ insula sito.

(b) In Privilegio Andreæ II. quod Monasterio Sanctæ Mariæ de Monte tribuit.

(c) Ex Præposito Agriensi, qui simul Aulæ Vice-Cancellarius fuit.

1225. Cletus.  
 1228. Cletus.  
 1229. Cletus.  
 1230. Cletus.  
 1231. Cletus.  
 1233. Cletus.  
 1234. Cletus.  
 1238. Cletus.  
 1242. Cletus.  
 1243. Cletus.  
 1244. Cletus.  
 1246. Lampertus. I.  
 1247. Lampertus.  
 1248. Lampertus.  
 1251. Jacobus. (a)  
 1252. Lampertus II. (b)  
 1254. Lampertus.  
 1255. Lampertus.  
 1256. Lampertus.  
 1263. Lampertus.  
 1268. Lampertus.  
 1269. Lampertus.  
 1270. Lampertus.  
 1271. Lampertus.

1272.

(a) Hunc Nicolaus SCHMITT omisit, ego in Copia simplice reperi :  
 quæ si me refellit, facile expungetur.

(b) Etiam Lambertus aliquando scribitur, sed cum prius sit fre-  
 quentius, id servandum arbitratus sum.

1272. Lampertus.  
 1273. Lampertus. (a)  
 1274. Lampertus.  
 1275. Lampertus, & V. Cal. Novembris eodem  
       anno  
 1275. Andreas II.

C c 3

1276.

(a) Huic, incertum, quo anno, lites cum Rege Ladislao Chuno oborta sunt, ut hic necessarium putaret ad Pontificem recurrere litteris in hæc verba scriptis. „Sanctissimo Patri, & Domino. G. divina providentia Sacro-Sancta Romanæ Ecclesie Summo Pontifici Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, Ramæ, Serviæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariaeque Rex filiale reverentiam. Singulorum ibi merito querimoniae porrigitur, ubi viget æquitas, colitur Sanctitas, justitia dominatur, & univerfis patientibus injuriarum detrimenta, pia consolatio nis remedium adhibetur. Proinde cuncta, quæ contra statum geruntur, & sunt Ecclesiasticae honestatis, quæ providentia vestra notitiam, & consilium exigere dignoscuntur, Vestra filialiter innoscimus Sanctitati. Sane Religiosi Viri Abbas, & Fratres sui Præmonstraten sis Ordinis de Hatván Diœcesis Agriensis, sua Nobis questione monstrarunt, quod Venerabilis Pater Lampertus Episcopus Agriensis ipsos vexationis injustæ dispendio multipliciter afficeret, & gravaret, eo, quod quamdam Ecclesiam Parochialem in qua ipsi Fratres afferunt se jus habere, ex concessione Vestra Sedis, potentialiter occupavit, & detinet occupatam, compellens eosdem solvere Decimas de suis prædiis, & vineis, quas laboribus, & suis sumtibus plantaverunt, contra indulta Vestra Apostoliæ Sanctitatis, qui super immunitatis suæ beneficio rescriptum Nobis Sanctissimi Patris, & Domini Clementis IV. Prædecessoris vestri exhibuerunt humiliiter, & devote, cumque ipsi Fratres transumto ejusdem rescripti vellent apud dictum Episcopum juris ordine se tueri, idem Episcopus fide in hujusmodi exemplo non adhibens, Exemp'ar sibi petuit exhiberi. Nos igitur dictorum FF. compatientes afflictionibus, & devotis supplicationibus annuentes, unum de nostris Capellanis idoneum, & fidelem cum eisdem ad dictum Episcopum, quem sibi suspectum, ne privilegium eorum arriperet, allegabant, duximus transmittendum; quo præsente, & quo teste suum eidem privilegium exhiberent, idem vero Episcopus cum ipsum privilegium inspiciendi caufa sibi tradi postulasset, rupta fide, violata lege, denegata nihilominus reverentia, quæ nobis in persona Nostri Nuncii debebatur, authoritate refinuit Pastorali, nec precibus eorundem FF. & nostri hominis vinci potuit ad reddendum. Unde quid super hujusmodi violentia temeraria sit agendum, Vestra discutiat providentia Sanctitatis. Datum Budæ VI. Idus Martii.

1276. Andreas.  
 1279. Andreas.  
 1288. Andreas.  
 1290. Andreas.  
 1291. Andreas. Cancellarius Reginæ.  
 1292. Andreas.  
 1294. Andreas.  
 1297. Andreas.  
 1299. Andreas.  
 1304. Andreas.  
 1307. Martinus III.  
 1308. Martinus.  
 1309. Martinus.  
 1311. Martinus.  
 1317. Martinus.  
 1318. Martinus.  
 1319. Martinus.  
 1320. Martinus.  
 1321. Martinus. (a)  
 1322. Chanadinus de Thelegd.

1323.

---

(a) In litteris, quas *Fassionales* vocant, Capituli Agriensis, in quibus Dominici, Filii Lachk (Ladislai,) de Nadasd ex una parte, ex altera vero Comitis Nicolai, filii Urbani de Peren, titulo possessionis Szent Kereszt protestationes exhibentur, diserte in hæc verba habetur: *Domino Nostro Venerabili Patre M. (Martino) Dei gratia Episcopo Agriensi existente &c. Datum in Vigilia festi Beati Thomæ Apostoli anno supradicto: hoc est, 1321. Pater Nicolaus SCHMITT eodem anno Chanadnum electum Agriensem ponit ex subscriptione diplomatica. Id si ita est, Chanadinum confessim ab obitu Martini oportuit eligi.*

1323. Chanadinus.  
1324. Chanadinus.  
1325. Chanadinus.  
1326. Chanadinus.  
1327. Chanadinus.  
1328. Chanadinus.  
1329. Chanadinus.  
1330. Chanadinus.  
1332. Nicolaus II.  
1333. Nicolaus.  
1334. Nicolaus.  
1335. Nicolaus.  
1336. Nicolaus.  
1338. Nicolaus.  
1342. Nicolaus.  
1345. Nicolaus. (a)  
1346. Nicolaus.  
1347. Nicolaus.  
1349. Nicolaus.  
1350. Nicolaus.  
1351. Nicolaus.  
1352. Nicolaus.  
1353. Nicolaus.  
1354. Nicolaus.  
1355. Nicolaus.

1356.

---

(a) Hoc anno fundatum est coenobium Paulinorum Beate Marie Magdalena supra Agriam, super possessione Fej-Némethy in Comitatu Kis-Hevessensi; sed ab eodem Nicolao postea extinctum.

1356. Nicolaus.  
 1357. Nicolaus.  
 1358. Nicolaus.  
 1359. Nicolaus III. (a)  
 1360. Nicolaus.  
 1361. Vacat.  
 1362. Vacat VI. Non. Novembris.  
 1363. Michaël XII. Cal. Aprilis.  
 1364. Michaël.  
 1365. Michaël.  
 1366. Michaël.  
 1367. Michaël.  
 1368. Michaël.  
 1369. Michaël.  
 1370. Michaël.  
 1373. Michaël.  
 1376. Michael.  
 1377. Michaël.  
 1378. Emericus I. Zudar. VII. Cal. Februarii.  
 1380. Emericus.  
 1381. Emericus.  
 1382. Emericus.  
 1383. Emericus.  
 1384. Emericus. (b)

1385.

(a) Diserte in litteris hujus anni dicitur: *Præpositus Posonienjis, electus Agrienensis*. Itaque alium a priore Nicolao fuisse oportuit.

(b) Pater Nicolaus SCHMITT Tom. I. Episcop. Agrien. pag. 345. putat illum in exitu anni 1384. quod nuspianam ejus memoria occurrat,

1385. Joannes I. de Kanyfa.  
1386. Joannes.  
1387. Joannes.  
1388. Stephanus I. Chyko.  
1389. Stephanus.  
1391. Stephanus.  
1393. Stephanus.  
1394. Stephanus.

1395.

rat, e vivis excessisse: sed virum doctum latuit, Emericum a Pontifice ad Imolensem Cathedram ex Agriensi traductum fuisse. Exscribo litteras ex autographo. „ Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilecto filio „ Joanni de Kanyfa, electo Agriensi salutem, & Apostolicam benedictionem „ nom. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex „ alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini praesidemus, utiliter „ exequi, coadjuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur, & fo- „ lertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis „ in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem Domini- „ cum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis insfor- „ mare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, & tranquillo velint, „ & valeant, Duce Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare. Sa- „ ne Ecclesia Agriensi ex eo vacante, quod nos nuper Venerabilem Fra- „ trem Nostrum Emericum Imolensem, tunc Agriensem Episcopum, „ licet absentem a vinculo, quo ipsi Agriensi Ecclesia, cui tunc præerat, „ tenebatur, de Fratrum Nostrorum consilio, & Apostolicae potestatis ple- „ nitudine absolventes, ipsum ad Ecclesiam Imolensem tunc pastore caren- „ tem, autoritate Apostolica duximus transferendum, præficiendo ipsum „ eidem Ecclesia Imolensi in Episcopum & Pastorem: Nos attendentes, „ quod de provisione ejusdem Agriensis Ecclesia nullus - - se intromit- „ tere potuit, neque potest, pro eo, quod nos diu ante vacationem hujus- „ modi provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium ex tunc in ante - - - „ translationes per nos faciendas de Prælatis earum ubilibet constitutis, „ ordinationi, & dispositioni nostre reservantes, decrevimus, ex tunc irri- „ tum & - - si fecis super his per quoscumque quavis auctoritate, sci- „ enter, vel ignoranter contingere attentari, & ad provisionem ipsius „ Ecclesia Agriensis celerem & felicem, ne longæ vacationis exponeretur „ incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberatio- „ nem, quam de præficiendo eidem Agriensi Ecclesia personam utilem, „ ac etiam fructuosam, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, de-

1395. Stephanus.  
 1397. Stephanus.  
 1398. Stephanus.  
 1399. Stephanus.  
 1401. Thomas II. de Ludán.  
 1402. Thomas.  
 1403. Thomas.  
 1404. Vacat II. Cal. Septembris.

1405.

„ mum ad te Præpositum Ecclesiæ Strigoniensis in Presbyteratus ordine  
 „ constitutum , cui de litterarum scientia , vitæ munditia , honestate mo-  
 „ rum , spiritualium providentia , & temporalium circumspectione , aliis-  
 „ que multiplicium Virtutum donis apud nos laudabilia testimonia perhi-  
 „ bentur , direximus oculos nostræ mentis , quibus omnibus debita medita-  
 „ tione pensatis , de persona tua nobis , & eisdem Fratribus ob dictorum  
 „ tuorum exigentiam meritorum accepta , ipsi Agriensi Ecclesiæ de dicto-  
 „ rum Fætrum consilio , auctoritate Apostolica providemus , teque illi  
 „ præficiimus in Episcopum , & Pastorem , curam , & administrationem  
 „ ipsius Agriensis Ecclesiæ tibi in spiritualibus , & temporalibus plenarie  
 „ committendo , in illo , qui dat gratias , & largitur præmia , confidentes ,  
 „ quod eadem Agriensis Ecclesia per tue circumspectionis industrias , &  
 „ providentiam circumspetam sub tuo felici regimine , dextra Domini  
 „ tibi afflidente , propitia tibi , salubriter , & prospere dirigetur , & grata  
 „ in eisdem spiritualibus , & temporalibus suscipiet incrementa . Quocirca  
 „ discretioni tue per Apostolica scripta mandamus , quatenus impositum  
 „ tibi a Domino onus regiminis dicta Agriensi Ecclesiæ suscipiens reve-  
 „ renter sic te in ejus cura salubriter exercenda diligenter exhibeas , &  
 „ etiam studiosum , quod Ecclesia ipsa Gubernatori provido , & fructuosò  
 „ administratori gaudeat se commissam , tuque proinde præter externæ  
 „ retributionis præmiam , nostram & Apostolicæ Sedis benedictionem ,  
 „ & gratiam ulterius consequi merearis . Datum in Castro Liceræ ,  
 „ Salernitanæ Diœcesis , VI. Cal. Septembris . Pontificatus nostri an-  
 „ no. VII. „

*Foris*  
*Intus*  
*X*  
*Ja. de Papia XVI*

*X Petrus de Esculo. A. de Novaria*

Cur Emericus a Papa ad Imolensem Sedem traductus sit , non habeo com-  
 pertum . Forte illi cum Elisabetha & Maria reginis male convenerit . Ita-  
 que ut se a molestiis explicaret , petierit a vinculo Agriensi se absolvi .

1405. Vacat XVII. Cal. Majas. (a)  
1406. Vacat IV. Non. Februarii.  
1407. Vacat. IV. Cal. Septembris.  
1409. Vacat X. Cal. Martii.  
1410. Vacat IV. Cal. Aprilis, & XIII. Augusti eodem anno  
1410. Styborius confirmatus.  
1411. Styborius.  
1412. Styborius.  
1413. Styborius.  
1414. Styborius.  
1415. Styborius.  
1418. Styborius.  
1419. Styborius.  
1420. Styborius.  
1423. Thomas III.  
1424. Petrus II. de Rozgon.  
1425. Petrus.  
1426. Petrus.  
1427. Petrus.  
1429. Petrus.  
1430. Petrus.  
1431. Petrus.

D d 2

1432.

---

(a) Andreas Archiepiscopus Spalatensis, Vicarius Diœcesis Agriensis Generalis per Sedem Apostolicam specialiter constitutus. A suis Urbe exactus, sponte se Archiepiscopatu abdicavit, ad Sigismundum in Hungariam confugiens, qui quamquam eum liberaliter habuisset, impetrare tamen a Spalatensibus non potuit, ut illum reciperent.

1432. Petrus.  
 1434. Petrus.  
 1435. Petrus.  
 1436. Petrus.  
 1437. Petrus.  
 1439. Dionysius de Zeech. (a)  
 1440. Simon de Rozgon ex Vesprimiensi.  
 1441. Simon.  
 1443. Simon.  
 1444. Simon. (b)  
 1447. Ladislaus I. de Hedervára. (c)  
 1449. Ladislaus.  
 1453. Ladislaus.  
 1455. Ladislaus.  
 1456. Ladislaus.  
 1457. Ladislaus.  
 1461. Ladislaus. (d)  
 1464. Ladilaus.  
 1465. Ladislaus.  
 1466. Ladislaus.  
 1467. Ladislaus.

1468.

(a) Cardinalis creatus VIII. Januarii.

(b) Occubuit in prælio ad Varnam, ut habet Callimachus lib. III. de Rebus gestis Wladislai I.

(c) Sabbatho ante Octavas Resurrectionis Domini.

(d) Scribit hoc anno in festo Beati Emerici Ducus ad Universitatem Comitatus de Saaros, ut in Decima Bladarum pro qualibet Capetia solvant octo denarios majoris, aut in horum loco 80. minoris, &amp; currentis monetæ, quemadmodum ex deliberatione universorum Prælatorum, &amp; Baronum Regni hoc anno decretum esset.

1468. Joannes II. XII. Cal. Maji ex Varadiensi. (a)
1469. Joannes.
1470. Joannes.
1471. Joannes.
1472. Joannes.
1474. Frater Gabriel I. Rangonius Episcopus Trans-silvanus postulatus Agriensis.
1475. Gabriel postulatus. (b)
1476. Gabriel.
1477. Gabriel Cardinalis SS. Sergii, & Bachi.
1478. Gabriel.
1479. Gabriel.
1486. Gabriel. (c)
1486. Urbanus de Nagy-Lucha Thesaurarius Regius. (d)

D d 3

1487.

(a) Cum Papa confirmationem Episcopi protelaret, Rex in hæc verba eidem rescripsit. *Nec permittam, quantum res permittent Ecclesiæ illius provisionem temere nimis in longum differri.*

(b) In litteris Mathiae Corvini anno priore datis Caspari Back Præposito Scepusiensi, dicitur *Transsilvanus*. Proinde videtur Agriensis Sedes annis 1474, & 75. vacasse.

(c) Hujus Suffraganeus erat Ladislau de Syroka, Episcopus Neopoliensis, ut patet ex Epitaphio in Ecclesia Syrokiensi, rubro marmori in hæc verba inciso. *Hic jacet Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Ladislau de Syroka, Episcopus Neopolensis, Suffraganeusque aliae Ecclesie Agriensis. Obiit XXIV. die mensis Januarii anno Domini MCCCCLXXXVII.*

(d) Obiit anno 1493. ut ex Epitaphio illius, quod in Ruderibus templi Vissegradiensis exstat, colligitur. Istius octennio abhinc hæc legere potui.

MCCCCLXXXIII.

VRBANO. PON. AGRIENSI. DE.

NAGY-LVCHA. ORIVNDO.

Superius visitur effigies in habitu Pontificali, infra scutum cum duabus fasciis, ut opinor, gentilitium.

1487. Urbanus.  
 1489. Urbanus.  
 1492. Vacat.  
 1493. Thomas IV. de Bakocz Jaurinensis Episc.  
       electus Agriensis, & Cancellarius.  
 1494. Thomas.  
 1495. Thomas.  
 1497. Thomas. (a)  
 1498. Hyppolitus Estensis de Arragonia S. Luciaë  
       in Silice Diac. Cardinalis.  
 1500. Hyppolitus.  
 1501. Hyppolitus.

1504.

---

(a) Ad Strigonensem Archiepiscopatum hoc anno traduetus. Causas traductionis Pontifex in hæc verba reddit. „ Alexander Episcopus &c.  
 „ Venerabili Fratri Thoma Episcopo nuper Agriensi in Archiepiscopum  
 „ Strigonensem electo &c. Sane Ecclesia Strigonensis, cui dudum dile-  
 „ ctus filius noster Hyppolitus S. Luciaë in Silice Diaconus Cardinalis, Ad-  
 „ ministrator in Spiritualibus, & temporalibus ad certum tempus nondnm  
 „ elapsum per Sedem Apostolicam deputatus fuit, cessante hujusmodi Ad-  
 „ ministratione ex eo, quod dictus Hyppolitus Cardinalis hodie in mani-  
 „ bus Nostris sponte, & libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duxi-  
 „ mus admittendam - - - ad provisionem ipsius Ecclesiae celestem, & felici-  
 „ em - - - intendentes - - - ad te consideratis grandium virtutum meri-  
 „ tis, quibus illarum largitor altissimus personam tuam multipliciter insi-  
 „ gnivit - - - duximus oculos nostra mentis. Intendentes igitur tam ei-  
 „ dem Ecclesia Strigonensi, quam ejus gregi Dominico salubriter providere,  
 „ te licet absentem a vinculo, quo Agriensi, cui tunc præeras, teneba-  
 „ ris - - - ad præfatam Ecclesiam Strigonensem Apostolica auctoritate  
 „ transferimus - - - volumus autem, quod ante, quam possessionem, vel  
 „ quasi Regiminis, & Administrationis bonorum dictæ Ecclesia Strigonen-  
 „ sis recipias, in manibus Venerabilium Fratrum nostrorum Jaurinensis,  
 „ & Vaciensis Episcoporum, seu alterius eorundem, fidelitatis debitæ soli-  
 „ tum præstes juramentum juxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus  
 „ introclusam - - - Quocirca &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum,  
 „ anno Incarnationis Dominicæ 1497. XIII. Cal. Januarii Pontificatus no-  
 „ stri anno VI.

1504. Hyppolitus.  
1505. Hyppolitus.  
1506. Hyppolitus.  
1507. Hyppolitus.  
1508. Hyppolitus.  
1511. Hyppolitus.  
1512. Hyppolitus. (a)  
1514. Hyppolitus.  
1518. Hyppolitus. (b)  
1522. Ladislaus II. Szalkanus.  
1524. Paulus de Varda. Thesaurarius.  
1526. Paulus. (c)  
1527. Thomas. V. Zalaházy Episcopus Vesprimiensis electus Agriensis. (d)  
1528. Thomas.  
1529. Thomas.

1531.

---

(a) Hoc anno Petrus de Keresztur Canonicus, & Vicarius Agriensis, in festo Sancti Petri Martyris Synodum Hyppoliti nomine Agriam pro feso Sancti Joannis ante portam Latinam indixit, eius Acta nemo hactenus vulgavit.

(b) Huic Annales Paulinorum successorem ad annum 1520. tribuunt Dionysium nescio quem, qui simul Suffraganeus fuerit Episcopi Transsilvanensis. Quis unquam Episcopum Agriensem, majoris utique census, quam Transsilvanensis sit, hujus Suffraganeum faceret? videtur error in nomen irrepsisse, & rescribendum *Argensis*, tametsi & de hoc titulo hac aetate dubitem.

(c) Cum Joanne Bebek de Pelsuecz celebrat Coventum in Myskolcz die Dominico post Festum Exaltationis Sanctae Crucis, Nobilibus Comitatum Heves, Gömör, Borsod, Thorna, & Abaujvar concitis Nobilibus ad propulsandum periculum, quod a Turcis imminebat.

(d) Hujus opera Ferdinandus I. litteris Strigonii in Festo Beati Clementis Papæ, & Conf. datis donat Capitulo Agriensi bona condam *Paloczi*.

1531. Thomas.
1537. Thomas.
1539. Frater Franciscus I. de Frangepanibus Archiepiscopus Colocensis, & Administrator Agriensis. (a)
1540. Frater Franciscus.
1541. Frater Franciscus. (b)
1548. Nicolaus IV. Olahus ex Zagrabiensi: (c)

1551.

(a) Eodem anno a Pontifice III. Calendas Junii confirmatus.

(b) Hoc anno in Comitiis Ratisbonensibus diligenter cum Imperii Principibus de auxiliis in Hungariam intendendis egit, ut patet ex Epistola ad Fridericum Nauseam Episcopum Viennensem data hujus tenoris. „  
„ Franciscus a Frangepanibus Episcopus Agriensis RR. Domino Friderico „ Nauseæ Episcopo Viennensi. Litteras tuas una cum opusciculis quibus- „ dam sane doctissimis recepi, quæ mihi pergratae fuere. Verum quod „ ad res religionis attinet, nunc nihil mea interest: delecti enim sunt do- „ cissimi Homines utriusque partis, Catholicorum scilicet, & Protestan- „ tium, qui hæc negotia ad amissim tractent, & disentiant. Id autem „ oneris nunc mihi injunctum est, ut una cum Magnificis Collegiis meis „ de calamitatibus Regni nostri Hungariae, & cum Catholica Cæsarea Ma- „ jestate, & cum Illustrissimis Imperii Principibus again: id quod pro vi- „ ribus, Deo dante, perfidere conabor. Interim tamen optarem te ades- „ se, ut in hoc celeberrimo Conventu cum his doctissimis Viris agere „ posses de his, quæ Christianam pacem & concordiam fidei concernunt. „ Crediderim enim tnam præsentiam Catholicorum rebus admodum pro- „ futuram, & me tibi ex corde offero --- Datum Ratisbonæ die II. „ Martii 1541.

(c) Contractum quoad proventus Ecclesiæ Agriensis cum Ferdinando Rege init, qui hujusmodi est. „ Nos Ferdinandus &c. Recognoscimus „ per præsentes nostras, quod cum nos superioribus diebus ob merita, & „ virtutes singulares fidelis nostri, nobis sincere dilecti, RR. Domini „ Nicolai Olahi Episcopi Zagrabiensis, Secretarii Cancellarii nostri, eum „ ab Ecclesia Zagrabiensi ad Episcopatum Agriensem transtulerimus, & „ eadem Ecclesia Cathedralis Agriensis, domusque, & habitationes ejus- „ dem una cum arce ob incendium superiorum annorum in ruinam, & „ desolationem extremam devenerit, arxque eadem, ut pote jam in fi- „ nibus Turcicis sita, ob vicinorum hostium metum, non exiguo ha- „ beat opus gentium, & custodium præsidio, adeo, ut ad dicti Episci- „ Fa-

1551. Nicolaus Cancellarius.

1552. Nicolaus Regis Ferdinandi Compater.

1553.

„ Familiæque ipsius victimum , atque sustentationem , tum etiam ad præmissa pro necessitate præsentis temporis restauranda , & curanda , præventus modernorum temporum Episcopatus prædicti commode vix sufficiere posse videantur , ideo cum præfato Nicolao Episcopo ita tractavimus , & concordavimus , quod Castellani duo arcis , quoram unus Provvisoratus etiam officium exercere poterit , sint sub potestate Agriensis , & una cum Equitibus , & Peditibus infrascriptis , qui in arce ipsa sub eis erunt , sint eidem Episcopo more solito jurati super fideli conservazione , & defensione arcis ipsius Agriensis , ultra quod juramentum eidem Episcopo præstandum , sint nobis quoque jurati , ut in eo casu , quo Episcopum ipsum mori contingeret , arcem ipsam una cum omnibus ejusdem attinentiis , Majestati Nostræ fideliter conservent & restituant . Bonna universa quounque nomine vocata Episcopatus ipsius Agriensis , & ad eundem pertinentia , Provvisor Episcopi , nomine ejusdem plena potestate regat , decimasque , & proventus universos exigat , & administret ; cui quidem Provvisor adjungatur unus Contraſcriba , qui nobis fit juratus , & proventus omnes perinde , atque Provvisor Episcopi intelligat , & conſribat , ut omnium proventuum , & exituum fit conſcius , quo de omnibus restam rationem tenere poſſit , proventusque Episcopatus ipsius usque ad quietiora tempora , demitis salaryis annuis , & conſervatione mensæ Provisoris , Castellani , vice-Castellanorum , Contraſcribæ , Pistoris , Clavigeri , Coquorum , in tres partes æquales per Episcopum medio Provisoris sui dividantur . Quarum unam partem Episcopus pro sustentatione sua , & familiæ sua ſibi reſervet : alteram ad restauracionem Ecc'ſia , Domorum , & munitionem arcis idem Episcopus medio Provisoris ſui convertat , & Contraſcribæ , qui ambo de his , quæ in hujusmodi restaurationes percepient , expoſuerintque , debitam rationem tenere , & ſuo tempore Nobis , vel illi , cui commiſſerimus , reddere debent , convertat ; nos vero Architectum peritum , cuius conſilio ædificia necessaria commodius fieri poſſint , eo mittere volumus : tertiam vero proventuum Episcopatus partem idem Episopus medi Provisoris & Contraſcribæ , ad quod illi nobis Jurati eſſe debebunt , ad ſolutionem alterius Castellani bombardariorum , equitum , & peditum , aliorumque Cudum in Arce ſervientium fideliter dari faciat . Nos ſuperfluum , quod ad continuam equitum , & peditum in Castro ipſo intentionem ſolvi debet , ex publico ſubſidio , & aliis proventibus noſtris ſine defectu in quemlibet mense perfolvi faciemus . Et quidem quia pro tempore hoc præſenti , & quidem periculoflo neceſſarium eſt , ut quilibet Castellanus pro defenſione Arcis ſub ſe centum equites habeat , & centum , ac quinquaginta pedites , ideo hic numerus uisque ad pacatiora tempora integrer in Arce conſervetur , quibus præmiffo modo partim ex tertia

1553. Nicolaus. (a)
1554. Franciscus II. Uylak.
1555. Vacat III. Februarii.
1556. Vacat X. Februarii.
1557. Antonius Verantius. (b)
1558. Antonius.
1559. Antonius.
1562. Antonius.
1563. Antonius.
1565. Antonius.
1567. Antonius.

1568.

„ parte proventuum Episcopatus ipsius, partim ex subsidio, & aliis proutibus nostris, in quemlibet mensem solutio fiat; qui quidem numerus gentium atque expensæ tempore pacatiore diminui postea poterunt. Casu vero, quo Arx ipsa Agriensis obsideretur, vel saltem suspicio obsidionis immineret, Nos tempestive de majori praesidio in Arcem ipsam imponendo providere volumus, ut ea sit bene provisa: similiter etiam bombardas, globos, & pulveres sufficientes in Arcem ipsam & uinc, & postea tempore majoris necessitatis dabimus: Præterea cum Rebellium temeritas a tribus jam annis adeo contumax fuerit, ut Rebels ipsi ad dirigendas & pro se exigendas decimas, ac alios proventus prædicti Episcopatus manus suas violenter imposuerint, & prædicti Equites ad eas exigendas non suffecerint, Nos sicut etiam alioqui ex officio nostro regio ad id tenemur, plures gentes dabimus, & mittemus, quarum praesidio, & Capitaneorum Nostrorum tam Generalis, quam supremorum auxilio, decima & proventus Episcopatus ipsius integre exigi, & percipi poterunt. Super quibus omnibus præmissis, per Nos & nostros omnino observandis eundem Dominum Episcopum assūcuramus, & certificamus in verbo nostro Regio, harum nostrarum vigore & testimonia litterarum. Datum Viennae XX. Die Mensis Decembris, anno MDXLVIII.

(a) Hoc anno ad Strigoniensem Cathedram traducitur.

(b) In easdem conditiones, in quas Olahus, cum Ferdinando Rege itidem convenit, ex Quinque-Ecclesiensi Sede ad Agriensem translatus. Datum Pragæ XXVIII. die mensis Decembris anno Domini MDLVII.

1568. Antonius.  
 1569. Antonius, (a) & eodem anno  
 1569. Stephanus II. Radetius, simul Cameræ Præfектus. (b)  
 1572. Stephanus.  
 1573. Stephanus.  
 1574. Stephanus, simul Locumtenens Regius. (c)  
 1576. Stephanus. (d)  
 1578. Stephanus.  
 1579. Stephanus.  
 1580. Stephanus.  
 1581. Stephanus.  
 1582. Stephanus.  
 1583. Stephanus.  
 1586. Vacat XXVII. Augosti.  
 1587. Vacat XXII. Decembris.  
 1593. Vacat XIX. Julii.

E e 2

1594.

(a) Eodem anno XVIII. Octobris ad Strigonensem Cathedram traductus.

(b) Reperio hunc fuisse Cibiniensem: an ex Transsilvania, aut contra Kis-Zebessensem Hungariae, non est proditum.

(c) Jubet ei Rex ratione Locumtenentis 2500. ratione autem pensonis Episcopatus Agriensis 3200. Postremum ratione Præfecturæ Cameræ 800. florenos persolvi.

(d) In Breviario Strigonensi a coeva manu hæc notata reperi.

1576. die 23. Martii Viennæ RR. Dominus Stephanus Radetius Locumtenens Regni Hungariae, & Episcopus Agriensis, sacrum solenniter peregit coram Imperatore Maximiliano, & Regnicolis, quo peracto Imperator, qui jam in Regem Poloniae electus fuit, Oratoribus Poloniæ super electione juramentum præstítit. Idque actum est in Monasterio Sancti Augustini prope arcem.

1594. Demetrius Naprágy. (a)
1595. Demetrius.
1596. Joannes III. Cherédy. (b)
1600. Stephanus III. Szuhay.
1602. Stephanus. (c)
1603. Stephanus.
1604. Stephanus.
1605. Stephanus.
1606. Stephanus.
1607. Stephanus. (d)
1608. Vacat VI. Decembris.
1609. Vacat X. Octobris.
1611. Vacat VII. Februarii.
1613. Vacat XXI. Januarii, & II. Maji.
1616. Joannes IV. Erdödy de Monyorokerék.
1617. Joannes.
1618. Joannes.
1622. Joannes.
1625. Joannes.
1625. Joannes V. Pyber XXV. Decembris ele-  
ctus.
1626. Joannes.

1627.

(a) Orator ad Sigismundum III. Poloniæ Regem pro auxiliis im-  
petrandis missus.

(b) Cum annua pensione 4000. Thalerorum.

(c) Simul Praefectus Cameræ Hungaricæ Posonii, & Administrator in  
Spiritualibus Strigoniensis Archiepiscopatus.

(d) Eodem anno V. Octobris Archiepiscopus Colocensis, & Admini-  
strator Episcopatus Nitriensis.

1627. Joannes.  
 1629. Joannes.  
 1630. Joannes.  
 1631. Joannes.  
 1633. Emericus II. Losy.  
 1635. Emericus.  
 1636. Emericus. (a)  
 1637. Emericus.  
 1637. Georgius I. Lippay de Zombor.

E e 3

1638.

(a) Hoc anno esum ovorum, ac laeticiniorum per suam Diœcesim jejuniorum tempore licitum esse promulgat, litteris in hæc verba vulgatis. *Emericus Losi Episcopus Agriensis, Comes perpetuus Comitatuum Her-  
ves, & exteriorum Szolnok, Sacrae Cæsareæ Majestatis Consiliarius  
Ec. Memoriæ commendamus per præsentes, quod cum Superioribus  
temporibus, in anno videlicet Domini MDCXI. sub regimine felicis  
recordationis Domini Francisci Forgach S. R. E. Presbyteri Cardi-  
nal is, ac Archiepiscopi Strigonensis, in provinciali Synodo Episcopo-  
rum, ac Prælatorum Regni Hungariae, unanimi voto constitutum  
fuisse, ut ob rationabiles causas in toto Regno Hungariae, Regnisque-  
ac Provinciis illi annexis, de permissione eius ovorum, ac laeticinio,  
rum temporibus jejuniorum S. D. N. Romano Pontifici supplicaretur;  
id in effectum deductum fuisse, ac ab eo tempore vigere in Hungaria  
esum ovorum, ac laeticiniorum temporibus jejuniorum. Quia in re  
exstat in nostra quoque Diœcesi Agriensi his verbis concepta, ac pu-  
blicata synodalis constitutio. Quoniam indultum laeticiniis, ovisque ve-  
scendi diebus jejuniorum supplicatione Concilii Provincialis pro tota Hungaria  
Regnisque illi annexis a Summo Pontifice impetratum est, nolumus  
alibi in nostra Diœcesi hac Agriensi in disputationem, controversiamque,  
venire an hic esum licitus sit. Si qui autem devotionem habuerint jejunandi  
absque esu laeticinorum, ac ovorum concessio, id fieri non vetatur, modo  
cum esu prædictorum jejunantes nou condementur, ac non contemnantur,  
ab iis, qui prædicto modo sine esu ovorum, ac laeticiniorum jejuna-  
re voluerint. - Datum Jassoviae die XVII. Decembris, anno  
MDCXXVI. Cur litteras has vulgaret Episcopus, in causa fuit Fra-  
ter aliquis de propaganda, qui Gyöngyösensibus persuasum imperite vo-  
lebat, esum hunc omnino non licere. Sed cum Frater hic in sua sententia  
perstaret, Episcopus nem omnem XX. Februar. sequentis anni ad D. Car-  
dinalem Antonium Barberinum Praefectum Sacrae Congregationis de propa-  
ganda prescribere necesse habuit.*

1638. Georgius.  
 1641. Georgius.  
 1643. Georgius II. Jakuffich de Orbova.  
 1646. Georgius.  
 1647. Georgius & eodem anno  
 1647. Benedictus Kisdy.  
 1649. Benedictus.  
 1650. Benedictus.  
 1651. Benedictus.  
 1655. Benedictus.  
 1659. Benedictus.  
 1660. Thomas V. Pálfy ab Erdöd.  
 1662. Thomas.  
 1665. Thomas.  
 1667. Thomas.  
 1668. Thomas.  
 1669. Thomas.  
 1670. Franciscus II. Szegedy.  
 1673. Franciscus.  
 1674. Franciscus.  
 1675. Georgius III. Barfonyi de Lovas-Berény.  
 1677. Georgius.  
 1678. Georgius, (a) & eodem anno  
 1678. Ferdinandus Pálfy ab Erdöd.  
 1679. Ferdinandus.

1680.

---

(a) Eodem anno XI. Januarii in Capitulo Scopulensi, quo instaurau-  
 dæ valetudinis causa concessérat, mortuus.

1680. Ferdinandus. (a)
1681. Vacat XXX. Decembris.
1682. Petrus Korompay.
1686. Petrus.
1688. Petrus, (b) & eodem anno
1688. Georgius IV. Fényessy.
1694. Georgius.
1698. Georgius.
1699. Stephanus IV. Telekessy.
1700. Stephanus.
1702. Stephanus.
1707. Stephanus (c)
1710. Stephanus.
1715. Stephanus, & eodem anno
1715. Gabriel II. Antonius Erdödy de Monyoro-kerék.
1723. Gabriel.
1726. Gabriel.
1727. Gabriel.
1741. Gabriel.
1744. Gabriel.
1750. Franciscus IV. e Comitibus Barkoczy de Szala.
1761. Carolus e Comitibus Eszterházy de Galantha.

EPI-

(a) Obiit XXX. Octobris ejusdem anni.

(b) Eodem anno ad Nitriensem Sedem traductus.

(c) In Manifesto Pauli Eszterházy Palatini, quo fideles Domui Austriae recensentur, incertum qua de causa, omisitus est.

## EPISCOPATUS QUINQUE-ECCLESIENSIS.

*A Divo Stephano Rege condit.* **Q**uinque-Ecclesiensem Episcopatum, qui non tenenda quondam portio Juvavensis fuisse videtur,

(a) amplioribus olim, quam hodie, limitibus porrectum fuisse, cum ex Fundationis Diplomate, tum aliorum Regum, qui terminos Episcopatus in ordinem redegere, litteris magis perspicuum est, quam ut dubitari possit. Ejus initia tametsi in illo constitudo Stephanus jam antea elaborasset, ad annum MIX. figuntur, quemadmodum litteræ Fundationis aperte testantur. Harum hic tenor est, (b) „ In dationis. „ nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis.

„ Ste-

(a) Patet id ex auctore de conversione Carantanorum, qui ante annum 82. Deodericum ab Arnone Juvavensi Archiepiscopo ordinatum narrat, quibus hæc subjungit: *Commendantesque illi Episcopo Regionem Carantanorum, & confines eorum occidentali parte Dravi Fluminis, usque dum Dravus fluit in amnem Danubii, ut potestate populum regeret sua prædicatione: qua parte omnino Quinque-Ecclesiæ erant, quas idem Autor paulum infra vocat Quinque-Basilicas, ubi tempore Luprammi Ecclesia dedicata fuerit. Hodiernam autem Urbem designari confit ex Privina Duce, cai is traxitus parebat, & ex Ecclesia in honorem Sancti Adriani erecta. In Præcepto itidem Arnulphi de Traisima legere est Quinque-Ecclesia, que non longe a Salapingen, que probabilius hodiernum Zalavár est, sejungitur.*

(b) Ex Translato authenticō Monasterii Simegiensis de anno 1404.

„ Stephanus Hungarie Rex &c. Noverint omnes Fi-  
„ deles nostri presentes scilicet, & futuri, qualiter  
„ nos cum consensu Sanctissimi Apostolici, & in pre-  
„ sentia ejus Nuncii Azonis, (c) Episcopi, & aliorum  
„ omnium nostrorum fidelium Episcoporum, Marchyo-  
„ num, Comitum, nec non minorumque personarum  
„ erectionem Episcopatus, qui vocabitur Quinque-  
„ Ecclesiensis, statuimus in honore Dei, & omnium  
„ Sanctorum, Boniperto ibi Episcopo facto, Privile-  
„ giis, terminisque ordinavimus, & confirmavimus.  
„ Primum terminum Zemogny viculum usque ad  
„ Thapeon vicum posuimus: Secundum Ozora; donec  
„ perveniat ad aliam aquam, que Lupa nuncupa-  
„ tur: Tertium Kopus usque ad Almas aquam: Quar-  
„ tum ut dicitur Kwarok, sicut incipiens a Danobyo  
„ super Zavum Fluvium terminatur, & ut hec nostra  
„ ingenuitas auctoritatis stabilis, & inconvulsa\* perma-  
„ neat, hanc cartam inde conscriptam figilli nostri im-  
„ pressione insigniri jussimus. Signum Stephani Regis  
„ Hungarie. Quos terminos si quis violare presum-  
„ pserit imposterum, componat centum libras auri  
„ optimi; medium Camere nostre, ac medium pre-  
„ fato Episcopatui, ac Rectori ejus, & ut plus Divi-  
„ ne ire occursum paveat, sciat se a Deo Patre &  
„ Fi-

---

(c) INCHOFFER male legit *Anonis* forte is fuerit, qui cum Africo Roma in Hungariam venerat.

„ Filio & Spiritu Sancto, & gloriofa Dei Genitrice  
 „ Maria, & a Sancto Petro Apostolo, in cuius honore  
 „ supra memoratus constructus est Episcopatus, per-  
 „ petuo Anathemate dampnandum, & ante Tribunal  
 „ Christi rationem redditurum. Datum X. Kalendas  
 „ Septembris. Indicione VII. Anno Domini mille-  
 „ simo nono. Pio Stephano regnante anno nono. A-  
 „ etum in Civitate Jauriana. (a) „

Vi-

(a) Cl. Godofredus SCHVARTZ in opere cui Titulus: *Initia Religio-  
 nis Christianæ inter Hungaros Ecclesie Orientali adscripta.* Hale  
*Magdeburgicæ Anno 1740. edito §. 57. pag. 63.* Diploma hoc suppo-  
 situm arguit, rationem in hac verba reddens. Nam cum ad calcem ejus  
 legitur: Actum in Civitate Jauriana: Novitium illud est. Gewr enim  
 ab Hungaris veteribus, vel quod celeberrimus Patriæ Historicus, vir  
 summe Rev. Math. Belius mavult, Geuru, & Geverinum scribebatur  
 nomen urbis, quæ Belæ demum IV. ætate latine scribi, ac dici cœpit  
 Jaurinum. Miror, doctum virum multa, quæ typis edita sunt, & con-  
 tra ejus opinionem faciunt, latuisse. Exteri, & domestici longissime ante  
 ætatem Belæ IV. Jaurinum, Javarinum, & ad hanc proxime accidente  
 nomenclatura latine scriperunt. Ex exteris ALOLDUS Sancto Stephano  
 coœvus ad Annum 1044. de Alberto Marchione ita ait: In Ungariam  
 penetrans apud Rabam Fluvium apud Jaurenk penitus debellavit  
 Ottonem. Rabam fluvium ab Urbe Jaurenk aperte distinguit, quæ non  
 alia est ab Jaurino. Gaufredus Malaterra Hist. Sicul. lib. 4. cap. 25.  
 apud Murator. Tom. V. Scriptor. rer. Italic. pag. 699. in Legatione pro  
 sponsa Colomanno Regi addicenda, memorat Episcopum Jorensem, qui  
 alias esse non potest a Jorensi, seu Jaurensi. Ex domesticis superant  
 Regum diplomata. In Belæ II. de anno 1138. habetur: Ex ore Pauli Epi-  
 scopi Jauriensis. Geysæ II. litteris anno 1141. apud Farlat. Tom. III.  
 Illyrici sacri pag. 174. ita subscriptus Jaurensis Episcopus. Ego Zachæus  
 Javar, laudo, & confirmo: quod idem valet, ac Jaurensis. In Belæ  
 III. Diplomate anni 1190. legitur Ugrinus Jaurensis Episcopus: &  
 anno 1197. in Notitia Hungariae apud BELIUM Tom. I. pag. 115. itidem  
 Ugrinus Jaurensis Episcopus: In Emerici Regis anni 1202. rursum  
 Ugrinus Jaurensis, quod in Andreæ II. Diplomatibus crebro etiam oc-  
 currit: Ut taceam Jacobum de Vitriaco Hist. Orient. libr. III. qui Jo-  
 rensem Episcopum Hungariae: & auctorem expeditionis Asiaticæ sub Fri-  
 derico Barboroffa, qui Javarensem Episcopum de Hungaria memorant,  
 quod non ab ludit a Jaurensi: Itaque ante ætatem Belæ IV. jam Jau-  
 rensis latine scribebatur, nec quidquam prudentis causa est, cur hoc Di-  
 ploma sublestum videatur.

Videtur Stephanus terminorum Episcopatus hujus descriptionem in Provincia Tolnensi, ut Timon observat, (a) inchoasse, in cuius finibus *Tape*, quod idem cum *Tapeon* esse suspicor, situm est. *Ozora* hodie Oppidum est ad ripam fluvii *Sio*, qui forte olim exundans lacum cognomine effecerit, (b) quod Divus Rex illo videtur indicare, cum ex *Ozora* ad aliam aquam, quæ *Lupa nuncupatur*, perveniri dicit, quo probabiliter reor confici, *Ozoræ*, quæ secundus terminus erat, nomine aquam itidem venire. Ubi autem *Lupa aqua* quærenda sit, non est exploratum. Si situs ratio habenda sit, opinor, rescribendum esse *Kupa*, facilis enim harum litterarum si veterem ductum spectes, conversio est, qui forte in hodierno fluviolo *Kopany* lateat. *Kopus* citra dubitationem fluvio, quem nunc *Kapos* dicimus, respondet, ut *Almas*, qui a Septentrione in Dravum se exonerat, amnem *Ol-mam*, ac, ut litteræ Andreæ II. habent, (c) Vesprimensem Episcopatum a Quinque-Ecclesiensi ab occasu sejungit, non male videtur exprimere. *Zemogni*, quod in litteris Divi Ladislai *Zemon*, ut puto, dicitur, si ex locorum positu *Földvarium* putem, vix

F f 2

aber-

(a) Imag. Nov. Hungar. cap. VIII. pag. 36. Edit. Vienn. 1754.

(b) Cl. FISCHERUS in sua Sibiria uotat *Ozoram* ex notione Russica lacum indicare, quod in Mappis Russicis crebro occurrit.(c) Super *Dravam* ex opposito Flavio Olma dicto, qui de parte Septentrionali in eundem *Drave* *Fluvium* cadens ab occasu solis Quinque-Ecclesiensem Ecclesiam a Vesprimensem Ecclesia metaliter dividit.

aberraro. *Kö-árók*, quod fossam lapideam valet, & Rex Ladislaus aquæ ductum compeilat, non male cum fossa Probi Imperatoris, quam in Syrmensi agro duxerat, congruere jam alias ostendi, (a) Ex his limites Dicecesanos Episcopatus Quinque-Ecclesiensis, quos ei Stephanus designarat, utcunque elicimus: Provincias nimirum Tolnensem, & Baranyensem, tum Comitatus Posseganum, ac Valkoviensem, nam quæ ad confluentem Savi, & Danubii sunt, aut ad Colocensem, vel Bacsiensem Episcopatum in principio videntur pertinuisse, aut alterutri horum serius deinde, dum is Archiepiscopatus prærogativa ab Ladislao ornatus est, tum adjecta videri possunt, cum limites condito ab se Episcopatuui Zagrabieni statueret, eosque a Quinque-Ecclesiensi secerneret. Ac de Possegana quidem & Valkoviensi provinciis fidem faciunt litteræ Andreæ II. in quibus diserte Possegam, & fluvium Volkam memorat. De Ladislao enim limites Dicecesanos dirimente scribens, ita ait: *cujus Sedis*, nempe Zagrabienis, *Dicecesim a Sede Quinque-Ecclesiensi etiam super Lysniczæ fluentum*, quod alio nomine *Volco* vocatur, terminavit. Abinde per Savam descendendo quidquid citra Save concludit flueius, ad Ius Diceesanum, & justam Decimam Quinque-Ecclesiensis Ecclesie commetatur: & ab illo fluente Lysniczæ totam circumiendo Posagam, & Quinque-Ecclesiensem Dicecesim

re-

---

(a) In Suppliem. ad annal. Hunnorum &c. pag. 84. & 85.

regyrando, revertitur directe ad metas, seu terminum supra Dravam ex opposito fluvii Olma dicto, qui de parte Septentrionali in eundem Dravæ fluvium cadens, ab occasu solis Quinqué-Ecclesiensem Ecclesiam a Vespri-  
mensi metaliter dividit, & sejungit.

Ad Kö-drok, seu Savum Fluvium, aliquid dein-  
ceps, ut limitibus Regni, sic Diœcesi etiam Quinque-Ecclesiensi, <sup>Olim rā-  
rīi. & am-  
pliores fue-  
re.</sup> sive per Græcos, sive Servios detra-  
ctum fuit. Nam regnante Andrea Rege, Rado Palati-  
nus, ducto, ut suspicor, in Græcos exercitu, eas  
partes recuperans, ut pristinos Regni limites instau-  
ravit, ita de suo etiam non modicum Quinque-Eccle-  
siensi Episcopatui adjecit, ut fidem faciunt ejusdem  
litteræ, quas hic ad illustrandum argumentum integras  
afferre, operæ precium putavi, (a) *In nomine Sanctæ  
Trinitatis, & individuae unitatis, notum sit omnibus  
Christo credentibus, presentibus scilicet, & futuris  
quomodo Ego Rado Palatinus licentia piissimi Regis  
Andreae, ejusque Fratris Adalberti, invictissimi Ducis,  
partem Possessionis meæ Sancto Petro Quinque-Ecclesi-  
ensi ordinavi, & Maurum ejusdem Loci Episcopum,  
spiritualem in Patrem adoptavi, sperans pro his cadu-  
cis, ac temporalibus Bonis in futuro centuplum acci-  
pere, & vitam æternam possidere: sed quidquid dedi in  
manu uxoris meæ Luciae, firmiter, ac laudabiliter fla-*

bilivi, ea quoque ratione, ut si ipsa supervixisset, testis  
hujus facti apud Deum, & homines extitisset. Quatuor  
aratores dedi in loco, qui vulgo dicitur mortis (a) sci-  
licet Pothior, Arishukupi, Kuethedy cum Uxoribus,  
& Filiis suis, & omni terra, quam ibi habui, dum lu-  
cem hujus vitæ colui: deinde ultra fluvium Kopos in  
villa, quæ dicitur Kava, (b) duos Vinitores dedi; no-  
men uni Koras, alteri Zomboir, cum Uxoribus, & Fi-  
liis, Vineisque suis, & terris, quas colunt: ad hoc  
juxta Danubium, villam integrum dedi Sancto Petro  
cum ipsis inscriptis famulis, Curumbizon, Sergys, Co-  
das, Turkon, Uzdychitlen, Suna, Sova, Hozugdy,  
Kakdy, cum Uxoribus, & filiis, & omnibus huic Ville  
pertinentiis, tam in Agris, quam in Pratis, Silvis, &  
in ceteris pascuis, in Arundinetis, & in Aquis, prout  
terminatum est a Patribus nostris antiquis, exceptis  
tribus pisatoribus, & uno Aratore. Illa tamen terra  
communitate, quæ uno colitur Aratro, & hæc dedi  
Sancto Benedicto: Ecclesiam autem, quam supra Dra-  
vam Fluvium in honore Sancti Michaelis Archangeli  
ædificavi, & hanc Sancto Petro, ac præfato Episcopo  
Mauro commendavi, ut inde semper in promitu Pres-  
byterum habuisset, qui die ac nocte ibidem debita officia  
Deo persolvisset: hanc cartam in eis petitionibus scri-  
ptam in testimonium adhibui, eisdemque Fratribus cun-  
Etis

(a) Aliis præplacet montis.

(b) Forte in hac lateat hodiernum Lanya trans fluvium Kapos.

Eis praesentibus super Altare Sancti Petri ea ratione posui, ut si quis ex posteris in eis eam violare temptasset, in die Iudicii rationem redditurus esset: omnes vero alias possessiones meas divisi Orfanis cognatis nostris cum Lucia Uxore mea, & quamdiu illa supervixerit, interim de illis vivat, & post suam mortem remaneant Orfanis nostris. Rogavi etiam Dominorum meorum glorioissimi Andreæ Regis, & optimi Ducis Adalberti ego Rado Palatinus, ut Monasterium meum Sancti Demetrii super Savam Fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota Provincia illa Sanctæ Coronæ rectificavi, & iterum aquisiui, quia illud Monasterium est in Parochia Sancti Petri Quinque-Ecclesiensis, sicut in Spiritualibus, ita etiam temporale dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod patronatum vocant, dedi etiam Sancto Petro Quinque-Ecclesiensi, & Patri nostro Episcopo Mauro, ubi etiam sepulturam volo, & commisi animæ sue, quod semper ibi post meam mortem memoria animæ meæ, & Uxoris meæ fiat; & voleui, quod curam ipsius Monasterii semper ipse Episcopus, vel post eum, qui fuerit, habeat, & curam omnium Ecclesie possessionum, seu Monasterii ipsius quidquid ubique per Regnum glorioissimorum Dominorum nostrorum ipsum Monasterium possidet, Episcopus Quinque-Ecclesiensis teneat. Ego autem Andreas Rex, & Frater meus Dux Adalbertus dilectus, quia audivimus, & scimus, quod ad animæ nostræ salutem est, si nos nostri

*nostris fidelibus Baronibus pro anima sua ordinantibus  
consentiamus, ideo Rado Palatino a nobis cum sua  
Uxore potentibus, prædictas ordinationes omnes suscep-  
imus, & fieri permisimus, sicut ipse Palatinus ordina-  
vit, & Sigillo Regali sigillavimus. Quicunque autem  
contrarium facere voluerit, seu attemptaverit, primo Deo  
Cœli, & glorioſissimæ ſue Genitrici, beatissimæ Virginī  
Mariæ, & beatissimo Petro Apostolorum Principi, &  
beato Demetrio Martyri obnoxius fiat: insuper pænæ  
centum librarum auri ſubjaceat; hujus pænæ medietas  
Regis Fisco inferatur, ac alia pars dimida Ecclesiæ bea-  
ti Petri ſine aliqua misericordia, & remiſſione perſol-  
vatur, maledictionem Omnipotentis Dei, & glorioſiſſi-  
mæ Virginis Mariæ Genitricis ejus, ac beati Demetrii  
Martyris incurraut, omnes nostri ſuccelfores Regiæ poſte-  
ritatis, omnes etiam Barones, qui in ſuo tempore Re-  
gis Iuſtitiam judicaverint, ſi ipſi non ſervaverint o-  
mnia, que hic conſcripta ſunt, & etiam ſi per alios  
homines non fecerint ſervari, Amen. Datum ſecundo  
Nonas Junii, Indiſtione X. Anno Incarnationis Domini  
Millesimo, Quinquagesimo Septimo, Regni nostri  
anno Duodecimo. Adiunctorum in Alba Regia in Congrega-  
tione Regni.*

Instauratis in hunc modum ad Savi ripam Dicē-  
ceſeos Quinque-Ecclesiensis limitibus, rurſum ſub La-  
diſlao Rege non nihil altercationis eadem de cauſa  
inter Colocenſem, & Quinque-Ecclesiensem Epifo-  
pos ortum eſt, cum ille in iſtius Jura temere, ac  
per vim involaret. Uterque litem apud Regem con-  
teſtatus eſt, qui cauſa in Judicium vocata ſententiam  
pro Quinque-Ecclesiensi tulit, cum iſpa æquitatis ra-  
tione perſuafus, tum quod Colocenſis errorem, niſi  
mavis, calumniam ſponte faffus, Regem æqui aman-  
tiffimum ad ita ferendam ſententiam adduxiſſet. Ex-  
ſtant hac de re litteræ in hæc verba exaratae, (a) „  
„ In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis.  
„ Quia non repellet Dominus Plebem, & Hæredita-  
„ tem ſuam non derelinquit, religioſum Regem La-  
„ diſlauum fuscitando, Pannonicum Regnum viſitavit  
„ (ut) vacillantem Eccleſiarum ſtatū ſolidare, dæ-  
„ monicamque faciem earundem exhilararet. (b)  
„ Nam poſt Sanctiſſimum Regem Stephanum, feliciſ  
„ vitæ finem, (c) obortis quorundam Regum domina-  
„ tionum eventibus, vacillabant, & ſingulares Privi-  
„ legii robore quæque earum privata debiliter titu-  
„ babat, ex quibus una Penthe Eccleſiaſticæ Sedis  
„ Eccleſia proprieſorum paſtorum illicita viſiſitudine  
„ fru-

(a) Ex memorato ſupra tranſumto Monafeſterii Simeghienſis.

(b) Autographum habet exhilararet.

(c) Reſcribendum ita eſſet: poſt Sanctiſſimi Regis Stephanī.

„ fructuata (a) turbatur, & eorundem longævi tem-  
 „ poris langore remissa, sive Diceceos ablatis ter-  
 „ minis ortabatur. (b) Unde prudentissimi viri Ste-  
 „ phani ejusdem Sedis Episcopi commota solers pro-  
 „ curatio in integrum restitui ipsa enisa est; ac fre-  
 „ quenti Jurisdictione apud prædictum Regem, &  
 „ apud Coepiscopos suos, cunctosque Regni Panno-  
 „ nici Optimates curiosissime usa est, cui cum nec  
 „ idoneorum testium responsione, nec privilegii  
 „ ostensione, nec possessi temporis usucaptione, nec  
 „ neglectæ appellationis taciturnitate digne obviam  
 „ itum est, nec qualibet arte cavillacionis provoca-  
 „ tum, cuncta quæsita convicta, confessa, & concessa  
 „ sunt. Colocensis namque Sedis Desiderius Episco-  
 „ pus, vi quadam in parte invasor (c) terminorum  
 „ ejus excitari potest, (d) varias exceptiones, repli-  
 „ cationes, religionis suæ fidem rogatus, veritatem  
 „ confessus est, & patefactæ calumpniæ indulgentiam  
 „ publice protestatus, (e) ab eodem Stephano Epi-  
 „ scopo prostratim deprecatus est: cujus confessionis  
 „ professionem ammoniti, & publica satisfactione,  
 „ pœnitentia contenti, primi ac Sanctissimi Regis Ste-  
 „ phani eidem Ecclesiæ concessorum instrumentorum  
 „ scrip-

(a) Malim legere: *fluctuata*.

(b) Rectius: *oriebatur*.

(c) Autographum habet: *Invasori*.

(d) Forte melius: *existimari*.

(e) In autographo est: *poteſtatus*.

„ scriptis, & sigillis edocti, in unam eandemque sententiam conducti, Rex praedictus, & omnes Optimates ejus; Stephanus quoque Metropolitanæ Urbis Archiepiscopus cum omnibus suffraganeis suis, (a) termini aquæ ductus, qui Kevarok dicitur, cum ceteris priori Privilegio insertis, scilicet Zemon, (b) Boerdy, Almady, in perpetuum possidendum dijuncti dicarunt. Cujus controversiæ executores Comites duo præsint; & Kazmer, Capellani Timotheus, & Laurentius, Ministri Regis Petrus, & Symon existentes supremam sententiam amministrarunt. Annno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, Epacta XX. Concurrentibus quinque, Indictione I. Dominicæ Resurrectionis, quinto decimo Kalendas Maji, Episcopatu Penthi Ecclesiasticæ Sedis, actorizantibus Episcopis Fabiano, Cosma, Stephano; Comitibus vero Spiguen, Grab, Gwth, Capellanis Stegiundi, Erdew, Sampson; Ministris autem Pethes, Sella, Constantino: Hoc privilegium a Timotheo Capellanorum ultimo scriptum, ac Ladislai Regis gloriosissimi Sigillo sigillatum est. „ Hunc finem lis Dicæsanorum limitum causa acceptit. Qua autem ratione serius postea ex Quinque-Ecclesiensi Dicæensi non modica pars ad Zagrabien-

G g 2

sem

(a) Nondum igitur hoc tempore Bachiensis Archiepiscopus suos Suffraganeos habuit.

(b) In litteris Sancti Stephani legitur Zemogny: contra Boerdy illic non reperitur, nisi id valeat Ozora.

sem, & Bosnensem Episcopatus pervenerit, vir pereruditus (*a*) docebit, qui de Episcopatu Quinque-Ecclesiensi prolixum, ac doctissimum opus hodierni Præfulis hortatu, jussuque congescit, quod ut publicam lucem quantocius videat, cum rei litterariae in primis causa, tum illustrandæ Patriæ gratia, valde opto.

*Prærogativa pallii  
Archiepiscopalis.*

Inter prærogativas Episcopatus ea præcipua est, quod illius Antistites Jure Pallii gaudeant. Primus omnium ex his Calanus fuit, qui illo decoratus est, quem ad annum 1190. Sedi huic jam præfuisse repetrio. Nondum proiectæ ætatis erat, cum a Pontifice pallio ornatus fuit, ut ex lite, quæ illi ob suspicionem incestus conflata erat, non obscure efficitur, quam Innocentius III. datis ad Chanadiensem Episcopum litteris, in hæc verba convellit. *Cum in juventute sua Venerabilis Frater Calanus Quinque-Ecclesiensis Episcopus adeo se maturum, honestum, & providum exhibuerit, ut propter suavem suæ probitatis odorem ab Ecclesia Romana meruerit ornamento Pallii decorari, non est de levi credendum, quod, postquam ad senilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fætores, ac fæditates libidinis amplexando, cum labes hu-*  
*jus-*

(*a*) Reverendissimus Dominus Josephus KOLLER in celeberrima Quinque-Ecclesiensi Academia sacrarum litterarum interpres, & Bibliothecæ Episcopali, librorum frequentia, raritate, & præstantia resertissimæ, prefectus.

*jusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentius expietur.* (a) Hæc Pontifex: vereor autem, ut hæc, quam memorat, causa tributi ab Sede Apostolica pallii fuerit, quod per idem tempus non deessent in Hungaria Antistites, qui morum probitate, ac rerum Sacrarum Scientia illi nihil concederent. Itaque rectius illi videntur existimare, qui ob res præclare gestas, totam enim Dalmatiam, & Croatiam jam sub Bela III. procurabat, aut, ut fere probabilius est, quod per idem tempus Patarenos late grassantes sua auctoritate in Dalmatia compresserat, Jus Pallii Calano tributum putant.

Fueritne autem hæc prærogativa soli Calano *Ex hac, controv-*  
*dulta, an contra ad successores etiam traducta, non sia in ter-*  
*est fatis exploratum, tametsi illud præ isto veri videa-*  
*tur esse similius. Anno enim MCCLXIII. ingens Metropoli-*  
*controversia inter Philippum Strigonensem Metropoli-*  
*litam, & Paulum Quinque-Ecclesiensem Episcopum*  
*fuscitata est, quod iste Jus pallii, & hoc titulo ab*  
*Archiepiscopi Jurisdictione se exemptum esse præte-*  
*xeret, ille contra authoritatem suam, & Jus Metro-*  
*politicum tueretur. Namquam vera controversiæ*  
*causa ab excommunicatione, qua Strigoniensis Quin-*  
*que-Ecclesiensem ob varios excessus perstrinxerat,*

(a) Ex lib. IV. Regest. Bullar. Innocentii III. fol. 98. Epist. 112.  
 Archivi Secreti Vaticani. *Datum Ferentini Nonis Julii, Pontificatus*  
*nostri anno IX.*

potius repetenda sit, cum hic se illa innodari ob Jus pallii minime pateretur. Exstat de hoc Instrumentum ab Nuncio Apostolico, & Episcopis suffraganeis confessum hujus tenoris. (a) Nos Georgius Divina miseratione Episcopus Fauriensis, de provincia Strigonensi, significamus omnibus litteras per praesentes: Quod cum Anno Domini MCCLXIII. Indictione VI. quarto die exequente Aprili, essemus apud Budam ad convocationem Magistri Angeli Clerici Capellæ Domini Papæ, & Nuncii ejusdem in partes Hungarie, & consideremus una cum prænominato Magistro Angelo, & Reverendo Archiepiscopo Strigonensi Domino Philippo Metropolitano nostro, ac Venerabilibus Patribus Lampetro Agriensi, Philippo Vacensi, Paulo Vesprimensi, & Vincentio Nitriensi Coepiscopis, & suffraganeis nostris: Sancti Martini de sacro Monte Pannonicæ, Sancti Benedicti de Varadino Sexardiensi, & Simigiensi Abbatibus, ordinis Sancti Benedicti, Quinque-Ecclesiensis, & consuffraganei nostri Episcopi Syrmiensis, & Transsilvanensis Episcoporum Procuratoribus, & quampluribus aliis Premonstratensis, & aliorum Ordinum Prælatis, Præpositis, Archidiaconis, & Plebanis in Ecclesia Præpositali, exhibitis nobis litteris, & mandato Apostolico, cum majoribus Prælatis secretius tractare, Strigonensi Archiepiscopo, & nobis, qui praesentes eramus, Episcopis omnibus, Procuratoribus Archiepiscoporum absentium, Abbatem

---

(a) Ex autographo.

bate Sancti Martini dumtaxat apud ipsum remanentibus, alii receperunt se in partem, & his se moventibus, & retrahentibus se seorsum, procuratores Episcopi Quinque-Ecclesiensis coram nobis dixerunt, quod ipsi - a consortio, Collegio, & consilio cum injuria, & ignomonia Domini sui excluderentur, quia idem Dominus eorum, licet non esset Archiepiscopus, pari tamen cum Archiepiscopis gaudebat prærogativa, ut pote exemptus & pallio decoratus. Quibus auditis Venerabilis Pater Archiepiscopus Strigoniensis proposuit protestando, quo cum verba Procuratorum Episcopi Quinque-Ecclesiensis essent blasphemiae, & intolerabiles injuriae, quibus Quinque-Ecclesiensis suo perverso more ipsum, Metropolitanum suum, & Ecclesiam Strigonensem, Dominam, & Magistrum suam, impudenter lacepsivit, non timens Deum, nec verens homines, quamvis idem Quinque-Ecclesiensis Episcopus pro suis manifestis excessibus jam dudum ab ipso esset excommunicatus, & denunciatus publice, non poterat, nec volebat conniventibus oculis pertransire, quo minus prosequatur, & requirat sibi, & Ecclesiae suæ - injurias irrogatas. Nos igitur ad instantem petitio- nem praedicti Venerabilis Archiepiscopi Strigoniensis super praedictis manifeste gestis, & habitis coram univer- sis Ecclesiarum Prælatis, & viris religiosis memoratis, ad convocationem prefati Magistri Angeli ibidem con- congregatis, & collectis, cum nec de justitia negare po- tuissimus, praesentes nostras litteras deditus sub Sigillo

*nostro authentico in testimonium, & rei memoriam Archiepiscopo supra dicto.* Quid porro eatenus factum, aut quem in modum lis utrinque composita sit, non habeo, quod dicam. Serius postea, & nisi fallor, superiore seculo, causa hæc iterum in quæstionem vocata est, (a) quo exitu, juxta cum aliis ignoro. Illud cer-

(a) Schediasma, incertum, quibus typis editum, quæstionem ita proponit: *An Episcopo Quinque-Ecclesiensi jus pallii competit?* „ ad quod respondetur probabilius negative. Ratio est, quia in jure nulli- „ bi est expressum, quod alicui hoc jus competit, præterquam Summo „ Pontifici, principalibus quatuor Patriarchis, nimirum Constantinopolita- „ no, Antiocheno, Alexandrino, Hierosolymitano, ac demum Archiepisco- „ pis. De Episcopis autem id solum habetur, quod ex peculiari Romani „ Pontificis beneficio quibusdam pallium conferatur, ut Ostiensi in ostiis „ Tiberinis, Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in „ Germania, & in cap. cum in juventute de præsumpt. habetur, collatum „ fuisse cuidam Episcopo Quinque-Ecclesiensi in Hungaria. At aliud est „ habere jus pallii, & aliud ex peculiari beneficio conferri pallium, ut „ per se notum est. Hinc patet, Episcopis non competitere jus pallii, nisi „ ex speciali privilegio, aut longa consuetudine, quorum neutrum probatur „ pro Episcopo Quinque-Ecclesiensi: non primum, quia cum privilegium „ sit stricti juris, nequit extendi ultra id, quod concessio significat, sed „ in cap. cum in juventute: solum hoc habetur, quod unus Episcopus pro- „ pter merita sua pallio decoratus fuerit. -- ergo hoc Privilegium, vel „ potius gratia, non potest ad ejus successores extendi: non etiam secun- „ dum; quia non legitur, ulli illius Episcopi successori collatum fuisse „ pallium: unde quamvis privilegium illud non uni solum fuisse persona collatum, per non usum tam longi temporis fuisse abrogatum. Videatur Azor „ Part. II. instit. moral. lib. III. cap. 34. Hostiensis in summa, tit. de „ authoritate, & usu pallii, qui de hac materia specialiter tractantes de „ prædicti Episcopis solum assertunt ex peculiari Romani Pontificis bene- „ ficio illis pallium tradi. Quamvis autem Pyrrhing. lib. I. tit. 8. §. 1. „ dicat etiam Episcopis ex speciali privilegio, aut longa consuetudine pal- „ lium a fede Apostolica mitti, aut tradi, ibique inter alios ponat Quin- „ que Ecclesiensem, nullo tamen fundamento nititur, nisi Testimonio cit. „ cap. cum in Juventute. Quod si bene inspiciatur, nihil significat aliud, „ quam uni Episcopo illius Diæcesis hoc beneficium factum esse, ut ipsa „ verba ostendunt. Accedit, quod idem affirmet, id distis Episcopis fi- „ eri ex Privilegio speciali, aut longa consuetudine, quod licet aliis qua- „ tuor Episcopis forte patrocinetur, non tamen Quinque Ecclesiensi, ut ex

certam; usum pallii (*a*) Archiepiscopalis ab eo, qui hodie Sedi Quinque-Ecclesiensi cum laude præest, bona Pontificis venia ita recuperatum, & instauratum esse, ut eadem deinceps prærogativa ad successores perenni jure transitura sit.

EPI.

„ ex dictis patet, neque verba Juris præferunt plus, quam beneficium  
 „ uni personæ factum, de consuetudine autem plane contrarium constat,  
 „ quam Pyrrhing solum videtur supponere, non habens experientiam, aut  
 „ notitiam consuetudinum Hungariae. Et tametsi moderni Archiepiscopi  
 „ Strigonensis honori cederet, si ejusdem suffraganeus Episcopus Quinque-  
 „ Ecclesiensis ex speciali sua Sanctitatis gratia pallio condecorari merere-  
 „ tur, nihilominus tamen, quia plurimi jam fuissent Episcopi Quinque-  
 „ Ecclesienses, qui usum pallii non habebant, ponderata profecto rationes  
 „ intercedere debuerunt, quarum intuitu tot jam Episcopi Quinque-Ecclesi-  
 „ ensis usu pallii destituebantur, fors ideo, quod idem Episcopi Quinque-  
 „ Ecclesienses specialiora erga suam sanctitatem, totamque Ecclesiam non  
 „ habuerint merita, quorum intuitu pallio condecorari meruissent, siqui-  
 „ dem pallium prouti raro, & ex speciali Sedis Apostolicæ gratia, ita  
 „ non nisi ob singularia, & extraordinaria merita Episcopis conferunt, ut  
 „ ex ipso cap. cum in juventute: patet, deinde etiam, ne Episcopus  
 „ Quinque-Ecclesiensis usum pallii obtinendo, a Metropolitano suo Strigo-  
 „ nensi Archiepiscopo per idem se eximere, aut inter consecratione senio-  
 „ res se Episcopos præcedentiam prætendat. Ponderatis itaque præmissis  
 „ rationibus & motivis sancta Congregatio Consistorialis sapientissime con-  
 „ cludere dignetur, an consultum sit, nec ne, modernum Dominum Episco-  
 „ pum Quinque-Ecclesiensem pallio condecorari.

(*a*) In propria Diœcesi, ut opinor. Alioquin Pazmanus Archiepi-  
 scopo Colocensi, qui Administrator Nitriensis Episcopatus erat, certos tan-  
 tum dies, quo uti pallio posset, indulxit. Fuit is Joannes Telegdi: Verba  
 Diplomatici Pazmani apud Peterfium Concilior. Part. II. pag. 222.  
 hac sunt. *Idcirco nos ex singulari, fraternoque affectu nostro erga*  
 - - *Illusterrimum Dominum Archiepiscopum Colocensem, & Bachien-*  
*sem pro Persona ipsius sine præjudicio successorum nostrorum, faculta-*  
*tem eidem concedimus, ut vita sua durante, in festis Nativitatis*  
*Christi Domini, Circumcisionis, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis*  
*Beatae Mariæ Virginis, ac Patroni Ecclesie Nitriensis, Archiepisco-*  
*pali pallio uti possit, ac valeat in ipsa Ecclesia Nitriensi - - Sellyæ*  
*8. Aprilis, anno Domini MDCXXV.*

E P I S C O P I  
Q U I N Q U E - E C C L E S I E N S E S .

<i>Annus Christi</i>	
1009.	Bonipertus.
1019.	Bonipertus.
1042.	Bonipertus. (a)
1057.	Maurus.
1093.	Stephanus.
1111.	Simon.
1113.	Simon.
1119.	Simon.
1120.	Simon.
1124.	Simon.
1133.	Simon. (b)
1138.	Macarius I.
1141.	Joannes I.
1145.	Anthimius.
1148.	Anthimius.
1156.	Anthimius.
1158.	Anthimius.

1163.

(a) Chronicon MS. Seculi XII. exeuntis ad laudatum annum hæc habet: *Bonipertus Episcopus obiit.* Forte idem Bonipertus fuerit.

(b) Hagecius Petrum Quinque-Ecclesiensem Episcopum locat ad annum 1134. Coimas autem Pragensis ad eundem annum nominat Petrum Albensem.

1163. Macarius II.  
 1166. Macarius.  
 1186. Macarius. (a)  
 1190. Calanus. Totam Dalmatiam, atque Croatiam  
     nobiliter procurans.  
 1193. Calanus.  
 1195. Calanus.  
 1198. Calanus.  
 1199. Calanus.  
 1201. Calanus.  
 1202. Calanus.  
 1204. Calanus.  
 1206. Calanus.  
 1207. Calanus.  
 1208. Calanus.  
 1209. Calanus.  
 1210. Calanus.  
 1211. Calanus.  
 1212. Calanus.  
 1215. Calanus.  
 1217. Calanus.  
 1218. Calanus. (b)

H h 2

1219.

(a) Cl. Mathias BELIUS disputans de Jobo, qui inter Nicolaum, Ugri-  
 num, seu Guilielnum Archiepiscopos Strigonienses locum ad annum 1188.  
 occupat, censet Jobum ex Quinque-Ecclesiensi Sede ad Strigoniensem tra-  
 ductum esse. At ego, qui id fieri potuerit, non video, nisi post Anthi-  
 um sedisset. Verum id certo documento eget. Itaque hujus defectu Jo-  
 bum ex serie censui omittendum.

(b) Sunt, qui duos Calanos statuant, qui sibi successerint, at nullum  
 documentum, quo id firment, adducunt. Nec annorum numerus etatem  
 unius Episcopi excedit.

1219. Bartholomæus.  
 1220. Bartholomæus.  
 1221. Bartholomæus.  
 1222. Bartholomæus.  
 1224. Bartholomæus.  
 1225. Bartholomæus. (a)  
 1228. Bartholomæus.  
 1229. Bartholomæus.  
 1230. Bartholomæus.  
 1231. Bartholomæus.  
 1233. Bartholomæus.  
 1234. Bartholomæus.  
 1238. Bartholomæus.  
 1241. Bartholomæus,  
 1242. Bartholomæus.  
 1243. Bartholomæus.  
 1244. Bartholomæus. (b)  
 1246. Bartholomæus.  
 1247. Bartholomæus.  
 1251. Achilles.

1252.

(a) Sub hoc primum Pantinis cœnobium in Hungaria conditur, ut  
 habet Raufcherus in Annalibus ordinis. *Voti*, inquit: *compotes disperjós*  
*(Eremitas) congregare, eisque Monasterium, & Ecclesiam sub titulo*  
*Sancti Jacobi in Patach exstruere, paupertati eorum annuis redditu-*  
*bis obviare, regulam communem praescribere, omnemque caput move-*  
*re lapidem, quatenus cum vita communi privatam illam inter pre-*  
*ces, & labores manuum olim traductam continuarent. Atque hoc pri-*  
*num est ordinis nostri Monasterium, sub glorioissimo Rege Hungaria*  
*Andrea II. in Territorio Quinque-Ecclesiensi a Bartholomæo ejusdem*  
*Ecclesie Episcopo anno partæ salutis 1225. exstrutum.*

(b) In diplomate hujus anni subscriptus est hoc titulo: *electus*  
*Agrienensis.*

1252. Achilles.  
 1256. Paulus I.  
 1263. Paulus.  
 1265. Paulus.  
 1268. Job.  
 1271. Job.  
 1272. Job.  
 1273. Job.  
 1274. Job.  
 1275. Job.  
 1276. Job.  
 1277. Job.  
 1279. Job.  
 1287. Paulus II. (a)  
 1290. Paulus.  
 1294. Paulus.  
 1295. Paulus.  
 1297. Paulus.  
 1304. Demetrius.  
 1308. Petrus I.  
 1309. Petrus.  
 1315. Ladislaus I. (b)  
 1317. Ladislaus.

H h 3

1318.

(a) In donatione Ladislai Chuni facta cuidam nomine *Duro*, legitur subscriptus hoc modo: *Prepositus Strigoniensis, Legum Doctor, & Administrator Episcopatus Quinque-Ecclesiensis.*

(b) In litteris Thomæ Archiepiscopi Strigoniensis Lippæ calend Augusti datis, ut sequente anno in ejusdem Archiepiscopi in Zugudino datis.

1318. Ladislaus.  
 1320. Ladislaus.  
 1322. Ladislaus.  
 1323. Ladislaus.  
 1324. Ladislaus.  
 1325. Ladislaus.  
 1326. Ladislaus.  
 1327. Ladislaus.  
 1328. Ladislaus.  
 1329. Ladislaus.  
 1330. Ladislaus.  
 1333. Ladislaus.  
 1334. Ladislaus.  
 1335. Ladislaus.  
 1336. Ladislaus.  
 1338. Ladislaus.  
 1342. Ladislaus.  
 1345. Ladislaus.  
 1346. Vacat mense Aprili.  
 1347. Nicolaus. I.  
 1349. Nicolaus.  
 1350. Nicolaus.  
 1351. Nicolaus.  
 1353. Nicolaus.  
 1354. Nicolaus.  
 1355. Nicolaus.  
 1356. Nicolaus.

1358. Nicolaus.  
 1359. Nicolaus.  
 1360. Nicolaus. (a)  
 1361. Vilhelmus Hamer. (b)  
 1362. Vilhelmus.  
 1364. Vilhelmus.  
 1365. Vilhelmus.  
 1366. Vilhelmus.  
 1367. Vilhelmus Comes Capellæ regiæ, Secretarius  
       Cancellarius, & Consiliarius. (c)  
 1368. Vilhelmus.  
 1369. Vilhelmus.  
 1370. Vilhelmus.  
 1378. Valentinus Decretorum Doctor. (d)  
 1379. Valentinus Cardinalis. (e)  
 1380. Valentinus. Tit. S. Sabinæ Cardinalis.

1381.

(a) Eodem anno in die Sancti Jacobi legitur jam, *Wilhelmus Praepositus Agriensis Comes Capellæ Regiæ, Cancellarius, & postulatus Quinque-Ecclesiensis.*

(b) In diplomate hujus anni, quo statuuntur Eremitæ Sancti Augustini in *Papocz & Hüssypach*. Alias etiam *Vilermus* scribitur.

(c) Sub hoc Urbani V. anno quinto, hoc est, eodem anno 1367. ab Ludovico Rege studium generale Quinque-Ecclesiis fundatum, quod usque ad cladem Mohaciensem duravit.

(d) Ad hunc annum invenio hoc epigrammate notatum: *Comes Capellæ Regiæ, Secretarius Cancellarius, & Consiliarius.*

(e) Ita TIMON censet, additique in hæc verba: *Jam senex, & grandævus creato Gregorio XII. in Italianum venit, ut unitatem in Ecclesia Catholica pernicioſo, & diuturno schismate sublato persuaderet. Florentiæ honestissime suscepitus, inde Senas, ubi Gregorius tunc erat, cum magna Nobilium Hungarorum manu accessit. Ceterum cum contigisset illum gravi ægritudine corripi, cognito, quod Pontifex*

1381. Valentinus.  
 1382. Valentinus.  
 1383. Valentinus.  
 1384. Valentinus.  
 1388. Valentinus.  
 1389. Valentinus.  
 1391. Valentinus. (d)  
 1393. Valentinus.  
 1394. Valentinus.  
 1395. Valentinus.  
 1397. Valentinus.  
 1399. Valentinus.  
 1401. Valentinus.  
 1404. Valentinus.  
 1405. Valentinus.  
 1407. Valentinus.  
 1408. Valentinus. (a)  
 1409. Vacat X. Calend. Martii.  
 1410. Vacat IV. Calend. Aprilis.

1411.

*sex, & alii, tamquam brevi morituri facultatibus inhiarent, indignatus haec verba dixisse fertur: vere nec me, nec mea bona habebitis: nec mora, Letticæ impositus, nulla a Pontifice licentia petita, quamquam prædura hyeme, Venetias se deferri curavit, & non longe post in patriam perveniens rebus humanis eximitur.*

(f) Visitur hodie etiam ejus statua in Cathedrali templo cum hac inscriptione. *Reverendissimus Pater Dominus Valentinus tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis (hic luxatum Marmor est) obiit anno MCCCCVIII. Abest titulus Eminentissimi, qui Spondano teste primum anno 1630. per Urbanum Pontificem Consistoriali Decreto Cardinalibus ob dignitatis Eminentiam, item Ecclesiasticis sacri Romani Imperii Electoribus, tum denique Magistro Hospitalis Jerosolymitani tributus est.*

1411. Joannes II. (a)  
 1412. Joannes.  
 1413. Joannes.  
 1414. Joannes.  
 1415. Joannes.  
 1418. Joannes.  
 1419. Joannes.  
 1420. Joannes.  
 1423. Henricus. (b)  
 1424. Henricus.  
 1426. Henricus.  
 1427. Henricus.  
 1429. Henricus.  
 1430. Henricus.  
 1434. Henricus.  
 1435. Henricus.  
 1436. Henricus. (c)

1447.

---

(a) Pridie Idus Julii. Etiam Rudolphi nomen gessit, & prædicatum *de Han*, ex Ordine Sancti Benedicti.

(b) VI. Idus Maji cognomento *Cirkel* natione, ut fertur, Svevus, quem aliqui deserto ad annum 1415. Episcopatu in Bebenhausano Cænobio consennisse male scribunt.

(c) Præter Cathedram Ecclesiam videtur in Castro Quinque-Ecclesiensi etiam Collegiata fuisse, ut appareat ex autographis litteris Laurentii de Hedervara Palatini de anno 1438. in quibus litteras reambulatorias, ut ajunt, refert. In his hæc reperio: nostrum hominem, videlicet Magistrum Benedictum Subcustodem Ecclesiæ, ac Canonicum Ecclesiæ Beati Jonnisi Baptiste in Castro Quinque-Ecclesiensi fundatae &c.

1447. Andreas I. (a)  
 1453. Nicolaus II.  
 1459. Nicolaus.  
 1462. Joannes III. (b)  
 1463. Joannes.  
 1464. Joannes.  
 1465. Joannes.  
 1466. Joannes.  
 1467. Joannes.  
 1468. Joannes.  
 1469. Joannes.  
 1470. Joannes.  
 1471. Joannes.  
 1475. Sigismundus I. Ernust de Chaktornya. (c)  
 1476. Sigismundus. (d)  
 1477. Sigismundus.  
 1479. Sigismundus.  
 1480. Sigismundus.  
 1481. Sigismundus.  
 1483. Sigismundus.  
 1484. Sigismundus.  
 1486. Sigismundus.

1687.

(a) Feria IV. proxima post festum Exaltationis sancte Crucis.

(b) Hic ille est, qui sub Jani Pannonii nomine inclaruit, Vir doctissimus, &amp; in Poeticis ævo suo facile Princeps.

(c) Aliis *de Hampo* etiam dicitur. Nescio autem, unde Tubero accepit lib. 4. *Chanzares* dictum fuisse.

(d) Sub hoc Georgius Praepositus Quinque-Ecclesiensis fuit Regni Thesaurariorum.

1487. Sigismundus.  
 1489. Sigismundus.  
 1490. Sigismundus.  
 1492. Sigismundus.  
 1493. Sigismundus.  
 1494. Sigismundus. (a)  
 1495. Sigismundus.  
 1498. Sigismundus.  
 1499. Sigismundus.  
 1500. Sigismundus.  
 1501. Sigismundus.  
 1504. Sigismundus. (b)  
 1505. Vacat XIII. Octobris.  
 1506. Georgius I. Szakmary. (c)  
 1508. Georgius Secretarius Cancellarius.

I i 2

1511.

(a) Hoc, & sequente Thesaurarius Regius, ac repetundarum damnatus,  
 nec prius ex custodia dimisius, quam 40000. Aureorum persolvisset.

(b) Fertur ad muniendum Sabacium, & Taurunum 10000. Aureorum  
 legasse.

(c) Laudes hujus ab Ursino Velio concinnatas alibi jam memoravi.  
 Consentit Stephanus Taurinus lib. V. Stauromachia ita canens.

- - - *Insignis Praeful Quinque-Ecclesiistarum,*  
*Sed male in Hexametro quadrant hæc nomina versu,*  
*Integer, & purus sceleris, cui maxima Regni*  
*Res curæ est, & cui sua Cancellaria curæ est,*  
*Vir probitate ingens, huic non consultior alter*  
*Rebus in ambiguis, fandi gnarissimus, illo*  
*Praefule nil usquam videas studiosius, illo*  
*Nemo minus solus, quam solus, quique diei*  
*Noctem operose addit multam, furatur & horus,*  
*Quies veterum evolvit, volvit monumenta novorum &c.*

1511. Georgius.  
 1513. Georgius.  
 1514. Georgius.  
 1515. Georgius.  
 1518. Georgius.  
 1524. Philippus More.  
 1525. Philippus.  
 1526. Philippus. (a)  
 1528. Georgius II. Sulyok. (b)  
 1539. Joannes IV. de Eszék. (c)  
 1543. Stanislaus Várally. (d)

1545.

(a) Ex Præposito Agriensi.

(b) Calendis Januarii a Ferdinandō Rege nominatus.

(c) Istvanfyo lib. IX. dicitur Saracenus, & homo profani ordinis, cui Zapolya Episcopatum contulit. Sub hoc, aut si quis alius ab Ferdinandō Rege constitutus Episcopus erat, Franciscus de Pesth Episcopus Epiphaniensis fuit Canonicus, & Suffraganeus Quinque-Ecclesiensis Episcopi, ac simul Commendatarius Parochialis Ecclesiae Pesthiensis, qui, si non alius sit ab homonymo Francisco Pesthieni, primus quatuor Evangelistas in Hungaricum traduxit.

(d) Magna illi conflata fuit invidia ob amissā Regni confinia. Itaque datis ad Thomam Nadasdium litteris se purgat. Litteræ ex autographo sic habent. „ Hesterna die relatum est mihi, nonnullos ex militibus, & servitoribus Magnifica Dominationis Vestre, qui nudius quartus huc Vesprimium venerant, dixisse, quod id quasi ex edito admissum esset, ut ubicunque locorum reperi possem, omnes res meæ libere in prædam converterentur, capiteque privarer, hujuscemodi sceleris patratores liberos, & immunes ubique esse futuros, illosque tantum lucri consecuturos, quantum facerent res meæ, quorum voluntati, & commissiori id concessum sit, cum maxima crudelitas sit, tam inconsiderate, & crudeliter Christiano sœvire in Christianum nil tale merentem. Certe quivis mirari debet, cum neque causam videam, me id demeruisse, ut ita præcipiti consilio extrema paterer. Nam & Regiæ Majestati Domino Nostro, & clementissimo, & huic Regno semper fideliter, & etiam ultra vires meas, ubi necessum erat, præsertim in confiniis hujus Regni infervire studui; amissio autem confiniorum certe mihi imputari non possit,

1545. Stanislaus.

I i 3

1548.

„ possit, sed illorum negligentia, quorum fidei commissa erant, ut omni  
 „ præsidio, & rebus necessariis munirentur. Ego, quantum in me fuit,  
 „ fæpe, & fæpissime, & Majestatem Regiam, Locumtenentem, universos-  
 „ que Regentes, & Consiliarios Sua Majestatis tum Viennæ, tum vero  
 „ Posonii constitutos, per plures Nuncios, & litteras crebras pro præsidio  
 „ firmo, primo tempore, demittendo solicitavi. Quid autem tot inter-  
 „ pellationibus, & supplicationibus consecutus fuerim, in propatulo est, &  
 „ magis Dominationi Vestrae plusque constat. Pater noster Adam come-  
 „ derat pomum prohibita arboris, peccatum illius agnus innocens, Domi-  
 „ nus, & Salvator noster portavit, & in se sustulit. Alii sunt in culpa,  
 „ de quibus nunc taceo, peccatum autem, & onus peccati in me unum,  
 „ ut video contundere volunt. Deus est in cœlis, qui cuncta videt, spe-  
 „ rantes in se non derelinquit. Ego quantum vires meæ valuerunt, egi  
 „ officium probi, & fidelis servitoris Sua Majestatis, appromtuavique me  
 „ omnibus, quibus opus erat contra hostem tam potentem. Sed quid ob-  
 „ stitit? præsidium toties promissum, quod semper sub bona spe pollice-  
 „ batur affuturum, videre non potuimus, & in hunc usque diem vix de-  
 „ missum fuisse manifestis indicis comprobari potest. Aliud autem est,  
 „ cum quivis cerneret nos esse destitutos præsidio, animo quasi desperato  
 „ omnes me dereliquerunt; ego vero contra hostem tam potentem in tam  
 „ magna, ampla, & vasta Civitate, Castroque satis magno, & ampio,  
 „ quid cum paucis meis peditibus valuisse, omnes fana mentis homines  
 „ judicare possunt, cum & alioquin universi Equites negabant se - - intra  
 „ parietes se permanuros, hostemque exspecta uros, quod & re ipsa pro-  
 „ barunt. Nam neque Turca viso ignominiose una cum peditibus, quos  
 „ neque precibus, neque etiam per intercessionem Dominorum Joannis  
 „ Paxy, & Joannis Alapy retinere potui, quibus omnia alimenta admini-  
 „ strari promittebam, se itineri commiserunt, prout id & Magnificæ  
 „ Dominationi Vestrae jam dudum bene constare arbitror. Nescio itaque  
 „ Magnifice Domine, pro quo scelere, & delicto demerui, ut & bona  
 „ mea paucula in prædam convertantur, vitaque mihi adimatur. Semper  
 „ mihi magna spes, & fiducia in M. D. V. sita fuit, prout cum adhuc  
 „ Quinque-Ecclesiis essem, eidem perscripseram; eam quippe & nunc ha-  
 „ beo, & quidem magnam, ut me in hac necessitate mea ferme extrema  
 „ non deserat, sed & auxilio, & confilio suo me foveat. Videtur qui-  
 „ dem mihi judicio meo, ut innocentiam meam apertius, & Nuncio, &  
 „ litteris Regiae Majestati declararem - - ut, si res ita postulaverit, judi-  
 „ cio mediante negotium meum discerni faceret. Malo enim potius mori,  
 „ quam cum dedecore vivere, cum & alioqui prost tot servitia mea, &  
 „ expensas, quas in muniendis, & conservandis Castris finitimiis feci, om-  
 „ nino jam defeci, & quasi mendicus effestus sim &c. Vesprimii XXVIII.  
 „ Julii, anno 1543. ,,

*Servitor deditissimus  
Quinque-Ecclesiensis.*

1548. Stanislaus. (a)
1549. Paulus. III. Gregoriancz.
1550. Georgius II. Tompa.
1554. Antonius Verancius simul Præpositus Por-nensis. (b)
1556. Antonius.
1557. Antonius, & eodem Anno
1557. Georgius III. Drascovich.
1558. Georgius. (c)
1559. Georgius.
1561. Georgius.

1563.

(a) Ejus Epitaphium prostat in Ecclesia Capituli Scepusiensis, ex-pressa initiali littera Nominis, & Episcopatus.

## S. Q.

*Summa petens virtus, humiles levat atque superbos,*

*Qui se contemnunt deprimit in vitiis.*

*Ecce Stanislaus virtute ascendit honores*

*Præfulis, et si humili Cibiniensis erat.*

*Regibus acceptus, quoniam jus novit utrumque,*

*Discordes gnarus conciliare viros.*

*Quid jurat in mundo titulos habuisse superbos?*

*Magnus eram, & modo sum pulvis, & umbra, cinis.*

*Orta cadunt, si quæ durant, veterata senescunt,*

*Sola manet Virtus, cætera mortis erunt.*

*Obiit anno MDXLVIII. XXI. die Aprilis. Fuit Cibinio in Hungaria, non item Transsilvania, oriundus.*

(b) A Statilio in Hungariam evocatus Sacerdotium in Transsilvania obtinuit. Primum Zapolyæ, & Isabellæ partibus studens, tum ad Ferdinandum transiens ad summos honores pervenit.

(c) Exstant litteræ Ferdinandi Regis Viennæ hoc anno die XXV. Aprilis datae de Decimis ad Arcem Zigeth pertinentibus, pro quibus ei-dem 300. florenos Rex persolvi jubet, sicut prius Antonio Verantio per-soluti erant.

1563. Georgius (a) & XIX. Novembris eodem anno  
 1563. Andreas II. Sbardelatus Dudych.  
 1564. Andreas. (b)  
 1565. Andreas. (c)  
 1567. Vacat I. Julii. (d)  
 1569. Joannes V. Monoszloy. (e)  
 1572. Joannes.  
 1573. Joannes.  
 1578. Joannes.  
 1579. Nicolaus III. Telegdi.

1580.

(a) Rediit sequente anno ex Concilio Tridentino, & Acta Concilii ex Epistolis ultro, citroque datis, ac redditis, ac in ordinem Chronologicum digestis conflavit, quod opus, quoniam dignum luce est, postea vulgabo. Opera, quæ doctissimus hic Episcopus compositus, Reverendissimus Dominus KERCHELICH Hist. Eccles. Zagrabien. pag. 258. diligenter recenset, sed omisit Lactantium in Hungaricum ab eodem traductum, & Viennæ 1561. editum.

(b) Jubet ei Ferdinandus pro Decimis 500. florenos solvi.

(c) Deserto Episcopatu in Poloniam concessit, ubi Nobilem pueram ex Gynecæo Regio ducens etiam secessionem a fide fecit. De hoc Theodorus Beza sic: *incertus animi, incertus ullius sestæ, & veræ Religionis, ut tamen Romanæ Fidei potiores deferret, si PP. & Conciliorum authoritas, si potestas in decidendis fidei controversiis requiratur.* Mater illi fuit Magdalena, qua post Filii defectionem extrema penuria premebatur, ut appareret ex litteris Maximiliani hujus tenoris. *Quæ sit ræstra demissa censura, atque opinio ad supplicem Magdalenæ Dudych de Svardellatis libellum, potentis sibi ob merita suorum provisionem conferri annuam - - benigne accepimus, - - remittere tamen nostræ gratiosæ voluntati, si illi aliquid e gratia singulari respectu filii sui, subsidii una vice conferri velimus &c.* Jubet illi 100. florenos pro anno solum 1569. non item pro aliis, solvi.

(d) In diplomate Maximiliani, quo confirmat Foundationem Seminarii Sancti Stephani Regis Tirnaviæ. Idem Maximilianus eodem anno die I. Novembris petit a Petro Orozthony Provisore quondam Episcopi Quinque-Ecclesiensis Catalogum bonorum, & proventuum Episcopatus.

(e) XIV. Maji nominatus, & XIX. confertur illi Administratio spiritualis Archiepiscopatus Strigonienlis cum Abbatii de Zalavar, & Kápornak.

1580. Nicolaus.  
 1582. Nicolaus.  
 1583. Nicolaus.  
 1586. Nicolaus. (a)  
 1587. Joannes VI. Kutaffy. (b)  
 1592. Joannes.  
 1593. Joannes VII. Cherédy. (c)  
 1596. Nicolaus IV. Zelniczey.  
 1598. Nicolaus V. Micatius. (d)  
 1600. Georgius IV. Szalatnaky.  
 1602. Georgius.  
 1603. Georgius.  
 1607. Vacat III. Maji.  
 1608. Franciscus I. Ergelius, (e) & eodem anno  
 1608. Petrus II. Demitrovich.  
 1609. Petrus.  
 1610. Petrus.  
 1611. Petrus. (f) & eodem anno

1611.

(a) Aprili Mensē mortuus, ut patet ex litteris Cameræ Posoniensis ad Ernestum Archiducem XXII. April. quibus eidem significat, Episcopum Quinque-Ecclesiensem obiisse.

(b) Simul Administrator in spiritualibus Archiepiscopatus Strigonensis, ut patet ex Ernesti Archiducis litteris ad Cameram XIV. Octobris. Cum sua Majestas Cæsarea & Regia Episcopatum Quinque-Ecclesiensem una cum administratione Archiepiscopatus Strigonensis Joanni Kutaffy -- contulerit &c.

(c) XIX. Julii.

(d) XVI. Aprilis ex Tininiensi, & III. Augusti eodem anno ad Varadiensem traductus.

(e) XIV. Decembris ad Vesprimiensem Sedem translatus.

(f) Ad Zagrabensem promotus.

1611. Joannes VIII. Pyber. (a)
1612. Joannes. (b)
1613. Joannes.
1615. Joannes.
1617. Joannes.
1621. Nicolaus VI. Dalos. (c)
1622. Thomas Balásfy, (d) simul Præpositus Posoniensis.
1624. Thomas.
1625. Paulus IV. David, (e) de Filistál, simul Præpositus Posoniensis, ac Abbas de Szkalka, & Ludán.
1626. Paulus.
1627. Paulus.
1628. Paulus. (f) & IV. Augusti eodem anno
1628. Georgius V. Draskovich. (g)
1629. Georgius.
1630. Georgius.
1631. Benedictus Vincovich. (h)

1635.

---

(a) XV. Julii ex Præpolitio Felheviziensi, & Canonicō Strigoniensi.

(b) Creatur hoc anno Consiliarius cum annuo stipendio.

(c) Instat XVII. Junii apud Regem pro salario Consiliaratus.

(d) In Armalibus Joannis Ondreiovics.

(e) XXVI. Martii.

(f) III. Julii nominatus Vacziensi.

(g) Simul Abbas Pornensis, ex Præposito Sancti Thomæ, & Canonicō Strigoniensi.

(h) Ex Præposito majore Zagrabiensi.

1635. Benedictus.  
 1636. Benedictus.  
 1637. Benedictus, (a) & XXI. Decembris eodem  
      anno  
 1637. Joannes IX. Cheh.  
 1638. Joannes.  
 1640. Stephanus II. Bosnyák.  
 1643. Albertus Czeglédy.  
 1646. Georgius VI. Szechény.  
 1647. Georgius.  
 1649. Paulus V. Hoffman.  
 1650. Paulus.  
 1651. Paulus.  
 1655. Paulus.  
 1659. Frater Joannes X. Salix. (b)  
 1662. Joannes.  
 1667. Joannes.  
 1668. Joannes XI. Gubassoczy. (c)  
 1669. Joannes.  
 1676. Joannes. (d)  
 1677. Paulus VI. Szechény.  
 1678. Paulus.  
 1681. Paulus.

1686.

(a) Ad Zagrabensem Episcopatum promotus.

(b) Ordinis Cisterciensis, Magister in Theologia.

(c) Ex armalibus Familiae Prusinszky.

(d) Faetus Vaciensis Episcopus.

1686. Paulus.  
 1688. Mathias Radonay.  
 1690. Mathias.  
 1694. Mathias.  
 1700. Mathias.  
 1703. Mathias. (a) & eodem anno  
 1703. Franciscus II. Comes de Nesselrode. (b)  
 1704. Franciscus. (c)  
 1707. Franciscus.  
 1715. Franciscus.  
 1723. Franciscus.  
 1729. Franciscus.  
 1732. Franciscus, & eodem anno  
 1732. Josephus Comes a Thurn. (d)  
 1733. Idem.  
 1735. Joannes XII. Alvarus Cyenfuegos Cardinalis.  
 1739. Sigismundus II. Comes Berényi. (e)  
 1751. Georgius VII. Klimo. (f)

K k 2

EPI-

(a) Obiit XXII. Aprilis.

(b) Sucedit XXIII. Maji.

(c) Hoc anno XXV. Martii duotoribus Ladislao Sandor, Zana, et Hellenprand cædes promiscue per Urbem patratæ sunt; præcipue autem in viros Ecclesiasticos, &amp; Religiosos foede savitum fuit.

(d) Nominatus XXVI. Maji.

(e) Die IV. Decembris.

(f) Nominatus XXX. Julii.





## EPISCOPATUS VESPRIMIENSIS.

*Episcopatus Vesprimiensis in cunabula.*

**E**odem anno, quo Quinque-Ecclesiensis, & Jaurinensis Episcopatus ab Stephano conditi sunt, Vesprimiensis itidem erectus est, quemadmodum ex situ opportunitate veri fit simillimum, & ex Tabulis foundationis prorsus exploratum est. Eæ sic habent. (a)

„ In nomine Sanctæ, & individuae Trinitatis, Amen.  
 „ Stephanus Dei gratia Hungarorum Rex. Si pietatis  
 „ magnitudinem non solum domesticis, verum etiam  
 „ advenientibus fidelibus digne postulata largimur,  
 „ præcipue convenit, ut animi culmen ad supernas  
 „ aspirantes devotiones, sanctorum Ecclesiarum postu-  
 „ lationibus acclinemus, ipsasque prædiis, atque pos-  
 „ sessionibus sublevando procurare flagitemus. Proin-  
 „ de omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostro-  
 „ rumque, præsentium scilicet, ac futurorum noverit  
 „ industria, quod nos pro animæ nostræ remedio qua-  
 „ tuor Civitates nempe Vesprim, in qua ipsius Epis-  
 „ copatus Sedes est constructa, atque Albam Civita-

„ tem

---

(a) Ex copia authentica.

„ tem, Colon, & Vissegrad Civitates, Sancti Michae-  
 „ lis Vesprimiensi subjicimus Ecclesiæ, cum omnibus  
 „ Ecclesiis, Capellis, atque titulis, seu terminis, ac  
 „ finibus: nec non concedimus, donamus, atque lar-  
 „ gimir e regali nutu, atque donatione prælibatae  
 „ Sanctæ Ecclesiæ Vesprimiensi villam unam nomine  
 „ Kany in Vesprimiensi Comitatu, in quo Episcopalis,  
 „ ut prædictum est, constructa est Sedes, atque tres  
 „ villas nomine Osi, Can, ac Beren in Comitatu Al-  
 „ bensi sitas, & Marczalfö, in Pago Colocensis Civi-  
 „ tatis unam villam, nec non in Comitatu Vissegra-  
 „ diensis Civitatis villam unam sitam super Danubium,  
 „ ex cuius dextro latere rivus, qui Aprug nuncupa-  
 „ tur, discurrit, pariterque villam unam Tiley nomi-  
 „ ne, sitam in comparte Urhida Civitatis, (a) cum  
 „ omnibus utensilibus, cunctisque pertinentiis, scili-  
 „ cet famulis, famulabusque, pratis, vineis, areis, æ-  
 „ dificiis, campis, terris, agris cultis, & incultis,  
 „ punctionibus, venationibus, aquis, aquarumque de-  
 „ cursibus, molendinis, viis, & inviis, tum exitibus,  
 „ ut habeat firmitatem perpetuam, sicut est donatum,  
 „ possidendorum. Habeat etiam prælibata Sancti Mi-  
 „ chaelis Vesprimiensis Ecclesia, quam (b) Stepha-  
 „ nus regit Episcopus, prædictarum Civitatum, atque

K k 3

vil-

(a) Nunc ejus nullum vestigium exstat. Mons solum ejusdem nominis non procul Alba Regia vineis consitus supereft.

(b) Alii legunt: Stephanus Sanctissimus: quod ego scribare potius, quam Regis errorum interpretor.

„ villarum, ut prædiximus, potestate habendi, at  
 „ que usque in perpetuum possidendi, nec non præli-  
 „ bato Stephano Episcopo, cuius ipsa est regimini  
 „ commissa, suisque successoribus perpetuo subjiciendi  
 „ omnium hominum contradictione funditus remota.  
 „ Regali denique jubemus potestate, ut nullus Dux,  
 „ Marchio, Comes, Episcopus, Archiepiscopus, Vi-  
 „ ce-Comes, Judex, vel Exactor, aut aliqua magna  
 „ persona, vel parva Regni nostri audeat contra sta-  
 „ tuere prænominatae Sancti Michaelis Vesprimiensi  
 „ Ecclesiæ, aut subripere de omnibus rebus suis  
 „ mobilibus, vel immobilibus, quæsitis, vel aquiren-  
 „ dis, cum omnibus, illi in prælocutis Civitatibus,  
 „ earumque pertinentiis, & juribus, nec non villis  
 „ pertinentibus, vel in aliquibus locis subjiciuntur,  
 „ aut Stephano illius Sanctæ Vesprimiensis Ecclesiæ  
 „ Episcopo, & successoribus aliquid molestiæ inferre præ-  
 „ sumat. Si quis igitur hujus nostri præcepti pagi-  
 „ nam frangere tentaverit, aut prælibatae Sancti Mi-  
 „ chaelis Vesprimiensis Ecclesiæ Stephanum, Almifi-  
 „ cum Episcopum, suosque successores ex cunctis  
 „ prænotatis rebus, Ecclesiis, nec non dotibus mole-  
 „ stare conaverit, octo millia librarum auri (a) cocti  
 „ sciat

---

(a) Numerus hic errore scribentis probabiliter exanctus est. PETER-  
FYUS 800. Libras substituit: sed id quoque permultum est, si cum pœnis,  
quas Stephanus in aliis litteris exprimit, comparetur. In fundationali-  
bus litteris Episcopatus Quinque-Ecclesiensis 100. libra exprimuntur: 50  
in

„ sciat se compositurum : medietatem Cameræ nostræ,  
 „ & medietatem prælocutæ Sancti Michaelis Vespri-  
 „ miensi Ecclesiæ, nec non celebri Episcopo, suisque  
 „ successoribus, trecentorumque, & octo Patrum ana-  
 „ themate ferendum, atque perpetuali supplicio pu-  
 „ niendum, jugiterque barathri poena perpetuo concre-  
 „ mandum. Quod ut verius credatur, diligenterque  
 „ ab omnibus observetur, paginam hanc manu propria  
 „ corroborantes annuli nostri impressione subter con-  
 „ signari curavimus. Datum in Soly, apud Capellam  
 „ Beati Stephani Proto-Martyris anno ab Incarnatio-  
 „ ne Domini millesimo nono.

Ex his liquet, Diœcesim Vesprimensem univer- *Diœcesis*  
 se conflari, ex Simeghiensi, Szaladiensi, Albensi, *ambitus.*  
 Vesprimensi, & Pilisiensi provinciis, ita ut ab ortu  
 per fluvium Olmam a Quinque-Ecclesiensi Episcopatu  
 dirimatur. Video id mirifice confirmari per conscrip-  
 tionem Decimæ Pontificiae anni MCCCXXXII. in  
 qua numerantur Archidiaconatus Vesprimensis, in quo  
 XXXIII. Budensis, in quo XXIX. Albensis in quo  
 LXI. Simeghensis in quo CXXX. Szaladiensis, in quo  
 XCIII. & Segusdiensis, in quo CXLVI. parœciæ in  
 censum venere, præter Vicariatum Tholpulensem,  
 in quo distinctum a Vesprimensi Capitulum cum Præ-

---

„ po-  
 in Tabulis fundationis Abbatiaæ Sancti Adriani de Zala ; rursus 100. in  
 Fundationalibus Sancti Martini montis Pannoniae & 20. Marcæ Auri in  
 litteris fundatæ Abbatiaæ in Bakon Bel &c.

posito de Han (*a*) fuisse conjicio ex solutione *Martini Canonici de Han*, & loci ejusdem Præpositi; quorum iste duas argenti marcas, ille duas pensas Jacobo Berengario, & Raymundo de Bonofato, Collectoribus Decimæ Pontificiæ pendere debebant. Ex eadem collectione suspicio mihi oboritur, Diœcesim Vesprimensem latius olim, quam hodie porrecta sit, pertinuisse; quod Abbas de Sancta Cruce, qui alias ab eo, qui ad Muram est, vix fuerit, unam marcam parvorum Grossorum titulo Vesprimiensis Dioceſeos perſoluerit, cum hodie tamen eadem Abbatia ad Jurisdictionem Zagrabiensis Ecclesiæ ſpectet. Sed hæc acuratiuſ investigare aliorum, non meum eſt.

*Auctarium  
a D. Ladis-  
lao adjici-  
tur.*

Ceterum inſignes ad Ecclesiam Vesprimensem accessiones a Divo Ladislao factas eſſe, ex instrumento, quo dotem Templi auget, nullo negotio intelligitur, quod eti prolixum fit, integrum tamen de promere statui, cum propterea, quod nondum in lucem editum eſt, tum quia Fundationis Tabulas haud mediocriter illustrat, nec quidquam propter obſoleta jam nomina periculi eſt, ut cuiquam lis conficiatur. Id in hæc verba habet. (*b*)

„ La-

(*a*) Cenſetur itthic etiam Præpofitus de Mik, & Abbates de Belkin & de Chiunco,

(*b*) Ex copia authentica.

„ Ladislaus Dei Gratia Hungarorum Rex, Belæ <sup>Uter ex ejus</sup>  
 „ Regis filius, (b) omnibus Christo devotis quicunque <sup>litteris pa-</sup>  
 „ sunt, & erunt in sempiternum, salutem in Filio  
 „ Dei gloriosam. Notum fiat universis, quod Vene-  
 „ rabilis pater Jahannes, Præful Sedis de Besprem  
 „ cum duobus Canonicis suis, scilicet cum Stephano  
 „ Archidiacono, & cum Ondurnik Decano, venit ad  
 „ nos, & postulavit coram Jobagionibus nostris a no-  
 „ bis, quod nos pro remedio animæ nostræ mittere-  
 „ mus tales nuncios nostros, qui omnes terras, & pos-  
 „ ssessiones Ecclesiæ Sancti Michaëlis de Besprem  
 „ circuissent, & scirent bene, & dicerent nobis, &  
 „ nos postea faceremus ad litteras nostras, ut semper  
 „ Ecclesia teneret, & possideret. Nos enim pro Beato  
 „ Michaele, quia nobis fuit adjutor in multis causis  
 „ Regni, destinavimus Barnabam Notarium nostrum  
 „ cum Sug Comite de Bukon, qui iverunt, & peram-  
 „ bulaverunt, & sicut invenerunt, nobis in pagina  
 „ sua mandaverunt, & nos fecimus huc scribi omnia  
 „ recte coram nostris Jobagionibus, cujus paginæ for-  
 „ ma talis fuit.

„ Cir-

---

(a) Hanc formulam in aliquot ante Ladislamm, & post hunc diplo-  
 matibus reperio fere ad ætatem Belæ III. qui eamdem in Sigillis maluit,  
 quam in litteris adhibere. Quem morem reliqui deinceps Reges usurpa-  
 bant non demto etiam Ottone Bavarо: quin Reginæ etiam suum in Sigil-  
 lis genus expressere, quoad Carolus Robertus constitutinem hanc, ut puto,  
 prætermittendam censeret. Qua de re in opere de Sigillis Regum & Regni  
 Hungariae, nam id quoque, cum interregnum esset, suo utebatur, latius com-  
 mentabor, expressis etiam, si impensæ non defuerint, Sigillorum inconismis.

„ Circa Basilicam Sancti Michaëlis prima meta  
 „ ponitur juxta molendinum Thomæ ultra aquam;  
 „ secunda juxta Basilicam Sanctæ Margarethæ; ter-  
 „ tia juxta silvam nomine Ziman: dehinc venitur ad  
 „ magnum lapidem, & transeundo ad silvam Beau in-  
 „ sidet ad levam partem, dehinc venitur ad locum,  
 „ qui dicitur Kristtyeg: ex hinc ad magnam viam,  
 „ quæ adjacet protensa versus Albam, & descendit  
 „ ad locum, qui dicitur Puteus Leprosorum: dein-  
 „ de ad monticulos descendens transit ad molendinum  
 „ Mysca, & ad superficiem rupium in longitudine.  
 „ Deinde ad pratum Abbatis, transitoque flumine po-  
 „ nitur meta juxta villam Thoseas, & venitur ad  
 „ Domum Petri, & Dominici, infra quos nemo habet  
 „ quidquam Juris, nisi Ecclesia.

„ Exceptis his habet Ecclesia inter terram Vd-  
 „ varnicorum, & suburbanorum terram ad octo  
 „ aratra, (a) & novem prata: habet quoque Jobagio-  
 „ nes multos valde; habet etiam Ecclesia sex molen-  
 „ dina, & quatuor loca vacua. In villa Juthos ha-  
 „ bet Ecclesia terram ad unum aratrum, & undecim  
 „ prata; unum cubicularium nomine Mona cum curru;  
 „ alium vero nomine Paulum sine curru, & unum  
 „ molendinum. Item in prædio Mester habet Ecclesia  
 ter-

---

(a) Incertum cuius mensuræ. Nam Regiæ mensuræ aratrum ex Le-  
ge continet 150. Jugera.

„ terram ad sex aratra, & currigeros multos in ea-  
 „ dem, ac alios servitores. In villa Endesed habet  
 „ Ecclesia terram in duobus locis circumquaque mu-  
 „ nitam Regalibus signis: in loco, qui dicitur Seseu,  
 „ habet Ecclesia silvam fine participatione cujuspiam,  
 „ quam circuit via directa a villa Chatar usque ad  
 „ villam Meneca, & villam Endred, & revertitur ad  
 „ Chatar, excepta terra aratoria infra aquam secus  
 „ silvam. In villa Faisch habet Ecclesia terram sa-  
 „ tis magnam, signatamque circumquaque, & silvam  
 „ nomine Sonloma: habet currigeros, Jobagiones Præ-  
 „ positales, & præter hoc terram in quatuor locis.

„ In libera villa Sancti Regis (a) habet etiam  
 „ terram ad unum aratrum cum servitoribus. In villa  
 „ Ursi habet Ecclesia silvam, & terram magnam  
 „ communiter, habet pulsatores, & etiam vinitores.  
 „ In villa Bereny habet Ecclesia terram ad tria ara-  
 „ tra, duas vineas, silvam bonam, piscaturas in Ba-  
 „ laton, (b) conditionarios, & ancillas valde plures.

L 1 2

„ In

(a) Nunc Szent Kírily-Szabadgja, ad alterum a Vesprimio lapidem.

(b) Monitus sum ab amico per litteras, nomen *Balaton* esse origi-  
 nis Slavicæ, quibus etiamnum in nonnullis Bohemiae locis Lacus *Blata*  
 dicatur. Hujus vestigium exstat in litteris Regii, in quibus fundi Eccle-  
 sia Zagrabiensis censentur, in hæc verba: *Prima meta terra Blata,*  
*quam Endus contulit, incipit per Septemtrionem de fluvio, qui Ocro-*  
*gluch dicitur, & ille tendit in paludem, quæ dicitur Blata.* Id si va-  
 let, Hungari, qui vocibus, quæ a gemina consonante inchoant, vocalem  
 præponere, aut interjecere solent, facile ex *Blata*, primum *Balata* tum  
*Balaton* efformarint, etsi non dubitem primitus *Balatato* dictum, quod  
 postremum ex se se *Lacum* notat.

„ In alia Ursi habet Ecclesia terram ad unum aratrum, silvam communem, octo vineas, Jobagiones  
 „ conditionales, & ancillas. In prædio Berchen, quod  
 „ concessit Bela Rex magnus, prima meta ponitur in  
 „ portu Choas, exinde protenditur usque ad terram  
 „ Ecclesiæ de Sothar, de hinc ad terram Alan, &  
 „ ad metam Peremartony, & protenditur in magna  
 „ via usque ad fructus Berocum, & hinc usque ad  
 „ medium aquæ, & in eodem Prædio sunt vinitores,  
 „ custodesque silvarum, sex vineæ, & duo molendina.  
 „ In prædio nomine Peremarton habet Ecclesia ter-  
 „ ram, & pratum amplum nimis, sex vineas, septem  
 „ aratores, duo molendina, dimidiā partem de pon-  
 „ te, tres vinitores, quatuor currigeros, quinque  
 „ pastores, tres exequias facientes annuatim, & Jo-  
 „ bagiones multos, ac unum pulsatorem Senec nuncu-  
 „ patum. In villa Kalusdy habet Ecclesia terram ad  
 „ septem aratra, Jobagiones tres, ac servos duodecim,  
 „ ac ancillas. In Prædio Thusuk, prima meta poni-  
 „ tur in portu Beys, scilicet in via gregum, quæ du-  
 „ cit ad locum, qui dicitur Thusukteluch: dehinc ad  
 „ bifidum pyrum, dehinc ad montem Mama, deinde  
 „ ad quadruvium, quod est juxta metam Bercen, &  
 „ hinc ad terminos villæ Luafi; hinc venitur ad ar-  
 „ borem sorborum, & iterum ad primam viam, &  
 „ habet tres Jobagiones, septem Currigeros, & qua-  
 „ tuor pulsare debentes. In Prædio Betereg, quod  
     aliter

„ aliter Soyl nominatur, habet Ecclesia terram ad  
„ quatuor aratra, servos quinque, tres aratores,  
„ quatuor vinitores, novem Jobagiones, tria molen-  
„ dina, & unum vacuum locum molendini, prata  
„ etiam, atque silvam. In prædio Bosne habet Ec-  
„ clesia ex gratia Sancti Regis Stephani terram ad  
„ sex aratra, quam vulgus vocat Teleh, & in agre-  
„ sti terra communiter, & ibidem ex gratia Comitis  
„ Chucus terram ad unum aratrum, & ex gratia Co-  
„ mitis Phonsol terram ad unum aratrum, & ex gra-  
„ tia Elaus ad unum aratrum, & ex gratia Bula ad  
„ unum aratrum, duos aratores, tres servos, tri-  
„ ginta Currigeros, septem Artifices, & tredecim Jo-  
„ bagi vocatos. In Prædio scilicet nigra villa vocata  
„ habet Ecclesia terram magnam, & pratum multum  
„ fine participatione cujusquam, quæ circumquaque  
„ munita est regalibus metis, in qua sunt viginti ho-  
„ spites Jobagiones, quadraginta Currigeri, & sex  
„ pulsatores.

„ In prædio Morus habet Ecclesia tertiam par-  
„ tem tam in aratoria terra, quam in campestri, &  
„ in aquis, ac in ceteris cum villanis communiter,  
„ & præter hoc ex gratia Mathæi Episcopi terram  
„ ad unum aratrum, unum servum: ex gratia Comi-  
„ tis Pirthasii terram ad unum aratrum; tres servos,  
„ & quatuor ancillas, octo Currigeros, & quatuor Cu-

„ bicularios. Prædium Kezeöy (a) concessit Sanctus  
 „ Rex Stephanus, & est munitum regalibus signis, ubi  
 „ habet Ecclesia - - decem Hospites: Jobagi viginti  
 „ duos, Currigeros quinquaginta, Artifices sex, Co-  
 „ quos septem, Pastores tres, Cubicularios præpositales  
 „ duos, molendina tria, etiam prata, ac silvas in sep-  
 „ tem locis manifestis. In Prædio Poloprah, & Csopah,  
 „ habet Ecclesia terram ad sex aratra, vineas qua-  
 „ draginta sex, vinitores viginti duos, Jobagiones se-  
 „ decim; habet etiam pratum continens currus quadra-  
 „ ginta, vel plus; tria molendina, cubicularios quatuor,  
 „ & exequias dantes tres, Magistrales etiam vinitores  
 „ duo sunt. In Prædio iterato Bercen est vinea Præ-  
 „ positalis magna, cum vinitore uno nomine Kech, &  
 „ Ecclesia etiam habet ibi Magistram vineam cum vi-  
 „ nitore uno, nomine Terök. In villa Kis habet Ec-  
 „ clesia duas vineas, unum vinitorem nomine Petyr;  
 „ terram quadraginta jugerum; habet etiam Præposi-  
 „ tales vineam cum sedecim jugeribus terræ. In villa  
 „ Sceleus habet Ecclesia novem vineas, & septem vi-  
 „ nidores, terram unius aratri, ac silvam, ac pratum  
 „ communiter cum villanis. In villa Pechul habet Ec-  
 „ clesia terram ad duo aratra, decem, & septem vi-  
 „ neas, septem jobagiones, quinque servos, duos Fa-  
 „ bros, tres cubicularios, pratum, & silvam communi-  
     ter

---

(a) Hodie probabiliter *Pap-Kesz*, non longe a *Pere Marton*, qua  
ad *Zir-Berény* aditus est.

„ ter cum villanis. In villa Kued habet Ecclesia unam  
 „ vineam, & triginta jugera terræ. In villa Vaschul  
 „ habet Ecclesia terram ad novem aratra, vineas de-  
 „ cem, servos octo Jobagi primos, duos Hospites, &  
 „ Jobagi septem, aratores quatuor, molendina tria, &  
 „ unum locum molendini. In Prædio Lan, quod con-  
 „ cessit Sanctus Rex Stephanus, habet Ecclesia terram  
 „ ad decem & octo aratra, & silvam magnam, &  
 „ circumquaque munita est regalibus terminis. Prima  
 „ enim meta adjacet à parte Baloton circa viam, ubi  
 „ separatur Parochia de Zala à Besprem, & sunt metæ  
 „ interpositæ, & sic tenditur ad locum, quem vulgus  
 „ Simegalo vocat: dehinc satis diu eundo descendit in  
 „ superficiem montis ad vallem circa Vigand, & signan-  
 „ do per silvas, & vepres in iisdem terminis regalibus  
 „ ad primam metam de juxta Varay fit reversio. Habet  
 „ etiam Jobagiones quatuor, pulsatores viginti octo,  
 „ Coquos sex, Præpositales cubicularios (*a*) octo, &  
 „ ancillas quam plures. In villa Káll habet Ecclesia  
 „ terram ad tria aratra, duodecim vineas, quinque  
 „ servos, prata quatuor, virgultum magnum, Hospites  
 „ Jobagi novem, exequias facientes tres. In villa  
 „ Echer habet Ecclesia quadraginta Jugera terræ, sex  
 „ vineas, quatuor servos, in silvis, & in aquis com-

mu-

---

(*a*) Cubiculariorum, qui toties occurunt, nomine, reor intelligi por-  
 tarum custodes, qui nobis singillatim *Oroz* dicuntur, ut alibi notaveram.  
 Itaque *Præpositales Cubicularii* ab *Præpositi*, ceteri ab *Ecclesiæ*, &  
*Capituli obsequio* videntur fuisse.

„ muniter cum Villanis. In villa Hegymagas habet  
 „ Ecclesia terram ad tria aratra, octo vineas, pratum  
 „ magnum, silvam largam, sex vinitores, sedecim Jo-  
 „ bagi Hospites, unum molendinum, habetque Eccle-  
 „ siam in honorem Sancti Georgii in monte, quæ pro  
 „ se habet terram, pratum, & silvam. In villa Kest-  
 „ sen habet Ecclesia terram ad duo aratra, silvam bo-  
 „ nam, Jobagi septem, exequiatores duos, molendina  
 „ tria, vineas duas.

„ In Prædio Merena, quod uxor nostra concessit  
 „ (a) Ecclesiæ Sancti Michaelis de nostra voluntate,  
 „ habet Ecclesia magnam terram, bonam silvam,  
 „ plures vineas certis metis circumdando, Jobagiones  
 „ Hospites octoginta, aratores undecim, pescatores  
 „ sex, custodes silvæ duos, & ancillas septem. In  
 „ villa Apaty habet Ecclesia terram ad duo aratra,  
 „ duas vineas, servos sex, Hospites Jobagy octo. In  
 „ villa Seerente habet Ecclesia terram ad septem  
 „ aratra, novem vineas, tres servos, Hospites Joba-  
 „ gy septem, calefactores stubæ quatuor, coquos  
 „ quinque. In villa Dyak habet Ecclesia terram la-  
 „ tam circumquaque regalibus signis mensuratam, &  
 „ habet currigeros sedecim, Præpositales cubicularios  
 „ quatuor, Magistratuales coquos quinque, Hospites  
 „ Jo-

---

(a) Patet hinc Sanctum Ladislauum non fuisse, ut haec tenus existima-  
 tum est, cælibem. Quod argumentum in Dissertatione de Sancto Ladislao  
 prolixe tractavi.

„ Jobagiones tres. In villa Vigand habet Ecclesia  
„ terram ad duo aratra, silvam communem cum uno  
„ molendino de Kapultz, ubi sunt novem pulsatores,  
„ Scheerne, Mys, Chryspin cum cognatis suis. In  
„ villa Dergnehely habet Ecclesia unum Jobagyonem,  
„ duas vineas, septuaginta jugera terræ, pratum, &  
„ silvam communiter. In villa Berlo habet Ecclesia  
„ terram ad duo aratra, quatuor prata, silvam commu-  
„ nem, sex pulsatores. In villa Totvason habet Ec-  
„ clesia terram ad unum aratrum, Jobagy sex. In  
„ villa Seleus habet Ecclesia terram ad duo aratra,  
„ silvam propriam in duobus locis, exequiatores qua-  
„ tuor, pulsatores duos. In villa Linther habet E-c  
„ clesia quatuor Jobagyones Magistratuales, qui te-  
„ nent terram, & silvam communiter. In villa Ense  
„ Jobagiones Præpositales habet Ecclesia quinque, qui  
„ habent terram, & silvam communiter cum villanis.  
„ In Prædio Veyt nomine habet Ecclesia duo mo-  
„ lendina bona. In villa Dulosd habet Ecclesia ter-  
„ ram ad quatuor aratra, silvam in tribus locis, pra-  
„ ta multa, servos septem, pulsatores quatuor. In  
„ villa Beth habet Ecclesia terram ad quinque aratra,  
„ & prata, servos Mohet, & Petyr, Jobagyones  
„ novem. In villa Ees habet Ecclesia quadraginta  
„ Jugera terræ, tres vineas, silvam, pratum commu-  
„ niter, servos Petyr, & Mihud. In villa Man ha-  
„ bet Ecclesia terram ad unum aratrum, tres ser-

„ vos Pentuk, Stephanum, & Heme, silvam, & prae-  
 „ tum communiter. In magno monte habet Ecclesia  
 „ terram circumquaque signatam regalibus signis, &  
 „ quatuor Insulas sine participatione cujuspiam, curri-  
 „ geros Laha, Seemi, Buthe, Hada, & alios servos  
 „ arantes Pentuh, & Stephanum: pastores ovium da-  
 „ tarum per Reginam Keyzla, Zumbet, Fohos, La-  
 „ tamas, & Senyd, pratum communiter in partibus  
 „ Tolve. In praedio Tohud habet Ecclesia piscinam  
 „ latam cum octo mansionibus piscatorum, & terram  
 „ ad unum aratrum. In villa Fehety habet Ecclesia  
 „ terram, & silvam communiter, & tres Jobagy ma-  
 „ gistratales. In villa Seamard habet Ecclesia terram  
 „ septuaginta Jugerum, sex vineas, tres vinitores Pe-  
 „ chte, Kupsa, & Mysus: habet Ecclesia etiam par-  
 „ tem in aquis, in herbis, & in stagno, & silvis. In  
 „ villa Endered habet Ecclesia terram quadraginta Ju-  
 „ gerum, quatuor vineas, vinitorem Cohan nomine  
 „ cum tribus filiis suis. In altera Endered habet  
 „ Ecclesia tres pulsatores, quinquaginta Jugera terræ,  
 „ sex vineas, & prata. In praedio Luba habet Ec-  
 „ clesia quadraginta Jugera terræ, tres vineas, & to-  
 „ tidem vinitores, Munhu cum fratribus suis, silvam  
 „ & pratum. In Praedio Zeuleus habet Ecclesia octo-  
 „ ginta Jugera terræ, quatuor prata, silvam bonam,  
 „ duodecim vineas, vinitores Latamas, Revehe, & a-  
 „ lios. In villa Kopul habet Ecclesia sexaginta Ju-  
     gera

„ gera terræ, quatuor vineas, & vinitores, scilicet  
„ Fabian, Segen, Sana, & alios, & Jobagy nomine  
„ Lean, tria prata, duas silvas. In Prædio Laucson  
„ habet Ecclesia duos cubiculares Solon, & Prenef,  
„ terram ad tria aratra, vineas undecim, servos fede-  
„ cim Setye, Ihler, Chyta, Ehe, & alios, silvam  
„ in quatuor locis. In prædio Guschud habet Eccle-  
„ sia tres vineas, duos vinitores, Falud, & Venke,  
„ terram ad unum aratrum. In Prædio Keurischyg du-  
„ as vineas, unum vinitorem nomine Pap, & sedecim  
„ Jugera terræ. In Prædio Thur habet Ecclesia  
„ duas vineas, unum vinitorem Eliam cum uxore,  
„ & Filiis, terram septuaginta Jugerum. In Prædio  
„ Tath habet Ecclesia tres vineas, totidem vinitores,  
„ & duo prata, & octoginta Jugera terræ. In Præ-  
„ dio Berchen habet Ecclesia terram ad duo aratra,  
„ quatuor prata, tres hortos cumulorum. In villa  
„ Grazy habet Ecclesia terram unius aratri, tres vi-  
„ neas, duos vinitores Sumsan, & Johannem, duo  
„ prata, & octo hortos cumulorum. In Prædio Irugh  
„ habet Ecclesia terram ad quatuor aratra regalibus  
„ signis circumdata, prata, & silvam, quatuor servos,  
„ & unum Jobagyonem nomine Seles. In Prædio  
„ Esmen habet Ecclesia servos tres, Morodek, &  
„ alios, quatuor vineas, quinquaginta Jugera terræ,  
„ silvam latam, tria prata, duos exequiatores bonos,  
„ Jobagyones sex, qui habent quatuor vineas, &

„ terram Jugerum triginta, & pratum. In Prædio Ke-  
 „ lety habet Ecclesia terram ad unum aratrum, prata  
 „ decem, vineas sex, vinitores sex Besen - - - &  
 „ alios, in agresti rerra, aquis, & in aliis communi-  
 „ ter. In alio Prædio Kelety habet Ecclesia terram  
 „ ad duo aratra, quatuor servos, Semp, Neha, &  
 „ alias duas vineas, vinitorem, nomine Fend, sex an-  
 „ cillas, & unum Jobagy nomine Leurintz. In Præ-  
 „ dio Berey habet Ecclesia quinquaginta Jugera ter-  
 „ ræ, tres vineas, duos vinitores Buhten, & Carvas,  
 „ silvam in duobus locis, & prata. In Prædio Suen  
 „ habet Ecclesia terram ad unum aratrum, duos ara-  
 „ tores Penty, & Tarnez. In Prædio Kesa habet  
 „ Ecclesia terram ad unum aratrum, sex cubicularios,  
 „ unum molendinum, & alia communiter cum villanis.  
 „ Habet etiam Ecclesia alia Prædia, quæ non sunt in  
 „ hac pagina annotata.

„ Nos igitur ob reverentiam omnipotentis Dei,  
 „ & Beati Michaelis huic scripto nostrum regale Si-  
 „ gillum fecimus apponi per manus Magistri Fabiani  
 „ Vice-Cancellarii nostri fidelis, post Incarnationem  
 „ Domini nostri Jesu Christi Millesimo Octuagesimo  
 „ secundo, Kalendis Maji. Quicunque autem huic pa-  
 „ ginæ contradixerit, vel aliquid inde nefanda præ-  
 „ sumtione minuere voluerit, ab Excelso Deo, & Bea-  
 „ to Michaele Archangelo anathema sit, infatiabilis-  
 „ que

„ que gehennæ ignibus perpetuis feriatur , ac insuper  
 „ pro temporali pœna ad Fiscum Regium centum au-  
 „ reos solidos persolvere teneatur. † In Christo Dei  
 „ filio pax , & Amen. (a) „

Ut vero sensim accessiones ad Ecclesiam Vespr-  
 mensem factæ sunt, ita vicissim commutatas non  
 raro Jurisdictionis rationes, ac in primis cum Strigo-  
 niensibus Archiepiscopis, mutuo utriusque partis con-  
 sensu fuisse, quin Regum, aut Pontificum judicia po-  
 stularentur, geminum litterarum, quod afferam, Ex-  
 emplum docet. Primum ad Benedictum Budensem  
 Praepositum, & Archielectum Strigoniensem, ac Pe-  
 trum Vesprimensem Episcopum pertinet. Id hujus  
 tenoris est. (b) *Petrus Dei Gratia Episcopus Vespri-*

M m 3

*Jurisdictionis ratio-  
 cum Strigo-  
 niensi com-  
 mutata.*

(a) De instrumenti fide ne quis dubium obmoveat. Illius Paulus Ju-  
 dex Curiæ anno MCCCXXXVIII. meminit in hæc verba. *Cujus quidem  
 Privilegii beati Ladislai Regis Anno ab Incarnatione Domini millesi-  
 mo octuagesimo secundo confessi tenor nos informabat eo modo, ut cum  
 Venerabilis in Christo Pater Johannes Praeful Sedis de Vesprimio  
 cum duobus Canonicis suis, scilicet Stephano Archidiacono, & Ondur-  
 nuk Decano, ad ipsum Dominum Ladislaum Regem accessissent, & ab  
 eodem Domino Ladislae Rege coram universis Jobagyonibus suis po-  
 stulassent, ut ipse pro remedio anime sue mitteret tales nuncios suos,  
 qui omnes terras, & possessiones Ecclesiæ Sancti Michaelis Archangelæ  
 de Vesprimio circuirent, & scirent bene, & dicerent sibi, & ipse ea  
 ficeret ad litteras suas, ut semper Ecclesia, teneret, & possideret.  
 Ipse itaque beatus Ladislaus Rex dum in multis causis Regni desti-  
 nasset Barnabam Notarium suum cum Sugh Comite de Bokon; qui  
 irisset, & perambulassent, & sicut invenissent, eidem Domino  
 Ladislae Regi in pagina sua mandassent, & ipse Dominus La-  
 dislaus Rex ad ipsum suum Privilegium scribi fecisset, omnes recte  
 coram suis Jobagyonibus cum pagina forma &c. Ex originali: con-  
 sentiunt nomina, annus, sententia, & ipsa pene verba.*

(b) Ex Originali.

miensis, & Magister Paulus Præpositus, ac Capitulum ejusdem loci omnibus Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in auctore salutis. Ad notitiam universitatis vestræ harum serie cupimus pervenire. Quod cum Honorabilis Ecclesia Strigoniensis nostra Metropolis, bonis spiritualibus, & temporalibus floruisse, jugiter ab antiquo gaudens in Hungarice partibus excellenter, & prærogativa Privilegii specialis, demum exigen-te diri temporis pravitate Ecclesia ipsa aduersitatum pro-cellis sævius concussa ad exinanitionem virtutis, extre-mæ, & quasi ad irreparabilis desolationis discrimen malignorum incuribus miserabiliter est perducta. Propter quod nos eidem Ecclesie tamquam Capiti nostro præcipuo, charitable, ut debuimus, condolentes, & ipsius ex-cidium, nostrum proprium reputantes, prædictæ Strigo-niensis Ecclesiæ, duas villas nostras, Sermen vocatas, ad nos, & Ecclesiam nostram in spiritualibus, & tempora-libus pertinentes, cum omnibus Decimis, Juribus, Pos-sessionibus, vineis, pertinentiis, & aliis utilitatibus: item cum Decimis etiam omnibus duarum Parochiarum scili-cet de Wyllie, & de Tholnuk Vesprimiensis Diaœcis, ac Capellis ipsarum villarum a lege Jurisdictionis, & Diaœsanæ prorsus exemptis, & in Jus Strigoniensis Ec-clesiæ pleno Jure transfusis; quas quidem villas, & Jura, que ipsi Ecclesiæ Strigonensi sunt in proximo continua & vicina, cessimus, dedimus, tradidimus, & assignavimus, ab ea irrefragabiliter possidenda in per-pe-tuum

tuum, mero Jure. Dominus autem Reverendissimus Dei Gratia Sanctæ Strigonienensis Ecclesie electus, ejusdemque Loci Comes perpetuus, de Præpositi, & Capituli sui Strigonienensis beneplacito, consilio, & assensu afflictionis, & desolationi nostræ, & Ecclesie Vesprimiensis, condolentes, & e converso eidem Ecclesie nostræ Tychonensem Ecclesiam Vesprimiensis Diœcesis ad Strigonensem Ecclesiam immediate in spiritualibus, & temporalibus pertinentem, ac Ecclesie nostræ Vesprimensi contiguam, continuam e proximo, & vicinam cum omnibus suis Juribus, possessionibus, vineis, Lacubus, Passagiosis, seu tributis ipsi Ecclesie Vesprimensi, ut præmisimus, afflictæ, in consolationem tam nostræ, quam ipsius Tychonensis Ecclesiarum, cum potissime in Tychonensi Ecclesia memorata, subjecta novissime paupertati, jam laudis Divinæ fere omnino organa sunt suspensa, realiter cessit, dedit, assignavit, & tradidit, nullo sibi Jure alio ibidem penitus reservato, nisi quod in aliis Ecclesiis Collegiatis, Vesprimensi Sedi immediate subjectis sibi Jure Metropolitico dinoſcitur vendicare, perpetuo possiden-  
dam: ita, quod Prælatus dictæ Ecclesie Tychonensis, qui pro tempore in ipsa Ecclesia per nos fuerit institutus, in signum subjectionis ad Synodum Archiepiscopi Strigoniensis una nobiscum accedere teneatur, recepturus ibidem cum reverentia ipsius Archiepiscopi statuta salubria, & mandata: Et quod tunc in signum subjectionis pristinæ cereum decem marcas ceræ ponderantem, ad ho-

*norem majoris Altaris Ecclesiae Strigoniensis dare debat, & offerre. Et tam idem Dominus electus, & Strigoniense Capitulum, quam nos, nos, & Ecclesiæ nostras Strigoniensem, & Vesprimensem in possessionem omnium prædictorum vicissim, & mutuo induximus, & induci fecimus pacifice, & quiete. In cuius rei testimoniū, & memoriam sempiternam præsentes concessimus litteras, Sigillorum nostrorum munimine robatas. Anno Domini MCCLXXVI. tertio Nonas Septembri.*

*Alterum  
commuta-  
tionis exem-  
plum.*

Alterum ita habet. (a) „ Lodomerius miseratio-  
„ ne divina Archiepiscopus Strigoniensis, ejusdemque  
„ Loci Comes perpetuus, universis Christi fidelibus  
„ præsentium notitiam habituris salutem in auctore  
„ salutis. Ad universorum notitiam tenore præsentium  
„ volumus pervenire. Quod cum posseffio Præpositi,  
„ & Conventus Fratrum ordinis Præmonstratensis de  
„ Chut Narhyd vocata, quam ex donatione piæ re-  
„ cordationis quondam Belæ Regni Hungariae Regis  
„ Illustris prædictum Monasterium de Chut, concessio-  
„ præfati Regis Privilegio, cum pleno Jure Posseffio-  
„ nis, & proprietatis, seu perpetui dominii cum uni-  
„ versis suis utilitatibus, & pertinentiis obtinebat, in-  
„ valescentibus iniquis prædonum direptionibus reda-  
„ cta fuisset in solitudinem, ita ut vix quinque do-  
„ munculæ, quin potius tuguria, vocabulo veriori re-  
man-

„ mansissent in ea, siveque Præpositus, & Conventus  
„ præfati ordinis de Chut nullam penitus utilitatem  
„ possint percipere de eadem, nosque possessiones  
„ Archiepiscopales in Simeghiensi, & Tolnensi, Comi-  
„ tatibus, licet lautas, plures, & satis utiles habere-  
„ mus, tamen propter interposita terrarum spatia sa-  
„ tis longa, & violentorum occupatorum malitias,  
„ paucas ex eisdem percipere utilitates possemus, in-  
„ ter nos, accedente Capituli nostri consensu, Eccle-  
„ siæ nostræ nomine ex una parte, & inter Vene-  
„ rabilem Patrem Benedictum Dei Gratia Vesprimi-  
„ ensem Episcopum ex altera, modo consimili conve-  
„ nit nobis, & ipso Venerabili Patre, voluntariis, &  
„ idoneis concorditer consentientibus in id ipsum, ut  
„ in concambium decimarum, quas idem Venerabilis  
„ Pater jure Dicæcesano super terra Præpositali ejus-  
„ dem Monasterii B. Leustachii de Chut intra ma-  
„ gnam Insulam, & extra sibi de Jure provenientes  
„ percipiebat, prædictas nostras possessiones Archiepi-  
„ scopales cum omnibus utilitatibus, & pertinentiis  
„ earundem, & perceptionibus decimarum, si quæ no-  
„ bis, ut præfertur, competenter in eisdem, ipsi Ve-  
„ nerabili Patri, & per eum suis successoribus, contu-  
„ limus Jure perpetuo possidendas; pro quibus Deci-  
„ mis a præfato Venerabili Patre Præposito, & Con-  
„ ventu Monasterii de Chut in hujusmodi concambi-  
„ um perpetuo Jure collatis, Frater Joannes Præpo-

„ situs , & Conventus de Chut ; Frater Ivanka dicti  
 „ ordinis Præmonstratensis de Turucz , Præpositus ipsi-  
 „ us Monasterii de Chut Pater Abbas , Fratre Ladi-  
 „ slao de Saag , Fratre Laurentio de Bozok , Fratre  
 „ Benedicto de Churna , aliisque quam pluribus præ-  
 „ fatorum Monasteriorum Præpositis , & Prælatis , &  
 „ eorum Conventibus scientibus , consentientibus , &  
 „ approbantibus , præmemoratam possessionem Narhyd  
 „ vocatam , cum universis utilitatibus - - - ad ipsam  
 „ possessionem Narhyd pertinentibus , quarum terra-  
 „ rum nomina , termini , sive metæ in præfati Belæ  
 „ Regis privilegio plenius continentur , nobis , & in  
 „ persona nostra successoribus nostris Archiepiscopis  
 „ Strigoniensibus , qui pro tempore fuerint , contule-  
 „ runt , plene , & integre , quiete , & pacifice , possi-  
 „ dendas perpetualiter , & habendas . Nos quoque  
 „ possessiones nostras prænominatas , quas in concambi-  
 „ um Decimarum præscriptarum villarum Monasterii  
 „ de Chut , dicto Venerabili Patri Episcopo Vespri-  
 „ miensi contulimus , consentiente , & approbante Ec-  
 „ clesiæ nostræ Capitulo , ipsi Præposito Joanni , & suo  
 „ Conventui dedimus decem marcas decimæ combu-  
 „ stionis : Insuper ordinavimus irrevocabiliter , & in-  
 „ violabiliter , ut sedecim marcas omni anno de popu-  
 „ lis Monasterii de Saag , & de Bozok , de decimis no-  
 „ bis provenientibus , Præpositus , & Conventus de  
 „ Chut perpetuo percipient , singulis quadraginta cape-  
 „ tiis

„ tiis pro marcis singulis computando , ita videlicet ,  
„ quod Decimatores nostri præsente homine de domo  
„ nostra, & Præposito de Chut cum aliquo, seu aliqui-  
„ bus de suo Conventu præsentibus, ipsorum Mona-  
„ steriorum decimas dicare debeant , & sedecim marcas  
„ dictis , Præposito , & Conventui de Chut assignatis ,  
„ & , quod residuum de decimis fuerit, pro nobis per-  
„ cipient : sed ad decimas illorum populorum , quous-  
„ que complementum sedecim marcarum Præposito ,  
„ & Conventui præfatis fuerint assignatae, se de cetero  
„ nullatenus intromittant . Quod si prædicta quantitas  
„ sedecim marcarum in decimis præmemoratorum po-  
„ pulorum præscriptis Monasteriis subjectorum comple-  
„ ri non potest , de Camera Archiepiscopali omnibus ,  
„ nostro ; & successorum nostrorum temporibus, ipsi Præ-  
„ posito , & Fratribus , plene , & sine diminutione qua-  
„ libet persolvi debebit , occasione , seu refragatione  
„ qualibet non obstante . In cuius rei memoriam , &  
„ perpetuam firmitatem præsentes eidem Præposito ,  
„ & Conventui Monasterii de Chut concessimus , Si-  
„ gilli nostri munimine roboratas . Datum Strigoniæ  
„ in festo Ascensionis Domini, anno ejusdem MCCXCV .  
Hac ratione Episcopis Vesprimiensibus in Comitatu Tolnensi , qui ceteroquin ad Diœcesim Quinque-Ec-  
clesiensem pertinet , aliquid Jurisdictionis Spiritualis ,  
id enim jus decimarum arguit , videtur acceſſisse . Quæ  
res haud paucas deinceps turbas inter Vesprimensem ,

& Quinque-Ecclesiensem Antistites concivit, quas in hunc locum adducere, nec refert, nec vacat.

*Duplex prærogativa, Episcoporum Vesprimiensium memoria Jus Reginas Hungariae inaugurandi penes illos sit, & munere (a) Cancellarii apud easdem fungantur, tametsi in utroque, quamquam raro, variatum sit. Semel enim, iterumque Antistites Vacienses Cancelarios Reginarum fuisse reperio, & Strigonienses Archiepiscopos aliquoties in coronandis Reginis munus obiisse. Utramque prærogativam, quæ Episcoporum incuria fere obsoleverat, Sigismundus anno MCCCCXXV. VI. Calendas Martias, Petro de Rozgon Episcopo rursum asseruit. Digna sunt notatu verba, quibus Rex utramque dignitatem Vesprimensi Ecclesiæ confirmat.*  
*(b) Ad universorum inquit, notitiam volumus pervenire, quod a tempore primæ fundationis venerabilis Vesprimensis Ecclesie, Episcopus loci ejusdem ex privilegio ipsi Ecclesiæ super hoc indulto, quod etiam privilegium nobis, nostris Proceribus assidentibus, exhibut, vicibus pluribus intellectimus ejus serie studiose perlecta, habuit, & debuit Reginas Hungariae diadematè coronare, quod non solum præteritis temporibus, verum etiam præsentibus semper obtinuit, & obtinet, ut debuit hactenus inconcusse. Ob*

cu-

(a) Hoc est apud Reginas regnantes, nam viduarum Cancellarii pro istarum arbitratu legebantur: semper tamen ex ordine Ecclesiastico.

(b) Ex apographo.

cujus remunerationem officii, eidem Episcopatui realiter perpetuo annexa exsttit cum quingentarum marcarum stipendio annuo Cancellaria Reginalis, quæ per quorundam ejusdem Ecclesiae Episcoporum negligentiam fuerat per aliqua temporum intervalla a Vesprimensi Ecclesia desuetudine inumbrata. Nos itaque attentes, jus suum fore nulli hominum detrahendum, neminemque debere locupletari ex re aliena, nec offuscati alterius diligentiam ob alterius negligentiam, odiosam, conscientiæque nostræ scrupulum per hæc exonerare volentes, ipsam Cancellariam Reginalem cum prædicto quingentarum marcarum stipendio annuo de Tricesima nostra, nominatim Faurensi solvendo, vel aliunde, undecunque acceptare voluerit, de redditibus Reginalibus, ob multifaria, & insignia Venerabilis Patris Petri Wesprimiensis Ecclesiae Episcopi meritoria obsequia, & virtutes, eidem Episcopo, imo Episcopatui, sive Ecclesiae Beati Michaëlis Archangeli, cuius Ecclesiaz illustres Hungariae Reginæ specialiter sunt Patronæ, restituimus de inclytæ Reginæ Dominæ Barbaræ charissimæ Confortis nostræ, & omnium Baronum nostrorum consilio, & consensu realiter tenendam, & perpetuo per Wesprimensem Ecclesiam irrefragabiliter possidendam.

Verum haud multo post tempore litis mat- Quibus lis  
ties, dum Elisabetha Sigismundi Filia, & Alberti titulo coro-  
Regis conjux solenni ritu ex Regni more coronanda nationis re-  
fuit, inter Strigoniensem Metropolitam, & Vesprimien- gina rurum  
sem cum Metro-  
polita obo-  
ritur.

sem Episcopum subnata est ; ac utriusque consensu rursum composita, quemadmodum ex instrumento publico super ea re confecto perspicuum est, quod hoc loco depromere necessarium putavi. (a) „ Nos Georgius „ miseratione Divina Archiepiscopus Strigoniensis, lo- „ cique ejusdem Comes perpetuus, Primas, & Apo- „ stolicæ Sedis Legatus natus, memoriæ commenda- „ mus tenore præsentium significantes, quibus expe- „ dit, universis. Quod pridem Excellentissimo Princi- „ pe, & Domino nostro, Domino Sigismundo Dei gra- „ tia Romanorum Imperatore, ac Hungariæ, Bohe- „ miæ &c. Rege sicut Divinæ placuit voluntati, fi- „ nale debitum naturæ persolvente, Prælatisque, Ba- „ ronibus, Proceribus, & Regnicolis in multitudine, „ & quantitate copiosa in hunc locum pro serenissi- „ mi Principis, Domini nostri, Domini Alberti, Du- „ cis Austriæ, in Regem Hungariæ electi, coronatio- „ ne convenientibus, inter alia, quæ tunc in oneri- „ bus variis Regni occurrebant, per Reverendum in „ Christo Patrem, Dominum Simonem de Rozgon, „ Episcopum Vesprimiensem, de, & super facto co- „ ronationis, & inunctionis Reginalis Majestatis disce- „ ptatio, & difficultas quoad nos, & Ecclesiam no- „ stram mota fuit, proponens, & allegans idem Do- „ minus Episcopus Vesprimiensis, quod ad ipsum præ- „ textu jurium, & Privilegiorum suæ Ecclesiæ anti-

„ quo-

(a) Ex autographo.

„ quorum , quorum non nulla in nostri , & dictorum  
 „ aliorum Prælatorum , & Baronum præsentibus tunc  
 „ produxit , coronatio , & inunctio Dominæ Reginæ  
 „ Hungariæ spectaret , & pertineret , & quamvis hu-  
 „ jusmodi suæ intentionis propositionem , & allegatio-  
 „ nem per certas litteras , & Privilegia etiam præde-  
 „ cessorum nostrorum , Archiepiscoporum Strigonien-  
 „ sium tunc productas , & exhibita aliqualiter firmare  
 „ voluissest , tamen quia prædecessores nostri , Strigo-  
 „ nienses Archiepiscopi , de scitu , & memoria homi-  
 „ num nunc viventium , quamplures , signanter Domi-  
 „ nas Mariam , & consequenter Barbaram præfati Do-  
 „ mini Sigismundi Imperatoris , & Regis conchorales ,  
 „ coronarunt , & inunxerunt in Reginas , tum quia  
 „ non æstimavimus , neque aliquomodo scivimus , aut  
 „ putassemus , quod super hujusmodi facto coronatio-  
 „ nis Reginæ inter dictum Dominum Episcopum , &  
 „ nos disceptatio , & difficultas oriri debuisset aliqua-  
 „ lis , ut proinde etiam nostræ Ecclesiæ jura , & privi-  
 „ legia suis juribus contraria , vel prævalentia quære-  
 „ re , producere , & opponere valuissemus : Sed quia  
 „ tam nos nostræ Ecclesiæ Strigoniensis , quam etiam  
 „ prætactus Dominus Episcopus suæ Vesprimiensis  
 „ Ecclesiæ jura ex præstito tenemur defensare jura-  
 „ mento ; ideo nos in favorem pacis , & seriæ amici-  
 „ tiæ , intervenientibus tamen , & mediantibus notabi-  
 „ libus viris , certis videlicet Prælatis , & Baronibus

„ præ-

„ prætacti regni Hungariæ, ne ex tali nostra disceptatione, negligentia vel obstaculum aliquod in præfata coronatione, quæ indilate propter multa, & varia evitanda pericula fieri debuit, oreretur aquieevimus dicto Domino Episcopo Vesprimensi, & condescendimus, fine tamen præjudicio jurium Ecclesiæ nostræ Strigonensis, ut serenissimam Dominam nostram, Dominam Elisabeth, conthoralem videlicet memorati Domini Ducis Austriæ, & in regem, sicut præmittitur, electi, in Reginam Hungariæ inungere valeat, & coronare, tali tamen sub conditione, quod, si nos temporis in processu, quo opportunitas commodose se obtulerit, jura, & privilegia alia Ecclesiæ nostræ, suis videlicet efficaciora, & meliora invenire, ac producere poterimus: Ex tunc, ipsis visis, & nominatis, idem Dominus Episcopus Vesprimensis a prosecutione dictorum suorum jurium, & privilegiorum in antea penitus desistere debeat, & cessare teneatur: casu vero quo prædicta sua producta jura, & privilegia, ac quæcunque alia invenienda, & producenda nostris fuerint saniora, efficaciora, & meliora, ex tunc nec nos, neque nostri succcessores in antea ipsum Dominum Episcopum, aut suos succcessores in hujusmodi facto coronationis ullo unquam tempore impedire debeamus, aut valeamus. Ad quæ omnia observanda tam nos, quam sæpe ta-

, Etus

„ Etus Dominus Episcopus Vesprimiensis sub præ-  
 „ fentium litterarum, quibus utriusque nostrum anu-  
 „ laria Sigilla sunt appensa, obligavimus, & obli-  
 „ gamus testimonio mediante. Datum in Alba Re-  
 „ galii in vigilia circumcisionis Domini, anno Ejusdem  
 „ MCCCXXXVII. ,,

Deinceps jus id *Vesprimiensibus integrum man-*  
 „ *Publico diplomate per Uladislaum II. di-*  
 „ *quod Vesprimiensis Episcopus nondum Sacerdotio initia-*  
 „ *remta.*  
 „ *tus erat, ab Strigonensi Archiepiscopo coronari ne-*  
 „ *cessse esset. Id ne juribus Episcoporum Vesprimien-*  
 „ *sium aliquod præjudicium crearet, ipse Rex Uladislaus*  
 „ *publicis litteris cavit, quas, quod prærogativam hanc*  
 „ *mirifice illustrant, pro coronide hujus argumenti pro-*  
 „ *ferre mihi visum fuit. (a) „ Nos Uladislaus Dei gra-*  
 „ *tia Rex Hungariæ &c. Memoriæ commendamus te-*  
 „ *nore præsentium significantes universis, quibus ex-*  
 „ *pedit. Quod cum nos Divina disponente clementia*  
 „ *Illusterrimam Dominam Annam de Candalle ex ve-*  
 „ *tusta stirpe Regia Fuxiorum oriundam, nobis in*  
 „ *conjugem ritu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ copulari,*  
 „ *ac tandem adduci fecissemus, curassemusque eam in*  
 „ *Civitate nostra Alba Regali, quo ex nostra invitatio-*  
 „ *ne multorum Principum Oratores, ac universi Domini*  
 „ *, Præ-*

(a) Ex autographo.

„ Prælati, Barones, Nobilesque, Proceres, & univer-  
 „ forum Comitatuum Regni nostri Electi convenerant,  
 „ pro veteri consuetudine hujus Regni, coronari, li-  
 „ cet fidelis noster Reverendus Dominus Gregorius  
 „ de Frangepanibus, ac electus & confirmatus Eccle-  
 „ siæ Vesprimiensis, hujusmodi munus coronationis  
 „ ex veteri indultu Divorum Regum Hungariae, Præ-  
 „ decessorum scilicet nostrorum, quo ipsa Ecclesia,  
 „ consequenterque, ejusdem omnes Prælati, & Epi-  
 „ scopi abunde dotati existunt, obire, & peragere de-  
 „ buisset, tamen ex quo idem Dominus Episcopus  
 „ nondum omnes ordines Sacerdotis, & Pontificalis  
 „ dignitatis consecrationem ob temporis brevitatem,  
 „ & negotiorum pluralitatem, quibus pro Regni hujus  
 „ nostri utilitate sæpe numero implicitus existit, ple-  
 „ narie, & integraliter habuerit, nos munus corona-  
 „ tionis præfatæ Dominæ Reginæ pro hac vice, pro-  
 „ pter inhabilitatem ipsius Domini Episcopi, Reve-  
 „ rendissimo in Christo Patri D. Thomæ tituli Sancti  
 „ Martini in montibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pres-  
 „ bytero Cardinali Strigonensi, summo & Secretario  
 „ Cancellario nostro imposuimus, & coronationem  
 „ ipsius Dominæ Reginæ per ipsum peragi, & perfici  
 „ fecimus. Ne igitur Ecclesia ipsa Vesprimiensis, &  
 „ ex consequenti præfatus Dominus Electus ob non  
 „ præstitum officium suum munus coronationis dictæ  
 „ Dominæ Reginæ, ab antiquo, & veteri Jure suo &  
 „ Præ-

„ Prærogativa, qua, ut præmisimus, ipsa Ecclesia  
„ Vesprimiensis a vetustissimis Hungariæ Regibus,  
„ Prædecessoribus scilicet nostris, gavisa est, decidat,  
„ neve ob hoc in ejuscemodi suis Juribus, & Præro-  
„ gativis detrimentum patiatur: Nos igitur recogno-  
„ scimus, præmissam intermissionem coronandæ Reginæ  
„ nostræ ab ipso Domino Episcopo Vesprimensi non  
„ ob aliam causam, seu defectum, quam, ut præmissum  
„ est, intervenisse, neque per hoc volumus, Juribus,  
„ & Privilegiis ejusdem, seu dictæ Ecclesiæ suæ quo-  
„ quo modo præjudicari; quin etiam, cum nos omnium  
„ Ecclesiarum hujus Regni nostri, veri & indubitati  
„ Patroni simus, eundem Dominum Episcopum, con-  
„ sequenterque universos suos Successores in hujus-  
„ modi suo Jure, & Prærogativa relinquendos; atque  
„ eam ipsam Prærogativam, & gratiam coronandarum  
„ Reginarum Hungariæ ob singularem devotionem,  
„ quam erga gloriosum Michaëlem Archangelum ha-  
„ bemus, tum etiam ob præclara merita, & virtutes e-  
„ jusdem Domini Gregorii Episcopi, de nostræ Regiæ po-  
„ testatis plenitudine, consensuque, & beneplacita vo-  
„ luntate dictæ Illustrissimæ Dominæ Annæ Reginæ,  
„ Confortis nostræ charissimæ, Prælatorumque, & Ba-  
„ ronum Regni nostri ad id accedente confilio, & assen-  
„ su, eidem Ecclesiæ Vesprimensi, Prælatisque ejus-  
„ dem, moderno scilicet, & futuris renovandum du-  
„ ximus, & reintegrandum, ac denuo, & ex novo

„ concedendum, decernentes, ut, quemadmodum prius,  
 „ ita etiam deinceps Episcopi, & Prælati dictæ Eccle-  
 „ siæ Vesprimiensis pro tempore constituti, non ob-  
 „ stante eo, quod hac nostra tempestate coronatio præ-  
 „ fatæ Dominæ Annæ Reginæ non per dictum Domini-  
 „ num Gregorium, modernum electum ejusdem Eccle-  
 „ siæ, sed per dictum Reverendissimum Cardinalem  
 „ Strigoniensem ob causas prædictas facta, & celebrata  
 „ exstitit, temporibus coronationis Reginarum Hunga-  
 „ riæ hujusmodi Jure, prærogativa Ecclesiæ ante di-  
 „ ctæ uti, frui, & gaudere possint, imo renovamus,  
 „ reintegramus, decernimusque, & concedimus harum  
 „ nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo  
 „ ut Rex Hungariæ utimur, est appressum, vigore, &  
 „ testimonio litterarum mediante. Datum Budæ  
 „ die Dominico proximo ante festum Beati Thomæ  
 „ Apostoli, Anno Domini MDII. Regnorum nostrorum  
 „ Hungariæ &c. anno tredecimo, Bohemiæ vero trice-  
 „ simo tertio. (a) ,

EPI-

(a) In eundem fere tenorem Regina quoque Anna litteras, sed se-  
 riuss, dedit. Datum Budæ XI. die Mensis Februarii, Anno Domini  
 MDIII. Coronationis vero nostræ anno primo. Ex autographo. Id  
 jus anno 1715. non nihil violatum est, dum Strigoniensis Archiepiscopus  
 Christianus Augustus Imperatricem Elisabetham Christianam, frustra recla-  
 mante Episcopo Vesprimensi, Posonii coronasset.



---

E P I S C O P I  
V E S P R I M I E N S E S.

---

*Annus Christi.*

1009. Stephanus I.  
- - - Matthæus I. (a)  
1082. Joannes I.  
1085. Cosmæs.  
1093. Cosmas.  
1103. Matthæus II.  
1111. Matthæus.  
1113. Matthæus.  
1119. Calanda I.  
1133. Ambrofius.  
1138. Petrus I.  
1139. Petrus.  
1143. Paulus I.  
1156. Peta, seu Petrus II.  
1169. Absolon.  
1183. Joannes II.

O o 3

1186.

---

(a) Incertum, quo anno sedere cœperit, aut obierit: Ante annum 1082. Vesprimensi Ecclesie præfuisse conjicio ex litteris Sancti Ladislai de anno 1082. in quibus cum de prædio *Murus* agit, fateatur Ecclesiam Vesprimensem habere ex gratia Matthæi Episcopi *terram ad unum aratrum, & duos servos*. Si ætatis communeñ rationem habeamus, poterat hic Matthæus Stephano succedere.

1186. Joannes.  
 1188. Joannes.  
 1193. Calanda II.  
 1206. Calanda.  
 1207. Calanda.  
 1208. Calanda.  
 1209. Calanda.  
 1210. Robertus.  
 1211. Robertus.  
 1212. Robertus.  
 1214. Robertus.  
 1215. Robertus.  
 1217. Robertus.  
 1218. Robertus.  
 1219. Robertus.  
 1220. Robertus.  
 1221. Robertus.  
 1222. Robertus.  
 1224. Robertus.  
 1225. Robertus. (a)  
 1230. Budinus.  
 1233. Budinus.  
 1234. Budinus.  
 1238. Briccius.  
 1244. Vacat VIII. Cal. Decembris.

1245.

---

(a) Postea ad Strigoniensem Cathedram traductus.

1245. Zelandus. (a)  
1246. Zelandus.  
1251. Zelandus.  
1252. Zelandus.  
1254. Ladislaus I.  
1256. Ladislaus.  
1263. Paulus II.  
1264. Paulus.  
1268. Paulus.  
1269. Paulus.  
1271. Paulus.  
1272. Paulus.  
1273. Paulus, Aulæ Cancellarius.  
1274. Paulus Aulæ Cancellarius.  
1275. Paulus, & V. Calen. Novembris eodem anno  
1275. Petrus III. electus, & confirmatus.  
1276. Petrus.  
1278. Petrus.  
1279. Petrus.  
1281. Petrus.  
1290. Benedictus I.  
1291. Benedictus.  
1292. Benedictus.  
1294. Benedictus.  
1295. Benedictus.  
1304. Benedictus.

1308.

---

(a) Scribitur non raro etiam *Zlaudus*, & *Zalaudus*.

1308. Benedictus.  
 1311. Stephanus II.  
 1313. Stephanus.  
 1315. Stephanus.  
 1317. Stephanus.  
 1318. Stephanus.  
 1320. Stephanus, (a) & XV. Cal. Februarii eodem  
       anno  
 1320. Henricus I. (b)  
 1322. Henricus.  
 1323. Henricus.  
 1324. Henricus.  
 1325. Henricus.  
 1326. Henricus.  
 1327. Henricus.  
 1328. Henricus.  
 1329. Henricus.  
 1330. Mesko, seu Michael I, & eodem anno  
 1330. Henricus II.  
 1331. Henricus.  
 1333. Henricus.  
 1334. Vacat VI. Id. Decembr.  
 1335. Mesko II.

1336.

(a) Ex Praepositura Scepusiensi translatus. Unde Capitulum Scepu-  
 siente anno 1323. Dominica Invocavit, elegit sibi Praepositum, Joannem  
 Praepositum Bosniensem, Cancellarium Venerabilis Patris Domini Boleslai  
 Ducis Tostensis, Dei, & Apostolicae Sedis gratia Archiepi. Strigonien.  
 (b) XV. Calend. Februarii.

1336. Frater Rudolphus. (a)  
 1337. Rudolphus.  
 1338. Rudolphus, & VIII. Cal. Junii eodem anno  
 1338. Mesko III.  
 1342. Mesko. (b)  
 1345. Stephanus III. (c)  
 1346. Vacat.  
 1347. Joannes III. electus, & confirmatus.  
 1349. Joannes.  
 1350. Joannes.  
 1351. Joannes.  
 1352. Joannes.  
 1353. Joannes.  
 1354. Joannes.  
 1356. Joannes.  
 1357. Joannes  
 1358. Ladislaus. (d)  
 1359. Ladislaus.  
 1360. Ladislaus.  
 1361. Ladislaus.  
 1362. Ladislaus.  
 1363. Ladislaus.  
 1364. Ladislaus.

1365.

(a) Pridie Cal. Martii.

(b) Cancellarius Reginæ Matris.

(c) Itidem Cancellarius Reginæ Matris.

(d) Pridie Idus Februarias.

1365. Ladislaus.  
 1366. Ladislaus.  
 1369. Ladislaus.  
 1370. Ladislaus.  
 1373. Ladislaus.  
 1376. Ladislaus.  
 1378. Petrus IV. (a)  
 1379. Vacat VI. Non. Septembris.  
 1380. Benedictus II. (b)  
 1381. Benedictus.  
 1382. Benedictus.  
 1383. Benedictus.  
 1384. Benedictus.  
 1387. Benedictus.  
 1388. Demetrius I. (c)  
 1389. Demetrius.  
 1391. Demetrius.  
 1392. Demetrius. (d)  
 1393. Martinus I. (e)  
 1394. Martinus.  
 1395. Martinus. (f)  
 1397. Demetrius II. (g)

1399.

(a) VII. Cal. Februarii.

(b) X. Cal. Martii.

(c) IV. Cal. Junii electus.

(d) Videtur ad Transsilvanensem Episcopatum translatus fuisse.

(e) IV. Cal. Maji: alias etiam Maternus scribitur, crebrius tamen Martinus.

(f) Ad Transsilvanensem Cathedram traductus.

(g) VIII. Idus Decembris.

1399. Michael IV. (a)  
 1401. Michael.  
 1404. Vacat II. Cal. Septemb.  
 1405. Vacat XVII. Cal. Maji.  
 1406. Vacat IV. Non. Februarii.  
 1407. Frater Joannes IV. (b)  
 1409. Joannes.  
 1410. Joannes.  
 1411. Vacat pridie Idus Julii.  
 1412. Vacat VIII. Cal. Februarii.  
 1413. Vacat VIII. Cal. Septembris.  
 1414. Vacat VI. Cal. Augusti.  
 1415. Vacat XIV. Cal. Julii.  
 1417. Petrus V. de Rozgon. (c)  
 1420. Petrus.  
 1423. Petrus.  
 1424. Petrus. (d)  
 1425. Petrus. (e)  
 1426. Joannes V.  
 1427. Joannes.  
 1429. Simon de Rozgon. (f)

P p 2

1430.

(a) IV. Cal. Decembris.

(b) XV. Calendas Maji electus.

(c) Filius Ladislai de Rozgon, &amp; Præpositus Demesiensis, nominatus a Sigismundo Constantiæ in festo Assumptionis Beatae Mariæ Virginis glorioſa.

(d) Postulatus Agriensis.

(e) Postea ad Agriensem translatus.

(f) IV. Calendas Maii.

1430. Simon.  
 1431. Simon.  
 1432. Simon.  
 1434. Simon.  
 1435. Simon.  
 1436. Simon.  
 1437. Simon.  
 1439. Simon. (a)  
 1440. Simon. (b)  
 1453. Mathias.  
 1455. Mathias.  
 1459. Albertus de Vethes.  
 1463. Albertus.  
 1464. Albertus.  
 1465. Albertus.  
 1466. Albertus.  
 1467. Albertus.  
 1468. Albertus.  
 1469. Albertus.  
 1470. Albertus.  
 1471. Albertus.  
 1472. Albertus.  
 1473. Albertus.  
 1474. Albertus.

1475.

---

(a) Dominica Lætare confirmat Privilegium Monialibus de Valle Vesprem, quod illis Thomas Archiepiscopus Strigoniensis anno 1368. concederat.

(b) Ad Agriensem promotus.

1475. Albertus.  
 1478. Albertus.  
 1479. Albertus.  
 1480. Albertus.  
 1481. Albertus. (a)  
 1486. Albertus.  
 1489. Vacat IX. Calendas Julii.  
 1490. Joannes VI. Vitéz. (b)  
 1493. Joannes.  
 1494. Joannes.  
 1495. Joannes.  
 1497. Joannes (c)  
 1498. Joannes.  
 1499. Gregorius de Frangepanibus. (d)  
 1500. Gregorius.  
 1501. Gregorius.  
 1502. Gregorius.

P p 3

1504

(a) In litteris hujus anni usus est Sigillo, quod aquilam cum expansis alis refert: perigraphe hujusmodi erat: *Cum Deo faciemus virtutem: Credo gentilitium fuisse. Reperio quoque hoc anno Fratrem Petrum Episcopum Nandoralensem Alberti fuisse Vicarium.*

(b) Feria III. proxima ante festum Sacratissimi Corporis Christi.

(c) Supremus Cancellarius, & Commendatarius Viennensis Ecclesie, ut patet ex Litteris, quas ex autographo exscrispi. *Nos Joannes Vythez Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Vesprimiensis, & ejusdem loci Comes perpetuus, ac Aulae Reginalis Majestatis Regni Hungariae Supremus Cancellarius, Viennenisque Ecclesiae Commendatarius &c. dispensat cum Georgio Kanyfa, & Clara de Rozgon in secundo affinitatis gradu. Datum in Castro Sarvar Feria VI. proxima post festum beati Georgii Martyris anno Domini 1497. Forte ad Maximiliani partes transiens Ecclesiam Viennensem regendant acceperit.*

(d) Electus Secretarius, & Cancellarius Aulae.

1504. Petrus VI. Tit. Cyriaci in Thermis Presbyt  
Card.
1505. Petrus.
1508. Petrus.
1513. Petrus VII. Berizlo. (a)
1514. Petrus.
1518. Petrus.
1521. Paulus III. de Varda. (b)
1524. Paulus.
1526. Thomas de Zalahaza.
1528. Thomas. (c)
1534. Martinus II. Kecheti. (d)
1537. Martinus.
1538. Martinus.
1540. Martinus. (e)
1543. Martinus.
1544. Martinus.
1545. Martinus.
1546. Martinus.
1547. Martinus.

1548.

(a) Thesaurarius Regius, & Dalmatiæ, Croatiae, Sclavoniæque Banus.

(b) Ex Praeposito Sancti Sigismundi, simul Thesaurarius Regius. Sub eodem Stanislaus Kostka fuit Administrator Episcopatus.

(c) Postulatus Agrienſis.

(d) Cum Bathoriis cognatus, ut ex ejus Diario nondum vulgato conſtat.

(e) Ad hunc annum reperi nominatum Episcopum Joannem Lascum, forte ab Joanne Zapolya: qui tamen eodem anno in Poloniam se subdi- cens ad ſectarios Lutheri transferit.

1548. Martinus. (a)  
 1549. Paulus IV. Bornemisza.  
 1550. Paulus.  
 1552. Paulus.  
 1553. Andreas I. de Keyefs. (b)  
 1554. Andreas.  
 1556. Andreas.  
 1558. Andreas  
 1559. Andreas.  
 1560. Andreas.  
 1562. Andreas.  
 1563. Andreas.  
 1565. Andreas.  
 1567. Andreas.  
 1568. Joannes VII. Listhius (c)  
 1569. Joannes. (d)  
 1572. Joannes.  
 1573. Joannes. (e)  
 1578. Stephanus IV. Fehérkövy.  
 1580. Stephanus.

1581.

(a) Ardua Legatione in rebus Cæsarî ad Transsilvaniam, Bohemiam, Styriam, & Imperium Germanicum perfundiuit, ut patet ex ejusdem MS. Diario. Deinde ad sectarios transiit, Antonii Drugeth filia in matrimonium accepta.

(b) IV. Junii collatus illi Episcopatus.

(c) Vice Cancellarius Aulæ, prius autem Secretarius Hungaricus Ferdinandi.

(d) Confertur illi hoc anno Præpositura Thuriæ: & Joannes Sambucus Opera Jani Pannonii Viennæ primum vulgata eidem inscribit.

(e) Summus Cancellarius.

1581. Stephanus.  
 1582. Stephanus.  
 1583. Stephanus.  
 1584. Stephauus.  
 1586. Stephanus.  
 1587. Stephanus, (a) & XXII. Decembris eodem anno  
 1587. Franciscus I. Forgách de Ghymes.  
 1593. Franciscus.  
 1596. Franciscus (b) & XVII. Decembris eodem  
       anno  
 1596. Franciscus II. de Monoszloy.  
 1600. Andreas II. Monoszloy.  
 1601. Andreas. (c)  
 1602. Vacat III. Augusti.  
 1603. Vacat XV. Februarii.  
 1604. Ludovicus Ujlaky.  
 1607. Demetrius III. Napragy. (d)  
 1608. Franciscus III. Ergelius.  
 1609. Franciscus.

1610.

(a) VIII. Januarii Cameræ Præfectus declaratus. Suppleo hoc loco, quod supra in Strigoniensibus omisi. Nominatus est Strigonensis Archiepiscopus anno 1596. die VII. Junii, & prius, quam possessionem Archiepiscopatus adiit, XX. Novembris mortuus.

(b) X. Julii nominatus Nitriensis. Semel, iterumque, ac tertium excurrentis Græcum ad Societatem Jesu admitti petiit, sed repulsam passus, quod nobilissimo genere ortus, ac virtutum fama clarus, magis rei Christianæ in Episcopatu, quam inter privatos Religiosorum parietes profuturus esset. Ita Historia domestica Collegii Græcensis.

(c) XXVI. Junii in loco Archiepiscopi Strigonensis ad tractandum cum Turcis de pace decernitur, statuto in hunc finem 500. florenorum stipendio, mox ab obita Legatione Viennæ XI. Decemb. defunditus, ut Epi-taphium Posonii testatur: XI. Decembris Mathias Archi-Dux mandat Camera Posoniensi, ut res illius conscribantur.

(d) III. Maii vacat.

1610. Franciscus.  
 1611. Franciscus.  
 1613. Franciscus.  
 1615. Franciscus.  
 1616. Franciscus.  
 1617. Franciscus.  
 1618. Franciscus.  
 1622. Franciscus.  
 1624. Franciscus.  
 1625. Franciscus.  
 1627. Franciscus.  
 1628. Franciscus (*a*) & eodem anno  
 1628. Stephanus V. Sennyei. (*b*)  
 1629. Stephanus (*c*) & eodem anno  
 1629. Stephanus VI. Szentandrassy de Chikamade-falva. (*d*)  
 1630. Stephanus, & XXIV. Octobris eodem anno  
 1630. Paulus V. David. (*e*)  
 1631. Paulus.  
 1635. Georgius I. Lippay de Zombor. (*f*)  
 1636. Georgius.  
 1637. Georgius II. Jakuslich de Orbova.

1638.

(*a*) XI. Julii ad Zagrabensem traductus.(*b*) Ex Vacensi.(*c*) Aulae Cancellarius, & XXIV. Martii ad Jaurinensem translatus.(*d*) Ex Transsilvaniensi.(*e*) XXIV. Octobris ex Vacensi electus.(*f*) XV. Februarii.

1638. Georgius.
1642. Stephanus VII. Bosnyák de Magyarbél Cancellarius.
1643. Stephanus.
1644. Stephanus, (a) & V. Septembris eodem anno
1644. Georgius III. Szelepcshényi. (b)
1646. Georgius.
1647. Georgius.
1649. Georgius IV. Széchényi.
1650. Georgius.
1651. Georgius.
1655. Georgius.
1656. Georgius.
1657. Georgius.
1658. Georgius.
1659. Stephanus VIII. Sennyei de Kifs-Sennye.
1662. Stephanus.
1665. Stephanus.
1667. Stephanus.
1668. Stephanus.
1669. Stephanus.
1677. Stephanus.
1678. Stephanus.
1681. Stephanus.
1686. Stephanus.

1688.

(a) Traductus ad Nitriensem.

(b) Ex Electo V. Augusti Quinque-Ecclesiensi.

1688. Frater Paulus VI. Széchényi electus.  
 1698. Paulus. (a)  
 1700. Paulus.  
 1707. Paulus.  
 1710. Paulus, (b) & eodem anno  
 1710. Otto Joannes Bapt. Comes a Vołkra.  
 1715. Otto.  
 1723. Frater Emericus e Comitibus Eszterházy.  
 1726. Adamus Acsády, Cancellarius.  
 1729. Adamus.  
 1731. Adamus.  
 1741. Adamus.  
 1750. Martinus III. Biró.  
 1764. Ignatius Koller, de Nagy-Mánya.

Q q 2

EPI-

(a) Hoc anno & aliis deinceps titulum gessit Administratoris Episcopatus Vesprimiensis.

(b) Obiit XXII. Maji.



---

## EPISCOPATUS JAURINENSIS.

---

*S. Stephanus Rex Conditor Episcopatus.* Si extra dubitationem esset, Jaurinum veteri Bregetio respondere, vetustissima Jaurinensis Episcopatus incunabula haberemus. Sed id neque omnibus eruditis probatur, &c, si quæ isthic Episcope olim fuit, eam tot barbarorum incursionibus, quibus per illam ætatem Hungaria frequentabatur, obliterari, aut aliquod traduci oportuit, donec sub Stephano Rege lux Evangelii affulgens, ac sensim per Regnum propagata hanc quoque partem illustrasset. Nihil enim vereor affirmare, hujus etiam Episcopatus erectionem Stephano primo tribui oportere, tametsi nec fundationis litteræ exstant, nec tempus conditi Episcopatus satis exploratum habeam.

*Dioecesis amplitudo.* Prostat in extima templi parte, quæ Danubium respicit, imago cuprea vetustissimi, ut ex rudi forma conjicio, moduli, quæ Divum Stephanum pulvillo innixum, ac Ecclesiam Deiparæ Virgini in Cœlos assumtæ offerentem exhibet. Illi subscriptus est Annus

nus MXXXIII. quem aliqui natalem Episcopatus esse credunt: quod ut mihi ne persuadeam, id in causa est, quod & situs Diœcœeos, quæ Strigonensi, & Vesprimiensи contermina est, & Stephani zelus non patiuntur, eam plagam, ex qua Episcopatus conflatus est, tamdiu cura pastorali destitutam fuisse. Itaque laudato anno Ecclesiam ad fastigium adductam, non item Episcopatum conditum, indicari reor. Alioquin eodem anno, hoc est, MIX. quo Quinque Ecclesiensis, & Vesprimiensis Episcopatus conditi sunt, Jaurinensem quoque erectum fuisse suadet in primis illud, quod litteræ fundationis Episcopatus Quinque Ecclesiensis Jaurini datæ sunt, tum quod Diœcœsis Vesprimiensis limites ad occasum definiri non potuerint, nisi eodem tempore Sanctus Stephanus terminos Jaurinensi Episcopatui constituisset. Hac ratione Jaurinensis Diœcœsis intra Comitatus Jaurinensem, in quo olim Provincia Szolgagyöriensis erat, tum Mosoniensem, Soproniensem, & Castriferrei concluditur, præter Cathedrale Capitulum, etiam Collegiatum Castriferrei suo ambitu complexa. Ceterum etsi Divo Stephano primæ debentur in condito hoc Episcopatu, nonnullæ ad ejus splendorem postea ab ceteris etiam Regibus accessiones factæ sunt, quin privatos quoque illo symbolam suam contulisse liquet, inter quos familia Hedervariorum, ex quibus Comites Viczaii originem ducunt, præcipua fuit, quod quamquam grati animi, & honoris

causa memoro, tamen mihi compendia fœtanti prætermittendum potius, quam operose hoc loco regendum videtur.

*Chronota-  
xis primo-  
rum Epi-  
scoporum.*

Qui primus, & post hunc alii Ecclesiam hanc seculo XI. regendam acceperint, quod Fundationis Literæ nusquam proditæ, & Instrumenta litteraria hujus perrara sint, in obscuro est. Sunt, qui Modestum sedi Jaurinensi primum præfuisse velint, (a) & anno MXLVIII. superstitem ex Diplomatibus ad hanc ætatem spectantibus contendant. Hæc narratio non levem mihi suspicionem ingerit, quod Beneth Episcopi Nitriensis simul commeminit, cuiusmodi ea ætate nullum fuisse, ex Regis Colomanni Decretis fere certum est. Ceterum si Diplomata Annorum MXLVII. & VIII. quæ rariora omnino, quam ævi D. Stephani sunt, Modestum Jaurinensium Antistitem habent, nihil vetat, cur is non primus eam Sedem rexerit, ac ætatem ad laudatum annum potuerit adducere. Hujus successorem Nicolaum Bonfinius non obscure designat, (b) cum ejus præcipue opera pacem inter Henricum Imperatorem, & Andream Regem confectam scribit, dum ille Posonium aqua, terraque frustra oppugnaret: Idemque citra dubium est, qui tabulis fundationis Abbatiae de Tyhon ad Annum MLV.

sub-

(a) PETERFY Concil. Hungar. Part. I. pag. 12.  
(b) Dec. II. Lib. II.

subscriptus legitur. Ab hoc Bonfinius Desiderium memoriæ prodidit, qui dissidia inter Salomonem Regem, & Geysam, ac Ladislaum Duces oborta composuerit. Speculum Jaurinensis Ecclesiæ (a) hunc ad Colocensem sedem Anno MLXXV. traductum suspicatur, diserteque Archiepiscopi nomine litteris fundationis Abbatiae Sancti Benedicti juxta Granum amnem adscriptum refert. Series Archiepiscoporum Strigoniensium eundem Desiderium Jaurinensi primum, postea Colocensi Ecclesiæ Archiepiscopi nomine præfuisse, ac denique anno MLXXVIII. ad Strigonensem Cathedram promotum memorat. (b) Neutrum mea quidem opinione satis rite consignatum est. Nec enim anno MLXXV. Colocensis fedes honore Archiepiscopatus insignita fuit, ut alias ostendi, & deinceps quoque planum faciam: Nec Tabulæ Fundationis Abbatiae Sancti Benedicti juxta Granum, quas in transumto authentico legi, Desiderium Archiepiscopi, sed Episcopi solum nomine subscriptum exhibent. Itaque Desiderium Jaurinem omnino alium a Colocensi fuisse oportuit, quemadmodum etiam ab Strigonensi Archiepiscopo Desiderio distinctum fuisse prope certum est. Strigonensis enim jam anno MLXXVIII. sedisse, & huic Acha anno MLXXXV. successisse dicitur; Colocensem Desiderium contra adhuc anno MXCVI. pri-

sti-

(a) Jaurini anno 1747. editum pag. 41.

(b) Nicolaus SCHMITT. pag. 37.

stinam Cathedram retinuisse, ex litteris Regiis certum  
habeo, ut adeo Desiderius Jaurinensis Episcopus, nec  
inter Colocenses Præfules, nec Strigonienenses Archi-  
episcopos locum unquam habere potuerit. Dehinc  
Arduinus, aut, quod ego malim, Harduinus inter Jau-  
rinenses Antistites censetur, quem Gaufredus Mona-  
chus, *Malaterra* dictus, anno MXCVII. pro Sponsa  
Colomanno Regi, Filio Ladislai, adducenda in Siciliam  
ad Rogerium Comitem missum fuisse perhibet. (a)  
Hunc ad annum MCIII. in Diplomate Colomanni  
Regis *Episcopum Javariensem* reperi. Istius successor  
probabilius fuerit Georgius, quem Diploma Colomanni  
Regis Arbeni Ecclesiæ in Dalmatia Anno MCXI.  
datum, *Georgiensem*, forte rectius *Georiensem*, di-  
ferte exprimit. Hunc Speculum quoque Jaurinensis  
Ecclesiæ memorat, (b) sed illius successores ve-  
hementer confundit. Nam Gervasio, qui Georgium  
omnino sequutus est, confessim Mikuvinum, quem in-  
strumenta litteraria, quæ vidi, Micudinum dicunt,  
septimo in serie loco substituit, & huic octavum sub-  
rogat Ugrinum. Magnus hic hiatus est. Gervasio  
enim ad annum MCXXXVIII. si non prius, substi-  
tuendus erat Paulus, huic anno MCXLIII. Zachæus,  
isti anno post quinto Antonius *Regiæ Curiae curam*  
*gerens*, quem Gervasius hujus nominis II. excipit, in  
di-

(a) Lib. IV. Cap. XXV.

(b) Laudat. Oper. pag. 42.

Diplomate anni MCLVI. expressus, istum denique Mycudinus Anno MCLXXXIII. qui ab Auctore speculi Ecclesiæ Jaurinensis male Gervasio I. subrogatus est, qui error ob similitudinem nominis, & Diplomatū penuriam facile obrepere potuit. Nec nihil erratum est in Ugrino, quem ejusdem Speculi Auctor (a) ad Colocensem Archiepiscopatum translatum scribit, idque ad Annum MCCII. affigit. Utrobique mendum cubat. Ugrinus enim, qui ad annum MCLXXXVIII. Ecclesiam Jaurensem jam rexerat, in Diplomate Anni MCCIV. aperte Jauriensis Episcopus, & Archielectus Strigoniensis dicitur, estque idem, qui sub Nominе Guilielmi, id enim nobis Ugrinum notat, biennio Ecclesiæ Strigoniensi præsuit, minime cum illo Ugrino confundendus, qui anno MCCXVIII. Bertholdo ad Patriarchatum Aquilejensem traducto, Colocensem Cathedram tenuit. In ipso etiam Anno MCCII. Auctoris Speculi Jaurinensis geminus error latet: tum quod Andream II. hoc Anno jam rexisse ait, tum quod Joannem, qui anno adhuc MCCV. Colocensis erat, inter Strigonienses Archiepiscopos censet. Ugrinum Petrus recte apud Auctorem laudati Speculi sequitur: at Georgius valde occupatus est. Hujus enim locum Gregorius, tum Benedictus, & post hunc Georgius tenere debet, ut ex subjecta Episcoporum serie, quam ex diplomatis continuavi, cuivis perspicuum fiet.

EPI-

---

E P I S C O P I  
J A U R I N E N S E S.

---

*Annus Christi.*

- 1009. Modestus.
- 1055. Nicolaus I.
- 1064. Desiderius.
- 1103. Harduinus.
- 1111. Georgius. I.
- 1113. Georgius.
- 1119. Gervasius. I.
- 1133. Gervasius.
- 1138. Paulus. I.
- 1139. Paulus.
- 1143. Zachæus.
- 1148. Antonius. (a)
- 1156. Gervasius II.
- 1157. Gervasius.
- 1169. Gervasius.
- 1183. Mycudinus.
- 1186. Mycudinus. (b)

1188.

---

(a) *Regiae Curiae curam gerens*, ita diserte in hujus anni diplomate legitur.

(b) Hoc anno in litteris Regiis lego *Myculinum*, atque id forte verum nomen fuerit, ex Hungarico *Miklós*, quod Nicolaum valet, oratum.

1188. Ugrinus.  
 1190. Ugrinus. (a)  
 1193. Ugrinus.  
 1197. Ugrinus.  
 1198. Ugrinus.  
 1199. Ugrinus.  
 1201. Ugrinus.  
 1202. Ugrinus.  
 1204. Ugrinus. (b)  
 1206. Petrus I.  
 1207. Petrus.  
 1208. Petrus.  
 1209. Petrus.  
 1210. Petrus.  
 1211. Petrus.  
 1212. Petrus.  
 1215. Petrus.  
 1217. Petrus.  
 1218. Petrus.  
 1219. Cosmas.  
 1220. Cosmas.  
 1221. Cosmas.  
 1222. Cosmas.  
 1224. Gregorius.  
 1225. Gregorius.

R r 2

1229.

(a) In Transumto Litterarum Belæ III. de anno 1190. legitur *Ve-*  
*rinus*: forte error fuerit transumtis.  
 (b) *Archielectus Strigoniensis.*

1229. Gregorius.  
 1230. Gregorius.  
 1231. Gregorius.  
 1233. Gregorius.  
 1234. Gregorius.  
 1238. Gregorius.  
 1242. Benedictus I. ex Varadiensi postulatus. (a)  
 1244. Vacat. VIII. Calen. Decembris.  
 1246. Georgius II.  
 1247. Artolphus. (b)  
 1251. Artolphus.  
 1252. Artolphus.  
 1254. Homodeus.  
 1256. Homodeus.  
 1263. Georgius III.  
 1268. Farkassius. (c)  
 1271. Dionysius.  
 1272. Dionysius.  
 1273. Dionysius.  
 1274. Dionysius.  
 1275. Dionysius.  
 1276. Dionysius.

1277.

(a) Non videtur tamen ad Jaurensem Sedem traductus, cum hæc Anno 1244. vacaverit, Benedictus autem eodem Anno Varadiensi Cathedra præfuerit.

(b) Alias etiam Arcolphus scribitur.

(c) In litteris Regiis jam ab Anno 1263. dicitur electus Zagrabiensis, forte propterea, quod Bela IV. Timotheum, qui provisione Pontificia Ecclesiæ Zagrabiensi præfetus est, noluerit Episcopum agnoscere, illaque ad tuendum suum Jus Patronatus opposuerit Farkassium.

1277. Dionysius.  
 1279. Dionysius.  
 1280. Dionysius.  
 1281. Dionysius.  
 1290. Andreas.  
 1291. Andreas.  
 1292. Andreas.  
 1294. Benedictus II.  
 1296. Thomas I. Vice-Cancellarius.  
 1297. Thomas.  
 1304. Nicolaus II.  
 1308. Nicolaus.  
 1309. Nicolaus.  
 1313. Nicolaus.  
 1317. Nicolaus.  
 1318. Nicolaus.  
 1320. Nicolaus.  
 1321. Nicolaus.  
 1322. Nicolaus.  
 1323. Nicolaus.  
 1324. Nicolaus.  
 1325. Nicolaus.  
 1326. Nicolaus.  
 1327. Nicolaus.  
 1329. Nicolaus.  
 1333. Nicolaus.  
 1334. Nicolaus.

1335. Nicolaus.  
 1336. Nicolaus.  
 1338. Colomannus.  
 1342. Colomannus.  
 1345. Colomannus.  
 1346. Colomannus. (a)  
 1347. Colomannus.  
 1349. Colomannus.  
 1350. Colomannus.  
 1351. Colomannus.  
 1352. Colomannus.  
 1353. Colomannus.  
 1354. Colomannus.  
 1355. Colomannus.  
 1356. Colomannus.  
 1357. Colomannus.  
 1358. Colomannus.  
 1359. Colomannus.  
 1360. Colomannus.  
 1361. Colomannus.  
 1362. Colomannus.  
 1363. Colomannus.  
 1364. Colomannus.  
 1365. Colomannus.

1366.

(a) Auctor Speculi Ecclesiae Jauriensis ad hunc Annum collocat Vilhelnum, cuius Privilegium, quo possessio Episcopalis Révſalu confirmatur, fe vidisse affirmat. Id si ita habet, oportuit duos Colomannos suissè, quorum series per Vilhelnum intercepta sit.

1366. Colomannus.  
1367. Colomannus.  
1368. Colomannus.  
1369. Colomannus.  
1370. Colomannus.  
1373. Colomannus.  
1376. Petrus II.  
1378. Guilielmus. (a)  
1379. Guilielmus.  
1380. Guilielmus.  
1381. Guilielmus.  
1382. Guilielmus.  
1383. Guilielmus.  
1384. Guilielmus.  
1387. Joannes I. de Bedrichma.  
1388. Joannes.  
1389. Joannes.  
1391. Joannes.  
1392. Joannes.  
1393. Joannes.  
1394. Joannes.  
1395. Joannes.  
1397. Joannes.  
1399. Joannes.  
1400. Franciscus I. (b)

1401.

(a) Alias etiam Willermus, &amp; Vilhelmus scribitur.

(b) Hunc Aucto*r* Speculi Ecclesiae Jaurinensis ex MSS. Telekessianis sumis*t*.

1401. Joannes II.  
 1404. Joannes.  
 1405. Joannes.  
 1406. Joannes.  
 1407. Joannes.  
 1409. Joannes.  
 1410. Joannes.  
 1411. Joannes.  
 1412. Joannes.  
 1413. Joannes.  
 1414. Joannes.  
 1415. Joannes.  
 1418. Vacat.  
 1419. Clemens. (a)  
 1420. Clemens.  
 1423. Clemens.  
 1424. Clemens.  
 1426. Clemens.  
 1427. Clemens.  
 1429. Clemens.  
 1430. Clemens.  
 1431. Clemens.  
 1432. Clemens.  
 1434. Clemens.  
 1435. Clemens.  
 1437. Clemens.

1439.

1439. Benedictus III.

1440. Benedictus. (a)

1443.

(a) Pater Martinus Szentivanus in Catal. Episcoporum Jaurinensium, ad hunc annum locat Georgium, Bonfinius contra Benedictum. Atque hoc rectius est, ut patet ex Litteris Elisabethæ Reginæ Anni 1439. quibus fidem facit, Coronam Regni, ab illius Custode in præsentia Procerum sibi in manus traditam esse. Exscribo illas ex Autographo.

„ Nos Eli-  
 „ zabeth Dei Gratia Reginæ Hungariae, Dalmatiæ &c Austrïaque, & Sti-  
 „ riæ Ducissæ, nec non Marchionissa Moraviæ &c. Recognoscimus, & pro-  
 „ fitemur per præsentes, quod quia fidelis noster, Magnificus Georgius  
 „ de Bozyn Sacram hujus Regni Nostri Hungariae Coronam pridem per  
 „ quondam Serenissimum Principem, Dominum Albertum, Romanorum, ac  
 „ Hungariae &c. Regem, Dominum & Conthoralem nostrum carissimum,  
 „ sub suo ac ceterorum Prælatorum, & Baronum dicti Regni Nostri Hun-  
 „ gariae Sigillis sue fidei conservationi traditam, & assignatam, Majestati  
 „ Nostræ simul cum omnibus paramentis, & attinentiis ad coronationem  
 „ corquisitis, sub dictis quondam Domini Nostri Regis, ac Prælatorum,  
 „ & Baronum Sigillis sine defectu aliquali, in præsentis fidelium Nostro-  
 „ rum, Reverendi in Christo Patris, Domini Benedicti Episcopi Ecclesiæ  
 „ Jauriensis, ac Magnificorum Defeu de Lofoncz, Vayvodæ Transsilva-  
 „ ni, Comitis Stephani de Bathor Judicis Curiæ Regiæ, Michaëlis Laakch  
 „ de Kusal & Francisci de Chaak Comitum Siculorum nostrorum, Ste-  
 „ phani de Rozgon alias Comitis Themesiensis, Joannis filii Comitis Petri  
 „ de Peren, Georgii K - - - (exesa membrana fuit) de Corbavia (forte  
 „ Keglovich) Magistri Curiæ, Thomæ de Zeech Thesaurarii Nostræ Maje-  
 „ statis, & Michaëlis filii Stephani de Zend, tradidit, & assignavit. Ideo  
 „ Nos ipsum Georgium Grof de Bozyn superinde quittum, & expeditum  
 „ reddimus, atque absolutum præsentium vigore, & testimonio mediante.  
 „ Datum Wissegradini feria II. proxima ante festum Beati Martini Epi-  
 „ scopi, & Confessoris, Anno Domini Millesimo, Quadragesimo tri-  
 „ cesimo nono.

„ Et Nos Benedictus Jauriensis Episcopus, ceterique Barones præ-  
 „ titulati, Coronæ, & paramentorum prædictorum pro coronatione Re-  
 „ gum requisitorum restitutioni per dictum Georgium Grof de Bozyn fa-  
 „ctæ fatemur interfuisse, & præsentes extitisse. Datum loco, die, &  
 „ anno quibus supra „



(L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.)

1443. Joannes III. de Dominis. (a)  
 1446. Joannes (b)  
 1450. Thomas II. de Debrenthe. (c)  
 1455. Augustinus.  
 1457. Augustinus.  
 1459. Augustinus.  
 1464. Augustinus.  
 1465. Augustinus.  
 1466. Vacat IX. Calendas Aprilis.  
 1467. Demetrius Csupor. (d)  
 1468. Demetrius.  
 1469. Demetrius.  
 1473. Demetrius.  
 1474. Demetrius.  
 1475. Demetrius.  
 1478. Demetrius.  
 1479. Demetrius.  
 1481. Vacat.  
 1483. Urbanus.

1484.

(a) In pugna ad Varnam cæsus.

(b) Laudatus Szentivanyi huic anno tribuit Antonium, sed ex Epistolis a Joanne de Zredna vulgatis patet Joannem, qui alias ab Joanne de Dominis fuerit, hunc locum occupare.

(c) Commendatarius Sacri Montis Pannoniae. Hunc Auctor Speculi Jaurinensis Ecclesie ad annum 1480. facit Episcopum Nitriensem, &amp; Abbatem Sexardiensem; quod vix est credibile. Nam Thomas Nitriensis iam ab anno 1464. huic Cathedra præsedidit: Thomas autem Jaurinensis ante annum 1455. quo Augustinus Jaurinensem sedem tenuit, ad Nitriensem non potuit transferri, quod eodem anno 1455. ab anno 1447. Nicolaus Nitriensi sedi præfuerit.

(d) V. Cal. Julii.

1484. Urbanus. (a)
1486. Urbanus.
1489. Urbanus.
1490. Thomas III.
1491. Thomas.
1492. Thomas.
1493. Thomas. (b)
1494. Thomas.
1495. Franciscus II.
1498. Franciscus.
1500. Franciscus.
1501. Franciscus.
1504. Franciscus.
1505. Franciscus.
1506. Franciscus.
1508. Franciscus.
1510. Joannes IV. Gofzthon de Felsö-Zelesthe. (c)
1511. Joannes.
1513. Joannes.
1518. Joannes. (d)

S s 2

1526.

(a) Thesaurarius Regius.

(b) Hoc, &amp; sequente anno postulatus Agriensis.

(c) Vice - Cancellarius.

(d) Huic Successorem Auctor Speculi Ecclesiae Jaurinensis tribuit Ge-  
orgium Szakmary his verbis : *prius Episcopus Quinque - Ecclesiensis,  
dein Episcopus Jaurinensis, demum Anno 1521. Archiepiscopus Stri-  
goniensis ; Obiit Anno 1529. Ita Ladislaus Szörényi Episcopus Syr-  
miensis. Pleraque hic errata sunt, ut patet ex iis, quæ ad Seriem Archi-  
episcoporum Strigonensium, & Quinque - Ecclesiensium Antistitum nota-  
vimus.*

1526. Blasius Paxy. (a)
1528. Vacat Calendis Januarii.
1533. Vacat Sabbatho proximo post festum Beati Marci Evangelistæ.
1539. Franciscus III. Ujlaky.
1542. Franciscus.
1543. Franciscus.
1544. Franciscus.
1549. Franciscus Locumtenens Regius.
1550. Franciscus. (b)

1553.

---

(a) In Clade Mohaciana eodem anno cæsus. Ab hoc, ut scribit Istvanius Hist. Lib. XII. Paulus Bakicsius militari licentia proventus Episcopatus invasit.

(b) Proceres in Conventu Regni, ubi de conservanda avita Religione agunt, consilio in primis Francisci ducti, de confirmandis per sedem Apostolicam Episcopis hoc decretum condiderunt. „ Videtur autem illud apprime esse necessarium, ut quo Episcopi tum per se, tum vero suos ad id delectos Vicarios, ac ceteros Ministros munia ipsorum rite possint obire, cum plerique ex ipsis Episcopis a Regia Majestate tum antea, tum proximis temporibus ad id munieris electi, nondum sint a Sancta Sede Apostolica confirmati, ac proinde impares sint ad praestandum ea omnia, quæ ipsorum Officio incumbunt, Majestas Regia dignetur primo quoque tempore, præcipuo aliquo Oratore suo missò, diligenter instare, & efficere apud futurum summum Pontificem, ut gratuitam confirmationem Episcoporum a sua Majestate electorum in Regno Hungariae, nec non Suffraganeorum aliquot in locis necessariorum clementer largiri, & in manus suas Majestatis expeditas Bullas hujusmodi liberaliter mittere dignetur, ut eas Majestas sua Episcopis ipsis, ad quos spectaverint, benignè distribuere, & illi hoc modo confirmati, Munus suum Pastorale valeant postmodum liberius exercere. Constat etenim calamitosis his temporibus, quibus Regnum armis hostilibus diu vexatum est, Episcopatum reditus, ac Bona, vel majori ex parte imminuta esse, vel si quæ adhuc super sunt, in usum ad conservandas Arces finitimas vix sufficere, nedum ad quotidianas necessitates Episcoporum pro dignitate satis esse; usque adeo, ut quæ olim Annatae pro hujusmodi confirmationibus in Urbe pendi solitæ erant, haudquaque vel minima ex parte hoc tempore videantur posse conflari; atque ita interim multa negligentur, in „ qui-

1553. Paulus II. de Gregoriancz.  
 1554. Paulus  
 1556. Paulus.  
 1558. Paulus.  
 1559. Paulus.  
 1562. Paulus.  
 1563. Paulus.  
 1565. Paulus.  
 1567. Zacharias **Cardinalis Delphinus, Gubernator Jaurinensis.**  
 1568. Zacharias.  
 1569. Zacharias. (a)  
 1573. Vacat III. Januarii, & XXI. eodem anno  
 1573. Joannes V. Listhius.  
 1574. Joannes.  
 1575. Joannes.  
 1576. Joannes.

S s 3

1577.

„ quibus pietatem, & Religionem pessimum est, quemadmodum „ hactenus ob hanc causam multis in locis contigisse res ipsa edocait. Si „ quidem consecratorum Episcoporum inopia, qui vel saltē Ordines im- „ partirent, Presbyterorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiae mira pauci- „ tas, orbitasque in multis Regni partibus est subsecuta, atque hinc fa- „ cilior pravis dogmatibus aditus fuit.

(a) Ordinibus Regni invisi, ut patet ex Artic. XXXV. ejusdem anni, qui sic habet: *De Episcopatu Jaurinensi ad longum declararunt Status causas, propter quas illum personæ Ecclesiastice Hungaræ, & bene merita conferri postulant. Quia in re cum Sacra Majestas Sua se supplicationes fidelium suorum clementem rationem habituram, & ita provisuram gratiose obtulerit, ut Regnicolæ sibi satisfactum sentiant, nec ulterius conquerendi causam habeant, supplicant Status, & Ordines, ut hoc absque longiori mora, & cum effectu facere dignetur, ne causam habeant, prouti protestati sunt, Decimas Domino Cardinali omnino denegare.* Quas querelas cum Status crebro ingererent, Cardinalis Episcopatu sponte se abdicavit.

1577. Joannes.
1578. Vacat XXII. Februarii, & XVI. Aprilis eodem anno
1578. Georgius IV. Drafscovich simul Colocensis Archiepiscopus.
1579. Georgius. (a)
1580. Georgius.
1581. Georgius. (b)
1582. Georgius, simul Cancellarius.
1583. Georgius.
1584. Georgius.
1585. Georgius, simul Cardinalis.
1586. Georgius.
1587. Georgius, (c) & XX. Octobris eodem anno
1587. Petrus III. Heresincy. (d)
1588. Petrus.
1590. Petrus. (e)
1593. Joannes VI. Kutaffy Cancellarius.
1594. Joannes.
1598. Martinus Pethe de Hetes. (f) 1600.

(a) Hoc Anno Synodus celebrata Sabariæ, cuius Acta Pragæ impressa sunt. Locus hic me admonet homonymi Drafscovichii, de quo supra in Quinque Ecclesiensibus scripsi, ab eo Laettantium in Hungaricam linguam traductum, cum Vincentii Lirinensis Commonitorium Fidei pro Laetatio scribendum erat.

(b) Jussu Regis ad Generalem Sclavoniæ Conventum litteris XI. Aprilis datis abiit.

(c) Obiit Mense Januario.

(d) Cancellarius, & ex Zagrabiensi Sede traductus.

(e) Eodem Anno mortuus.

(f) Ex Varadiensi XVI. Aprilis nominatus, simul Praepositus Scopensis, & Cancellarius.

1600. Martinus.  
 1602. Martinus, simul Colocen.  
 1603. Martinus.  
 1604. Martinus.  
 1607. Demetrius Napragy. (a)  
 1608. Demetrius simul Colocen.  
 1609. Demetrius.  
 1610. Demetrius.  
 1613. Demetrius.  
 1614. Demetrius.  
 1617. Demetrius.  
 1618. Demetrius.  
 1622. Valentinus Lépes simul Colocen. (b)  
 1623. Nicolaus III. Dallos. (c)  
 1624. Nicolaus.  
 1625. Nicolaus.  
 1626. Nicolaus.  
 1627. Nicolaus.  
 1629. Nicolaus.  
 1630. Nicolaus, & XXIV. Martii eodem anno  
 1630. Stephanus Sennyei de Kiss-Sennye. (d)  
 1631. Stephanus.  
 1634. Stephanus.  
 1635. Stephanus, & XXII. Octobris eodem anno.

1635.

(a) X. Aprilis ex Vesprimensi.

(b) XXII. Julii.

(c) Ex Vaciensi translatus.

(d) Ex Vesprimensi.

1635. Georgius V. Drascovich. (a)  
 1636. Georgius.  
 1637. Georgius.  
 1638. Georgius.  
 1643. Georgius.  
 1646. Georgius.  
 1647. Georgius.  
 1649. Georgius.  
 1650. Georgius.  
 1651. Joannes VII. Püsky, simul Colocensis.  
 1655. Joannes.  
 1658. Georgius VI. Széchényi.  
 1659. Georgius.  
 1662. Georgius.  
 1665. Georgius.  
 1667. Georgius.  
 1668. Georgius simul Colocensis.  
 1669. Georgius.  
 1677. Georgius.  
 1678. Georgius.  
 1681. Georgius. (b)  
 1685. Leopoldus a Kollonics.  
 1686. Leopoldus.  
 1688. Leopoldus.

1694.

(a) Ex Vaciensi traductus.

(b) Hoc Anno XXIV. Aprilis in Templo Collegii Viennensis quinqueagenarius Sacerdos rursum Primitias Deo ad aras obtulit.

1694. Leopoldus. (a)  
 1696. Christianus Augustus Dux Saxoniae. (b)  
 1698. Christianus Cardinalis.  
 1700. Christianus.  
 1707. Christianus.  
 1717. Christianus.  
 1723. Christianus.  
 1725. Christianus (c) & eodem anno  
 1725. Philippus Ludovicus C. a Sinzendorf.  
 1729. Philippus Ludovicus C. a Szinczendorf Car-  
 dinalis.  
 1733. Adolphus a S. Georgio. (d)  
 1743. Adolphus, & eodem anno  
 1743. Comes Franciscus IV. Zichy de Vásonkö. (e)

EPI-

(a) Anno sequente factus Strigoniensis.

(b) XXV. Maji nominatus.

(c) XXIII. Augusti mortuus.

(d) Ex Ordine Clericorum Regularium de Piis Scholis assumptus.

(e) Fuit vivo etiamnum Adolpho datus Coadjutor, quo. Mense No-  
 vembri, defuncto, successor declaratus est. Anno MCCCLXXIV. die  
 XV. Augusti, instaurato Templo Cathedrali, quinquagenarius Sacerdos  
 Hostiam Deo obtulit insigni ex toto regno concurrentium frequentia, ma-  
 gna Cruce Ordinis S. Stephani Regis ab AUGUSTA in eundem finem, &  
 Casula, quam suismet AUGUSTA manibus operata est, donatus.

---

## E P I S C O P A T U S V A C I E N S I S.

---

*Examinan-  
tur vario-  
rum opinio-  
nes de con-  
dito Episco-  
patu.*

**P**lerorumque opinio est, Vacensem Episcopatum ab Geyfa I. Ladislai fratre conditum fuisse, quæ cum sola fere Thuroczii narratione nitatur, nondum omnibus satisfecit. Istius hæc naratio est: Geysam, cum non longe Vacio exercitum cum fratre Ladislao adversus Regem Salomonem compararet, per Angelum ex Cœlo delabi visum, Corona aurea incinctum esse, quod Ladislaus, qui Angelum viderat, omen victoriæ interpretatus fratri aperuerat, hic autem re comperta, si, ait, *Dominus Deus fuerit nobiscum & custodierit nos ab inimicis nostris, & visio hæc fuerit adimpta, ædificabo hic in loco isto Ecclesiam Sacratissimæ Virgini Mariæ, Genitrici ejus.* (a) Rursum narrat, ubi Geyfa victoria potitus, voti exolvendi causa illo, ubi nunc Vacuum est, venisset, cervum, cuius cornua ardentibus candelis plena erant, eidem se aspectabilem præbuisse, quo admonitu in eodem loco Ecclesiam in honorem B. Petri Principis Apostoli-

Iorum a fundo deinceps extrui curarit. Quibus in hæc verba subjungit: *Rex igitur Geysa fundavit Ecclesiam Vaciensem, & dotavit eam prædiis multis, & possessiōnibus: non autem solum Ecclesiam illam, verum etiam Budensem, cui constituit Tributum de Pesth.* (b) Nihil, quas memorat, visiones moror: confici autem rite hinc posse, Episcopatum Vaciensem ab Geysa I. eretum, non puto. Ecclesiam solum Vaciensem fundatam, dotatamque, & eum quidem in modum, quo Budensem, Thuroczius affirmat; quo satis, ut reor, declarare videtur, ut Budensis Ecclesiæ initia D. Stephano, ita Vaciensis quoque eidem tribui oportere, dotationem vero, & ampliationem fundorum Episcopatus Vaciensis ad Geysam spectare. Nam quod Thuroczius memorat, locum, ubi nunc Vacuum Urbs est, desertum, & silvis obsitum fuisse, a vero valde abhorret, quod & loci positus situ opportunus, in Budæ veteris, & Strigonii vicinia tamdiu hominibus vix potuerit esse incultus, & jam multo ante Romanorum Coloniam isthic fuisse non modo Lapidum, qui eruti sunt, Inscriptiones, sed nummorum quoque Romanorum non infrequens copia probabiliter arguat. Nec ab structura Cathedralis Ecclesiæ consecutionem ad fundatam Episcopen semper valere, id documento est, quod non omnia cunctestim ad finem ab Stephano adduci potuisse ex Episcopatu Morusino, seu Chanadi-

ensi, tum inscriptione Jaurinensis Basilicæ, cuius supra memini, facile confit.

*Qui initia sua probabilius D. ut Pazmanus prodit (a) totam Pestensem, Solnokiensem exteriorem, Chongradiensem, & partem Neogradiensis provinciæ, omnino suadet, Episcopatum hunc ab D. Stephano fere eodem tempore conditum, quo Strigonensem, & Agriensem, utrique enim confinis est, erexerat, quod non sit verisimile, hanc insignem Regni portionem ab Rege propaganda Religionis Christianæ flagrantissimo Episcopali curæ non commissam fuisse, nisi quis forte existimare velit, tam longe porrectum Episcopatum ex finitimis Dicecesibus, ut ita dicam, excisum, ac in unam compagem serius postea conflatum esse, quod ut sine Instrumenti fide, aut memoria ab antiquis veluti per manus tradita dicitur, ita nullo negotio, & suopte refellitur. Quid quod ipse ~~Bela~~ Rex in litteris fundatæ ab se Abbatiae Sancti Benedicti juxta Gron, satis aperte videatur declarare, Episcopatum Vacensem prius, quam rerum summam im Hungaria adeptus esset, jam fuisse erectum. Ad id illustrandum necesse est, ut ea, quæ hoc pertinent, ex fundatæ Abbatiae Tabulis adducam.*

*(b) In Nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis,*

*(a) In Append. I. Synodi Tyrnaviensis.*

*(b) Ex transumpto autographo Maximiliani II. Datum Tirnavie sabbatho proximo post festum Beatorum Viti, & Modesti Martyrum, anno Domini MDLXX.*

tis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego magnus, qui & Geysa, supremus Hungarorum Dux, (a) postea vero Gratia Dei Rex consecratus, Belæ Regis Filius, cernens hujus saeculi bona esse momentanea, superna autem esse perpetua, magno amoris desiderio Ecclesiam construere adoptavi, ad laudem Dei, & Sanctæ Mariæ semper Virginis, sanctique Benedicti, purissimi Monachorum patris, ac Ducis, illique, favente Deo, Monasterium constitui. Igitur ipso opitulante, qui omnia fecit, ad praedictum Sancti Benedicti Monasterium Hæreditates in terris cultis, & incultis, vineis, ac vinentis, pratis, ac pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscinis, & piscaturis, servis, & ministris, atque tributis, ceterisque bonis subsequentibus contuli, atque dedi. Et hoc omnibus Episcopis, Abbatibus, nec non & Principibus Regni nostri notum fieri volui. Terram, per cuius medium transit flumen, quod vocatur Gron, ubi etiam Ecclesiam B. Benedicti construxi, (b) cum silvis, venationibus, aquis, pescationibus, cumulationibus, (c) ac omnibus commoditatibus, utilitatibusque in praedictis silvis, aquis & terra, quæ nunc sunt, & in futurum fieri poterunt, dedi cum propriis certis metis,

T t 3

&amp;

(a) An illo appellet hoc nomine, quod in geminis Gregorii VII. Epistolis Dux, non item Rex appelletur, an, quod Salomone rerum potiente Dux cum Fratre Ladislao fuerit Transsilvaniæ, ut Thuroczius videtur indicare, non est satis exploratum. Ego istud mavelim, quod se Dei non item Pontificis gratia Regem consecratum dicit.

(b) Hoc est, construere designavit, ut supra ait, Ecclesiam construere adoptavi.

(c) Forte hoc nomine Decimæ veniunt.

& terminis. Prima igitur meta seu terminus est, rupes, ad quam per quoddam vadum juxta villam castrensum de Borzu Brajan nomine transitur -- (a) Descriptis deinde aliorum fundorum limitibus, ita porro habet. Dedi, & aliam terram circa eandem aquam Tiza, quæ vocatur Alpar, cum propriis terminis ita dividuntur: primum a ripa Tizæ procedendo ad quasdam arbores est terminus cum Episcopatibus Sanctæ Mariæ Vaczensis Civitatis: de praedicto termino -- est Sanctæ Mariæ Vaczensis; dextra autem pars devenit in partem Sancti Benedicti ---- ubi finiuntur partes Cseringradensium (b) Civium -- Deinde partes dividuntur inter Comitatum Cseringradensium, & Episcopatum Sanctæ Mariæ Vaczensis. Clausula hujusmodi est. Anno Domini Millefimo septuagesimo quinto. Præsente Ladislao Duce Germano meo Charissimo, Nehemia Archiepiscopo Strigonensi existente, Desiderio Episcopo Coloniensi, aliisque Episcopis, scilicet Aron Episcopo, Francone Episcopo, Lazaro Episcopo, Episcopatus suos feliciter gubernantibus. Iulæ Comite Palatino, ceteris-  
que

(a) Hic bene multa interseruntur notatu non indigna. Afferam pauca. Villam Hudvocziensium Bissenorum donans, ait, ubi & curiam meam & Capellam, quæ in Honorem Sancti Martini est, dedi. Nox: in Kochot -- dedi unum aurificem Nesku cum Fratribus suis -- paulum post: in piscina, quæ Voyosor vocatur, dedi duas partes, nam pars tertia est Abbatissæ de Tormova in confinio Bihor Civitatis. Forte id ab valle de Veszprem alterum fuerit Sanctimonialium in Hungaria Coenobium.

(b) Suspicio Csongradensium.

*que Regni mei Principibus. - - (a) Ex quibus non male puto, confieri, Episcopatum Vaciensem prius erectum fuisse, quam Abbatia Sancti Benedicti juxta Granum amnem fundaretur, itaque merito ejus incunabula Sancto Stephano tribui oportere, quod res ab Geyfa patratas consideranti verisimilimum fiet. Primum enim ad annum MLXXIV. Salomone Rege triplici pugna fracto, res Geyfae non solum cum Gregorio VII. qui eum Ducis, non item Regis titulo compellabat, sed cum Henrico etiam fuit, qui Salomonis causa bellum in Hungariam intulerat. Rem Schafnaburgensis temporis coævus in hæc verba narrat. (b) Ipse tamen, ne tantum rei publicæ commodum casu oblatum sua ignavia corrumperetur, gregario tantum, ac privato milite contentus infesto exercitu ingressus est Hungariam, & nonnullas ejus Regiones hostiliter*

*per-*

(a) Hæc consequuntur: *quorum consensu, & consilio statutum, ut quicunque contra hanc meam Regalem institutionem ire tentarerit, & quæ superius sunt decreta, & stabilita, infringere, seu violare conatus fuerit - - & satisfactionem respuerit, anathematizetur a Deo Patre Omnipotente, & Filio, & Spiritu Sancto, & a Dei Genitrici semper Virgine Maria, & ab omnibus Sanctis, ab omniisque Christianitate, & insuper solvât purissimi auri libras mille; medietatem Regiae Camere, & medietatem prædicto Monasterio Sancti Benedicti, & ut mea regalis Institutio futuris temporibus firmitatem obtineat, manu propria subter firmavi, & sigillavi. In eodem instrumento hæc lego: quarum partem Decimarum pro salvatione animæ meæ, & fratribus meorum, nec non & filiorum meorum, parentumque meorum. Nihil tamen propterea eorum muto, quæ priore anno in Dissertatione de S. Ladislao scripti de Synadene Geyfae conjugi, nisi quod ante hanc aliam videatur habuisse conjugem, ex qua Filios sustulerat, qui tamen ante secundas Nuptias obierint. Certe Colomanus, quod isthic ostendi, non Geyfae, sed Ladislai filius erat.*

(b) In Chron. ad annum 1074.

*peragrat. Porro Joas, (ita Geysam appellat) qui Hungariam occupaverat, comperto ejus adventu summa industria id operam dedit, ut in locis, in quibus irruptio hostium timebatur, nihil homines alimentorum, nihil animalia pabulorum reperirent; & sic ipse cum omnibus suis in quamdam Insulam (credo Cituorum, ut, si res poscat, receptus in promtu esset) propter locorum difficultatem omnino hostibus inaccessibilem se contulit. Exercitus Regis, qui ad tanti belli administrationem nihil sumtuum præparaverat, gravissima statim laborabat inedia, adeo, ut homines plerosque, animalia pene omnia brevi pestilentia, & fames consumeret. Qua necessitate compulsus Rex, nullo insigni facinore perpetrato, Hungaria excessit, & post Festum Sancti Michaelis Vormatiā - - rediit. Hæc anno MLXXIV. gesta, quo Geysa ante festivitatem Pascae nondum Rex erat, itaque Episcopatum condere non potuit, id enim Jus in Hungaria ad solos Reges, eorumque arbitrium pertinet: neque in reliqua hujus anni parte tantum illi aut ocii, aut voluntatis fuisse poterat, ut de eo condendo cogitaret: anno autem insequente a belli curis vacuus Abbatiam Sancti Benedicti fundarat, ut ex Fundationis litteris supra allati patet, in quibus cum Episcopatus Vacensis limites non a se statutos, alioquin hujus meminisset, ab Abbatiae terminis recens erectæ secernat, probabiliter consequitur, Vacensem Episcopatum jam prius, fere*

fere ut Abbatiam de Saagh , cuius illic etiam meminit , erectum fuisse , quam is profligato Salomone , ex Procerum voluntate ad solium evectus esset , a quo autem , nisi ab Stephano ? nolo hic Carthuitii testimonio uti , qui decem ab hoc Episcopatus præter Strigoniensem , fundatos , & Biographi Sancti Gerardi auctoritatem afferre , qui , postquam Gerardum Csanadiensi Cathedræ ab Stephano præfectum fuisse retulisset , duodecimum ab eodem Rege , ob adversos inimicorum contus , in Hungaria fundari non potuisse , disertis verbis fatetur : inter quos undecim Vaciensem etiam fuisse , cum ob positus rationem , tum ea , quæ paulo ante depromsi , illo usque persuasum habebo , donec graviora momenta , quam Thuroczii testimonium sit , quis in medium protulerit .

Arduum est , de iis , qui primi hunc Episcopatum tenuerint , Præfulibus , conjecturam capere . Or-  
*Critirion de primis Episcopis.*  
dinem juxta nonnullos dicit Clemens , qui in litteris fundatæ ab Andrea I. Abbatiae Tyhonensis ad annum MLV. tacito Diœceseos nomine , subscriptus legitur . Hunc P. Szörényius , qui novum Strigoniensum Archiepiscoporum Catalogum edidit , se in vetusto aliquo MS. exserte Vaciensem Episcopum reperisse affirmat . Viro multæ prorsus lectionis , & copia diplomatum abundantι fidem non adhibere vereor , & ætas Clementis facile ad annum MLV. si etiam pri-

mus Vaciensi Ecclesiæ ab Stephano præfectus erat, pervenire potuit, ut hoc titulo nihil prorsus obesse videatur, quin primum ei inter Vacenses Antistites locum præbeamus. Alterum ob hoc Aaronem fuisse conjicio ex litteris fundatae ab Geyfa Abbatiae Sancti Benedicti, quarum partem paulum ante exhibui. Cum enim Geyfa Abbatiam Sancti Benedicti juxta Granum fundans, terminos hujus a limitibus Diœcœeos Vacensis separaret, credibile mihi videtur, loci Episcopum tam solenni actui itidem interfuisse, ac propterea post Nehemiam Strigonensem Metropolitam, & Desiderium Colocensem Episcopum, ante alias Antistites primum eidem locum esse tributum. Ab hoc neminem alium, qui seriem interpolaret, reperi, quam Marcellum, qui in diplomate Colomanni Regis anno MCXI. quo privilegium Abbatiae de Zobor confirmat, diserte expressus legitur.



---

E P I S C O P I  
V A C I E N S E S.

---

*Annus Christi.*

1055. Clemens. (a)  
1075. Aaron. (b)  
1111. Marcellus. (c)  
1113. Marcellus.  
1114. Marcellus.  
1119. Marcellus, (d) & eodem anno  
1119. Marcellinus. (e)  
1133. Marcellinus.  
1138. Marcellinus.  
1139. Marcellinus.  
1156. Hyppolitus.

U u 2

1157.

---

(a) Vetusiorum hoc nuspiam comperi, tametsi & de hoc dubium obmoveri possit. Subscriptum Instrumento fundationis Abbatiae de Tybon invenio, sed non nominata Sede. Plerique tamen Vacensem fuisse scribunt.

(b) Alii Lazarum substituunt, ego malim Aarone. Cum enim Geysa I. Abbatiam Sancti Benedicti juxta Granum hoc anno fundans terminos hujus a limitibus Diaconianis separaret, credibile est, Vacensem Episcopum huic aetui interfuisse, & propterea post Nehemiam Metropolitam, & Desiderium Colocensem Episcopum, qui diserte exprimuntur, primum illi ante alios Episcopos in diplomate locum esse tributum.

(c) Ex litteris Colemanni Regis.

(d) Ad Strigoniensem traductus.

(e) Alii legunt Maredinus.

1157. Hyppolitus.  
 1169. Hyppolitus.  
 1183. Job.  
 1188. Boleslaus. (a)  
 1193. Boleslaus.  
 1195. Boleslaus.  
 1198. Boleslaus.  
 1199. Boleslaus.  
 1201. Boleslaus.  
 1206. Boleslaus.  
 1207. Boleslaus.  
 1209. Boleslaus.  
 1210. Boleslaus.  
 1211. Boleslaus.  
 1212. Boleslaus.  
 1215. Jacobus.  
 1217. Jacobus.  
 1218. Jacobus. (b)

1219.

(a) Ex litteris Belæ III.

(b) Non optimæ famæ, ac nominis, ut patet ex Epistola Honorii III. Ex Regeſt. ejusdem Num. 1189. in hæc verba. „ Honorius &c. „ Ven. Fratri - - Episcopo Vesprieniſi, & dilectis Filiis - - de Bo- „ kon, & - - de Pilis Abbatibus Vesprieniſis Diocesis falutem &c. „ Utinam Ven. Frater noster - - Vacienſis Episcopus non effet frontis „ attritæ, ut follicita meditatione penſando, quæ de fè diſculfa fuerunt apud „ Sedem Apostolicam - - Pontificalem modeſtiā non prorūſus abjiceret „ ac a tot, & tantis, quæ de ipſo audivimus, abſtineret, dum ex ante „ actis præſumeret, quid ſibi effent talia paritura. Sane dilecti filii E. & „ B. Archidiaconi Ecclesiæ Vacienſis pro ſe, ac Capitulo ejusdem Eccle- „ ſie in noſtra proposuerunt præſentia conſtituti, quod cum eorum Episco- „ pus tamquam lucerna ſuper candelabrum poſita in domo Domini lucere „ de-

1219. Jacobus.

1220. Jacobus.

1221. Jacobus.

1222. Jacobus, &amp; eodem anno

U u 3

1222.

„ deberet , informando doctrina subditos , & præstanto eis per opera honestatis exemplum , idem tamquam lumen existinetum , nec exemplo proficit , nec doctrina , sed persequendo justitiam , & commensationibus , & ebrietatibus intendendo , delegetatur in dolo , & in malitia gloriatur . „ Cum enim jura , & approbatas consuetudines Ecclesie Vaciensis defendere , ac opponere se pro ipsis sub juramenti debito teneatur , ipse tam in hoc , quoniam in alienando , distrahendo , ac dilapidando possessiones , & redditus Ecclesie supra dictæ præstitum transgreditur juramentum , qui parochianis suis interdum spiritualia sic ministrat , quod nonnulli existent , ipsum orthodoxæ fidei non sapere puritatem . Clericos quoque Vacienses terris , sylvis , pratis , redditibus , & rebus aliis per violentiam spoliat , & excommunicationis vinculo , contra statuta Concilii generalis , adstringit , ac quosdam ex eis per incompositam familiam , quam habere ipse incompositus delectatur , sic fecit in honeste traduci , quod quidam illorum rebus omnibus spoliati ex inflicitis vulneribus perierunt . Et cum dicti Archidiaconi quosdam de familia ipsius Episcopi , qui eos aggressi fuerant , coram seculari Judice convenienter , ipse , ut ab actione illos excluderet , nunciavit , eosdem per litteras suas excommunicationis vinculo innodatos , cum nullam adhuc in ipsis excommunicationis sententiam protulisset , ac violenter eorundem usurpavit pecuniam , quam ipsi disponuerant in terra sanctæ subsidium destinare . Præterea cum minentur ædificia Ecclesie sue ruinam , ipse hoc penitus non advertit , & excommunicationis sententiam fulminat monitione contra statuta Concilii generalis non præmissa , Ecclesiasticum beneficium simoniace confert , prætermisso idoneis , minus dignis , ac illos , qui in Canonem incident sententiæ promulgatae , absolvere auctoritate propria non veretur . Cum autem ex his , & aliis enormibus , quæ committit Episcopus supra dictus , & pontificalis denigretur honestas , & in populo scandalum generetur , & non nulli ejus exemplo ad scelera prolabantur , ac Dei Ecclesia ibidem contemnatur a multis , ipsis diligenter monuerunt eundem , ut super his corrigeret semetipsum , sed in nullo apud eum suis monitionibus profecerunt : Volentes igitur descendere , ac videre , an dictus Episcopus facto compleverit , quæ dicuntur , Discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus , quatenus ad Vaciensem Ecclesiam personaliter accedentes , & habentes præ oculis solum Deum inquiratis super præmissis --- diligentius veritatem , & quæ inveneritis , fideleriter redigentes in scriptis vestris inclusa Sigillis ad nostram praesentiam transmittatis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Maji , Pontificatus nostri anno II. „

1222. Briccius. (a)
1224. Briccius.
1225. Briccius.
1229. Briccius.
1230. Briccius.
1231. Briccius.
1233. Briccius.
1234. Briccius.
1238. Matthias I.
1239. Matthias postulatus Strigonensis, & eodem  
anno
1239. Stephanus I.
1240. Stephanus.
1241. Stephanus, postulatus Strigonensis. (b)
1242. Stephanus.
1243. Haymo. I.
1244. Haymo. (c)
1245. Haymo.
1346. Haymo.
1249. Haymo.

1251.

(a) Alii malunt legere *Brietius*, sed *Briccius* crebrius occurrit.

(b) Ingruentibus Tartaris cum Regina, Prolibus Regiis, ac Thefauro in Austriam missis, postea iussus ire ad Fridericum Imperatorem, contra Tartaros opem implorabat, & diploma Belæ IV. attulit, quo hic Friderico Regnum Hungariæ in Clientelam offert, ea conditione, si Tartaros Regno exigeret. Id diploma, cum in Aula Imperatoris exhibetur, ab se visum Rudolphus Habsburgicus, postea Imperator, testatur in litteris, quibus Regnum Hungariæ Alberto filio tamquam Imperii Germanici feudum confert. Non fuisse vero conditionem impletam, prolixe in annalibus docui.

(c) In hujus locum substituit Deserictus Joannem.

1251. Haymo. (a)  
 1252. Haymo. (b)  
 1254. Haymo.  
 1256. Haymo.  
 1263. Haymo (c)  
 1268. Philippus.  
 1272. Philippus.  
 1273. Philippus. (d)  
 1274. Philippus.  
 1275. Philippus.  
 1276. Philippus.  
 1277. Philippus.  
 1279. Philippus, & eodem anno

1279.

---

(a) CL. BELIUS ad hunc annum Goymonem ponit, forte Copia Instrumenti, ut id faceret, adductus. Ceteroquin autographa Haymonem aperite exprimunt.

(b) DESERICZIUS pro Haymone habet Hieronymum.

(c) Ex Instrumento contestatae litis inter Metropolitam Strigonensem, & Quinque-Ecclesiensem Episcopum. DESERICZIUS huic ad annum 1261. præponit Stephanum, postea anno 1265. ad Colocensem Sedem traductum. Si id regis litteris nititur, Stephanus medius inter Haymonem, & Philippum locandus est, neutiquam tamen ad annum 1265. producendus, quod anno 1263. Philippus jam Vaciensem Ecclesiam regeret, ac proinde Stephanus, si tamen Vaciensis Episcopus fuit, ad Colocensem traductus, vel anno exeunte 1262. aut initio anni 1263. Sed error videtur in homonymia cubare. Stephanus enim, qui anno 1262. postulatus Colocensis erat, fuit Præpositus Pofoniensis, Bononiae litteris operam navans, antea vero a Capitulo Zagrabensi electus Episcopus, sed a Papa ob defectum ætatis rejectus, ut Clementis IV. litteræ ad Colocense, & Bachiene Capitula datæ docent.

(d) Reginæ Cancellarius, & Comes Neogradiensis. Ratificavit permutationem Magistri, & Fratrum militie Templi Hierosolymitani, qua Civitatem Segniensem, & possessiones de Veglia, Belæ Sclav. Dalm. & Croatiæ Duci pro Comitatu de Doboka cesserunt.

(e) Aulæ Dominiæ Reginæ Cancellarius.

1279. Haab I. (a) & eodem anno  
 1279. Thomas I. (b)  
 1280. Thomas.  
 1281. Thomas. (c)  
 1284. Thomas. (d)  
 1287. Ladislaus I.  
 1291. Ladislaus.  
 1292. Ladislaus.  
 1297. Haab II. (e)  
 1304. Haab.  
 1308. Haab.  
 1309. Haab.  
 1317. Vacat IV. Non. Augusti.  
 1324. Vacat XI. Cal. Junii.  
 1326. Laurentius.  
 1327. Laurentius.  
 1328. Laurentius.  
 1330. Frater Rudolphus.  
 1333. Rudolphus.  
 1334. Rudolphus.  
 1335. Rudolphus.  
 1336. Rudolphus.

1338.

(a) In autographo Lodomerii Archiepiscopi Strigonienfis.

(b) In quindenis Pentecostes. Itaque priores duo mortui, aut aliorum traducti.

(c) Cancellarius Reginæ.

(d) Cancellarius Reginæ, &amp; Comes Pilisienfis, &amp; V. Nonas Augusti Aulae Cancellarius.

(e) Scribitur etiam *Abba*, *Frater Omodæi Palatini*.

1338. Rudolphus.  
1342. Vacat XIV. Cal. Januarii.  
1343. Michael I.  
1345. Michael.  
1346. Michael.  
1347. Michael.  
1349. Michael.  
1350. Michael.  
1351. Michael.  
1352. Michael.  
1353. Michael.  
1354. Michael.  
1355. Michael.  
1356. Michael.  
1357. Michael.  
1358. Michael.  
1359. Michael.  
1360. Michael.  
1361. Michael.  
1362. Michael.  
1363. Vacat XII. Cal. April.  
1364. Joannes I.  
1365. Joannes.  
1366. Joannes.  
1367. Joannes.  
1368. Joannes.  
1369. Joannes.

1370. Joannes.  
 1371. Joannes. (a)  
 1378. Petrus I.  
 1379. Petrus.  
 1380. Petrus.  
 1381. Petrus.  
 1382. Petrus.  
 1383. Petrus.  
 1384. Petrus.  
 1387. Petrus.  
 1388. Petrus.  
 1389. Petrus.  
 1391. Petrus.  
 1393. Petrus.  
 1394. Petrus.  
 1395. Petrus.  
 1398. Petrus.  
 1399. Petrus.  
 1401. Vacat XIII. Cal. Maji.  
 1404. Vacat II. Cal. Septembris.  
 1405. Nicolaus I.  
 1406. Vacat IV. Non. Februarii.  
 1407. Vacat IV. Cal. Septembris.  
 1409. Frater Philippus II. (b)  
 1410. Philippus.

1411.

---

(a) Thesaurarius Regius.  
 (b) X. Calendas Martii.

1411. Philippus.  
 1412. Philippus.  
 1413. Philippus.  
 1414. Philippus.  
 1415. Philippus.  
 1418. Philippus.  
 1419. Philippus. & XI. Cal. Septembris eodem  
       anno (a)  
 1419. Nicolaus II. de Salgo, & Ilsva. (b)  
 1420. Nicolaus.  
 1423. Nicolaus.  
 1424. Nicolaus.  
 1426. Nicolaus.  
 1427. Nicolaus.  
 1429. Nicolaus.  
 1430. Vacat IV. Idus Junii.  
 1431. Vacat X. Calen. Martii.  
 1432. Vacat X. Calen. Maji.  
 1434. Vacat VI. Calen. Decembris.  
 1435. Vacat VIII. Idus Martii.  
 1436. Vacat IV. Non Maji.  
 1437. Vacat VIII. Calen. Aprilis.  
 1447. Petrus II. Cancellarius. (c)

X x 2

1449.

---

(a) Ex litteris Sigismundi, in quibus *electus* dicitur. Non igitur *Philippus DESERICII* usque ad annum 1436. Vaciensi Ecclesiae potuit praefere.

(b) Leustachii de Ilsva Palatini filius.

(c) Ex Aenea Sylvio.

1449. Petrus.  
 1450. Petrus. (a)  
 1455. Vincentius.  
 1457. Vincentius.  
 1458. Vincentius.  
 1459. Vincentius.  
 1464. Vincentius.  
 1465. Vincentius.  
 1466. Vincentius.  
 1467. Vincentius.  
 1468. Vincentius.  
 1469. Vincentius.  
 1475. Nicolaus III. de Báthor. (b)  
 1479. Nicolaus.  
 1486. Nicolaus.  
 1489. Nicolaus.  
 1490. Nicolaus.  
 1491. Nicolaus.  
 1492. Nicolaus.  
 1493. Nicolaus.  
 1494. Nicolaus.  
 1495. Nicolaus.

1498.

(a) Urgente Joanne de Hunyad Gubernatore ad Transsilvanensem Cathedram traductus.

(b) Multa de hoc exstant apud Galeotum: item elegantes aliquot a Marsilio Ficino Epistolæ, ex quibus patet, Nicolaum Theologiam in Italia publice professum esse: rursus inter MSS. Epistolas Petri Colocensis Archiepiscopi non pauca sunt de hoc Nicolao, quæ digna sunt posterorum memoria.

1498. Nicolaus.  
 1500. Nicolaus.  
 1501. Nicolaus.  
 1504. Nicolaus.  
 1505. Nicolaus.  
 1506. Nicolaus. (a)  
 1510. Franciscus I. de Varda. (b)  
 1511. Idem.  
 1514. Ladislaus II. Zalkan. (c)  
 1517. Idem.  
 1518. Idem.  
 1520. Joannes II. Országh de Guth. (d)  
 1521. Idem.  
 1522. Idem.  
 1526. Idem. (e)

X X 3

1528.

(a) Epitaphium de illo hoc exstat.

Nicolaus Bathor jacet hoc sub marmore Praeful,  
 Gloria qui Sanctæ Religionis erat.  
 Quid quid habent Legum speciosa volumina, norat,  
 Noverat & quid quid pagina sacra docet.  
 Historias omnes, celebravit carmine vates,  
 Lingua Latina sibi, Græcaeque nota fuit,  
 Te Regina poli coluit, Tibi nobile struxit  
 Hoc opus, obsequio præmia redde pio.  
 Scilicet hanc animam, posito jam corpore, Virgo  
 Angelico socies, perpetuesque choro.

(b) Thesaurarius Regius.

(c) Secretarius Regiæ Majestatis.

(d) Ex Syrmensi Episcopatu ad Vaciensem translatus.

(e) Ad hunc, & sequentes annos non pauci Stephanum Brodericum Va-  
 ciensem Episcopum locarunt, inter quos & ipse olim fui, eorum, quos  
 jam

1528. *Idem.*  
 1529. *Idem.*  
 1530. *Idem.*

1531.

jam recensebo, auctoritate inductus. Debeo id elegantissimo scriptori foedissime cladis Mohacsianæ, ut istorum opiniones diligentius ad examen revocem. Cl. SOMMERSBERG Tom. II. scriptor, rer. Silesiaca. Epistolam Francisci Sárfy Præfesti Jaurinensis de reperto Ludovici II. corpore, anno 1526. feria sexta post Lucæ Evangelistæ, inscribit Stephano Broderico Episcopo Vaciensi. ISTVANFYUS Hist. Lib. IX. ad annum 1527. narrat, Joanni Zapolyæ in coronatione Stephanum Brodericum Vaciensem Episcopum adstitisse. Utrumque a vero alienum est. Nam Ludovicus rex Brodericum ex Legatione Romana reducem, anno 1526. die XI. Martii Cancellarium regni pronunciavit, quod cum reliqui Episcopi ægre ferrent, Syrmensem ei Episcopatum, quo se illius decessor sponte abdicavit, contulerat, ut Baro de Burgio, Nuncius Apostolicus, datis XII. Martii, ejusdem anni 1526. Buda ad Sadoletum litteris, nondum excusis, significavit. Hæc ad SOMMERSBERGII convellendam opinionem attinent. ISTVANFYUS narratio duplici de causa suapte refellitur, tum quod coronatio Joannis Zapolyæ non anno 1527. sed priore contigit, tum quod Protocollum Ven. Capituli Posoniensis Joannem Országh anno 1527. Episcopum Vaciensem fuisse, semel, iterumque adnotat. Primum, ubi X Novembris Magistratus sacros, ac profanos a Ferdinando distributos censet. Nullus isthic Brodericus: deinde ubi eodem anno eadem die ii numerantur, qui juramentum fidelitatis Ferdinando dixere, Joannes Országh diserte Episcopus Vaciensis exprimitur. Id indicio est, Joannem hanc nequaquam a Ferdinando nominatum, sed jam prius Episcopam Vaciensem fuisse; quod ipse Brodericus, de quo nobis hic sermo est, in Descriptione cladis Mohacsianæ satis clare affirmat, cum refert, regi Ludovico ad prælium accincto ad latus adstitisse Episcopum Vaciensem, & ab hoc regni Cancellarium, qui tum Brodericus, & Episcopus Syrmensis fuit, ut patet ex litteris Ferdinandi, quibus Brodericum Syrmensem Episcopum inter ceteros Proceres in fidem recepit. Deinceps ad partes Zapolyæ transit, & sub Episcopi Syrmensis nomine litteras, quas autographas præ manibus habui, exaravit. Anno 1530. die 24. Maii Buda: inidem 24. Augusti. Anno 1532. die 16. Octobris. Eodem anno Boothos ad Thomam Nadasdium scribens Brodericum a Vaciensi aperte distinguit. Itaque hæc tenus Brodericus Vaciensis non erat. Joannes de ZERMEGH, scriptor coævus, Lib. II. §. V. narrat, Stephanum Brodericum Vaciensem Episcopum inter ceteros a Zapolya electum fuisse, qui pacem cum Ferdinandu Viennæ conficeret. Id ad annum 1525. pertinet, quo Ferdinandus inducias Zapolyæ concessit. At in ipsius Ferdinandi litteris, quas ex Libro Regio, itaque authentico, exscripti, Brodericus hoc anno non Vaciensis, sed Syrmensis Episcopus existans legitur: & Frater Broderici eodem anno in suis litteris Syrmensem vocat. Litterarum hæc epigraphæ est. *Rererendiffissimo Domino Ste-*

1531. Idem.

1532. Idem.

1537. Stephanus Brodericus. (a)

1540.

*Stephano Broderico, Episcopo Syrmieni Consiliario regio, Domino, & Fratri meo. Scribit, agrum Quinque-Ecclesiensibus finitimum ab hoste foedum in morem vultari. Datum Quinque- Ecclesis feria IV. proxima post Purificationem. 1535. Servitor Mathias Brodarith. Ipse Stephanus Episcopus in aliquot epistolis perinde se Brodarith subscriptibit, tametsi saepius Latino Broderici nomine utatur. Hæc in causa erant, cur Brodericum aut nunquam Vaciensem Episcopum fuisse, aut Syrmensem illi homonymum putaverim. Sed erratum ab me fuisse certum est, & mox illius, unde errorem dedecus sim, meminero.*

(a) Hoc circiter anno Broderium Joanni Országhio in Vaciensi Episcopatu successisse opinor. Nam de Országhio post annum 1532. altum silentium, & Brodericus annis 1535. & 36. adhuc Syrmensis fuit. Mortis annum, & diem Nicolaus Olahus ad Thomam Nadasdium scribens adnotavit. Excerpto ex autographa epistola, quæ hic pertinent. *Non parvo, inquit, ducebar desiderio D. Stephanum nostrum Brodericum videndi propter veterem nostram notitiam fraternalm, & ætatem ipsius provebam. Hanc quoque Deus facultatem mihi præripuit. Nam VII. hujus mensis fato ille concessisse dicitur. Scripserat superioribus hebdomadis se me velle invisiere, nam ego propter Serenissimæ Reginæ meæ negotia hinc hactenus abesse non potui: & significaverat, se venire vel ad Saag, vel etiam ad civitates montanas, si quando eo proficerer. Ego vero responderam, me domi suæ eum invisurum pauco post tempore ex Principis nostri annuentia. Neutrum tamen mihi fato concessum est. Cujus morte audita non potui non in lacrimas prorumpere &c. Viennæ XVII. Novembris, anno 1539.*

Ej. D. V. Servitor

N. Olahus Custos Albensis.

Post hæc sua itidem manu sequentia adjicit.

*Epitaphium Domini Vaciensis.*

Hac jacet inclusus gelida Brodericus in urna,  
Cui decus, & nomen pulchra corona dedit.  
Phæbus in æthereo donec clarescat olymbo,  
Dum tenebras densas Cynthia clara fugat:  
Semper erit Stephani virtus, doctrina, perennis  
Sancta fides, probitas, & pietatis amor.  
Pontificis sacro vixit decoratus honore,  
Cujus in officio sedulus usque fuit.  
O felix! claros Patriæ qui vidit honores,  
Illiust ast cladem cernere non voluit.  
Dum nullam potuit nostris adhibere medelam  
Hisce malis, subito migrat ad astra poli.

Hæc cum Broderici, tum mei, & aliorum errorum causa prolixius illustrare libuit.

1540. Nicolaus IV. de Perén. (a)
1549. Augustinus Sbardelatus. (b)
1550. Idem.
1551. Idem. (c)
1552. Idem. (d)
1553. Idem. (e) & IV. Junii eodem anno
1553. Blasius de Varadino Petri.
1554. Idem.
1556. Idem.
1557. Idem.
1558. Idem.
1559. Idem.
1560. Idem.
1561. Idem, (f) & eodem anno
1561. Joannes III. ab Ujlak.
1563. Idem.

1565.

(a) Nominatus, ut habent acta Illustris Familiae Perénianæ, sed prius, quam ad maturam, & Episcopo idoneam astatem pervenisset, mortuus, ut eadem acta habent, quæ Cl. PALMA mecum haud gravate communicavit.

(b) Constitutus Visitator in causa Religionis cum Domino Zibrik, confessionem fidei scriptam ab Leutschoviensibus sibi petiti exhiberi, quod non est denegatum.

(c) Hoc anno Episcopus est consecratus, cui Rex Ipropterea IX. Junii mandat ex Camera assignari 200. florenos auri.

(d) Castrum Leva obsidione cingit.

(e) Hoc anno mortuus, cum Ferdinandus Rex ad Cameram ita scripsit: *humillime nos interpellarunt quondam Episcopi Vaciensis sorores ratione jam dicti Episcopi Bonorum &c. Libros tamen, litteras, & litteraria instrumenta reddi jussit anno 1561. die XVIII. Junii Andreæ Dudithio Sbardelato, Præposito S. Stephani Proto-Martyris.*

(f) Mortuus ante IX. Aprilis.

1565. Joannes III. ab Ujlak. (a)  
 1567. Idem.  
 1568. Idem.  
 1569. Idem.  
 1572. Idem.  
 1573. Idem.  
 1576. Idem.  
 1578. Idem, & III. Maji eodem anno  
 1578. Zacharias Moffoczy. (b)  
 1579. Idem.  
 1580. Idem.  
 1582. Balthasar Melegh, & V. Maji eodem anno  
 1582. Martinus Pethe de Hetes. (c)  
 1586. Idem. (d)  
 1587. Stephanus II. Mathisy. (e)  
 1590. Idem.  
 1591. Idem.  
 1593. Stephanus III. Szuhay.

1594.

(a) Mittitur ab Rege Zigethum ad causas cognoscendas.

(b) Simul Abbas Pilisiensis.

(c) Ex Syrmiensi traductus.

(d) Ernestus Archidux datis VII. Januarii ad Cameram litteris mandat, ut, si Episcopus Vaciensis ex perte laborans moreretur, ejus res ad notari faciat. Non videtur tamen ex eo morbo defunctus, cum eidem XII. Aprilis collata sit Præpositura Sancti Stephani in Ecclesia Strigonensi, Abbatia vero Pilisiensis, quam prius habuit, Joann Joo, Præpositura vero Posoniensis, Andrea Monožloy Canonico, &amp; Concionatori Posoniensi.

(e) Olim Georgio Drascovics Episcopo Quinque-Ecclesiensi in Concilio Tridentino a secretis. Etsi his temporibus pene totus Episcopatus Vaciensis sub Turcorum jugo gerneret, tamen cives Urbis Vaciensis corrogata stipe, 500. florenos quotannis Episcopo tribuebant.

1594. Idem.
1595. Idem.
1596. Idem. (a)
1597. Idem.
1598. Idem. (b) & eodem anno
1598. Georgius I. Zalatnaky.
1600. Petrus III. Radoviczius.
1601. Idem.
1602. Idem.
1603. Idem.
1607. Idem.
1608. Idem (c) & eodem anno
1608. Paulus I. Almássy.
1609. Idem.
1610. Idem.
1611. Idem.
1613. Idem. (d)
1615. Idem.
1617. Idem.
1618. Idem.
1621. Thomas II. Balásfy. (e) 1622.

(a) Aquirit hoc anno Abbatiam Felhevizensem.

(b) Legatus cum Nicolao Istvanfy in Transalpinam missus pacem inter Rudolphum II. & Michaelem Vayvodam confecit die X. Junii Ter-govistix. Quare errant, qui illi hoc anno XVI. Aprilis Georgium Zalatnaky in Episcopatu successisse putant.

(c) XI. Octobris ad Vesprimiensem traductus.

(d) Haec tenus titulum *electi* gessit, deinceps *confirmati*.

(e) XI. Octobris nominatus, & ex Bosnensi translatus. Scripsit Historiam vita Nicolai Istvanfy, item Carmina in laudem ejusdem. Exstant in Bibliotheca Vindobonensi inter Hist. profanæ codices MSS. Num. 462.

1622. Nicolaus V. Dallocz.  
 1623. Idem. (a) & eodem anno  
 1623. Stephanus IV. Sennyei.  
 1624. Idem. (b)  
 1625. Idem.  
 1626. Idem.  
 1627. Idem.  
 1628. Idem, & eodem anno  
 1628. Paulus II. David de Fehlistál. (c)  
 1629. Paulus.  
 1630. Idem, (d) & eodem anno  
 1630. Georgius II. Draskovics de Trákoftyán.  
 1631. Idem.  
 1635. Idem. (e)  
 1636. Gregorius Nagyfalvay.  
 1637. Idem.  
 1638. Idem.  
 1644. Michael II. Kopcsányi. (f)  
 1646. Ladislaus. III. Hoszutoty.  
 1647. Idem.  
 1649. Joannes. IV. Püsky simul Colocensis.  
 1650. Idem.  
 1651. Mathias II. Tarnoczy.

Y y 2

1655.

(a) Ad Jaurinensem VI. Maji traductus.

(b) Simul Cancellarius.

(c) Nominatus III. Julii.

(d) XXIV Octobris ad Vesprimensem traductus.

(e) XXII. Octobris ad Jaurinensem translatus.

(f) XIII Septembris nominatus.

1655. Idem, (a) & XXVII. Septembr. eodem anno  
 1655. Sigismundus I. Zongor.  
 1658. Thomas. III. Pálfy ab Erdöd.  
 1660. Franciscus II. Szentgyörgy. (b)  
 1663. Franciscus. III. Szegedy.  
 1665. Idem.  
 1667. Idem, simul Cancellarius.  
 1668. Idem. (c)  
 1669. Georgius III. Pongrácz. (d)  
 1676. Joannes V. Gubassoczy.  
 1677. Idem.  
 1678. Idem.  
 1679. Petrus IV. Korompay. (e)  
 1680. Idem.  
 1681. Idem, & XXVIII. Decembris eodem anno  
 1681. Joannes VI. Kéry.  
 1685. Nicolaus VI. Balogh. (f)  
 1687. Nicolaus.  
 1688. Idem.

1689.

(a) Sepultus in Ecclesia Capituli Scepusiensis cum hoc Epigrammate.  
*Reverendissimo Domino Mathiae Tarnoczy, Episcopo Vacienfi, Praeposito Pojoniensi, & Scepusiensi. Vere Patri, ac Fautori suo gratioso Societas Jesu erexit. Obiit anno MDCLV.*

(b) Nominatus XVI. Augusti.

(c) Simul Praepositus Posoniensis.

(d) XXIII. Septembri nominatus.

(e) XXI. Augusti nominatus.

(f) XVI. Aprilis nominatus.

1689. Idem, (a) & XXV. Decembris eodem anno  
 1689. Michael III. Dvornikovich.  
 1698. Idem.  
 1700. Idem.  
 1705. Idem. (b)  
 1706. Comes Emericus Eszterházy.  
 1707. Idem.  
 1708. Idem. (c)  
 1709. Sigismundus II. Kollonics.  
 1716. Guilielmus de Leslie. (d)  
 1718. Comes Michael IV. Fridericus ab Althan. (e)  
 1723. Idem, simul Cardinalis.  
 1729. Idem.  
 1734. Idem, (f) & XXX. Decembris eodem anno  
 1734. Comes Michael V. Carolus ab Althan.  
 1741. Idem.  
 1750. Idem.  
 1756. Comes Christophorus Migazzi (g)

(a) Epitaphium in Ecclesia Capituli Scopusiensis hoc illi positum est.  
*Hic jacet Reverendissimus Dominus Dominus Nicolaus Balogh, Episcopus Vaciensis, Praepositus Scopusiensis, Sacrae Caesareae Regiae Majestatis Consiliarius. Obiit VI. Octobris anno MDCLXXXIX. aetatis sue LXIV.*

(b) Eodem anno mortuus.

(c) Ad Zagrabensem Cathedram traductus.

(d) XVI. Aprilis nominatus.

(e) IV. Januarii.

(f) XX. Junii mortuus.

(g) Die XXII. Maji nominatus.

1757. Idem, (a) & XXV. Aprilis eodem anno  
 1757. Comes Paulus III. Forgách.  
 1759. Idem, & VI. Novembris eodem anno  
 1759. Comes Carolus Eszterházy de Galantha.  
 1760. Idem.  
 1764. Comes Christophorus Migazzi, iterum, simul  
       Cardinalis, & Archiepiscopus Viennensis.

EPI-

(a) Eodem anno ad Viennensem Archiepiscopatum translatus.



---

## EPISCOPATUS NITRIENSIS.

---

Hunc ex vetustioribus Episcopatibus fuisse, nullo *De veteri Nitravien- negotio confectum esset, si veterum Nitravia si Episco- Nitriæ hodiernæ respondeat. Illius enim initia pleriu- patu op- que figunt ad annum Christi CCCLXIX. itaque prius, quam Hunnorum ex Asia migratio contigerit. Ere- ctus est plerorumque opinione a Frigidilda Moravo- rum Regina, quod mihi non levem suspicionem mo- vet, incunabula Episcopatus Nitraviensis valde antror- sum protrusa esse, quoniam mihi persuadeo, Moravo- rum nomen ea ætate nondum fuisse cognitum. Nihi- lo plus in eam rem lucis affundit Auctor conversionis Carentanorum, qui ubi adveniente Ratbodo Regis Lu- dovici Duce Ratimarum fugisse narrasset, de Privinna his verbis subjungit: „ predictus Privinna substitut, „ & cum suis pertransivit fluvium Sawa, ibique su- „ sceptus a Salachone Comite pacificatus est cum „ Ratbodo. Aliqua vero iterum occasione percepta, „ rogantibus predictis Regis Fidelibus, prestavit Rex „ Privinne aliquam inferioris Pannonie partem in be-*

„ ne-

„ neficium circa Fluvium, qui dicitur Sava. Tunc  
 „ cepit ille ibi habitare, & munimen edificare in  
 „ quodam nemore - - & circumquaque populos con-  
 „ gregare, ac multum ampliari in terra illa, cui  
 „ quondam Adalrammus Archiepiscopus ultra Danu-  
 „ bium in sua proprietate, loco vocato Nitria, con-  
 „ secravit Ecclesiam. „ (a) Magnum hic inter Sa-  
 vum, & Nitriam Urbem intervallum est, si tamen,  
 quod Auctor hic ait, Adalrammus Juvaviensis, seu  
 Salisburgensis, Archiepiscopatus Jurisdictionem ultra  
 Danubium extendit, & Nitriæ, quam ultra Danubi-  
 um, ut re vera est, locat, Ecclesiam consecravit,  
 verisimile admodum fit, veterum Nitraviam ab hodi-  
 erna Nitria non abludere, itaque quod consecutaneum  
 est, Episcopatum quoque isthic ante Hungarorum ex  
 Asia adventum fuisse conditum. Certe in litteris Eu-  
 genii Papæ II. quas sub initium Pontificatus ad Rath-  
 fredum Favianensem, & Methodium Soriguturensem,  
 Episcopos dederat, Alevinus Nitraviensis, & Anno  
 Vetvariensis Ecclesiarum Episcopi comparent. (b)  
 Rursum in Epistola, quam Boiorum Episcopi ad Joa-  
 nem IX. Pontificem scripsierant, Vichindus memora-  
 tur,

(a) Ex Cod. MS Hist. Ecclef. Num. 148. Bibliotheca Palatina Vin-  
 dobonensis. Id post annum DCCXXI. evenisse oportuit, cum juxta  
 Chronicum Admontense, & MS. Catalogum Adalramus hoc primum anno  
 ex Archidiacono Archiepiscopis Juvaviensium factus sit. Ceterum conse-  
 cratio Ecclesia Nitraviensis probabiliter contigerit anno 828. ut ex Rebus  
 Uroldi Episcopi Pataviensis colligitur.

(b) Probabiliter Anno 825.

tur, qui Nitraviensi Ecclesiæ præfuerit, si Vetvariensis Episcopatus, ut veri est simillimum, iſthic, ubi hodie Ovarinum est, conditus, fuit, nihil veror affirmare, Nitraviam omnino eandem cum hodierna Nitria esse, præsertim, quod Boici Episcopi Vichindum in ea Gente Episcopum fuisse scribunt, quam Zventibaldus Moravorum Dux bello domitam ad religionem Christianam traduxerit: scitum autem est, primas Zventibaldi progressiones ex Moravia in finitimas cis danubium plagas, in quibus Nitriensis ager ad cognominem aminem tenditur, factas esse, quoad ditionem ultra Granum fere ad Tibiscum, tum ad oppositam quoque Danubii partem proferret, ut anonymum Belæ Notarium cum ceteris scriptoribus contendenti facile patet.

Ex his pene mihi persuadeo, ante Alevinum *Sensim deficiens in Præpositu-*  
vix quemquam Nitraviensi Ecclesiæ Episcopum fuisse, *ram mi-*  
ut fere post Vichingum, qui anno DCCCLXXX. ab *grat.*  
Joanne Papa IX. ordinem Pontificalem cum insula  
Nitraviensi adeptus est, nullum fuisse puto, qui eidem  
succederet, non modo ob gentium, quæ circum Ni-  
triā degebant, barbariem, ac inconstantiam, sed ob  
lites etiam, quæ inter Juvaviensem, & Laureacen-  
sem Archiepiscopos obortæ sunt, cum quisque illorum  
Jurisdictionem in Moraviæ, & Pannoniæ partes sibi  
arrogaret. Quo factum suspicor, ut pauci ex Sacerdo-

tum Collegio superstites remanerent, ægreque se illo usque tuerentur, quoad Hungari, ut Belæ Notarius habet, ex Asia profecti has plagas suas fecissent. Atque in hunc modum facile, quod vetus, & per majores accepta memoria tradit, fieri poterat, ut cum S. Stephanus per Regni partes oberrans huc profectus, Sacerdotes in Templo laudes Deo concinantes reperisset, Collegium Sacerdotum adjecto Præposito instauraret, (a) ac designatis postea Strigoniensis Diœceſeos limitibus, huic quoque infereret. (b)

*Ex hac rursum a Bela cæco in Episco- pen erigi* Utcunque id sit, illud certum est, Nitriensem Episcopen ab D. Stephano non esse conditam, quod sub Colomanno Rege majoris Præposituræ solum nomine, sicut Posoniensis, censeretur. At cui potissimum ex Stephani successoribus erectio illius tribuenda sit, perinde in obscuro est. Sunt, qui Bestertum, Thuroczio Bestritum, Episcopum, qui cum Gerardo religionis causa cæsus est, Nitriensi Ecclesiæ Episcopum tribuant; sed cur id dicant, causam non reddunt, & illo præcipue refelluntur, quod serius postea Præposituræ solum nomine cognita fuerit. Velle autem ut primum isthic Episcopatus, deinde Præpositura, ac

rur-

(a) Intellexi ex aliquo hanc memoriam litteris quoque consignatam in Nitriensi Tabulario contineri.

(b) Videtur id firmari ex MSS. Memoriis Illust: Adami Erdödy, qui Templum Cathedrale ab Gysela regina in honorem S. Emmerami Ep. & Mart. instauratum scribit. Etsi ceteroquin Patroni Templi sint SS. Andreas Zoerardus, & Benedictus MM.

rursum Episcopatus fuerit, valde arbitrarium, & in tam modica temporis intercedentia vix credibile sit. P. Martinus Szentiványi, (a) Fundatorem Nitriensis Ecclesiæ Geysam II. facit. Notò inquit, Nitriensem Episcopatum tardius esse erectum; siquidem Geysa II. Ecclesiam hanc Cathedralem fecit, ejusdemque proventus novis accessionibus auxit, - - - & Ludovicus I. anno MCCCLXIV. eidem Ecclesiæ Civitatem Nitriensem donavit. (b) Ut postremum id verissimum sit, nec ab Geyfa abhorreat, Ecclesiam novis fundis ab eodem locupletatam fuisse, sic contra erectionem Episcopatus illi non posse tribui, ex annorum ratione conficitur. Cœpit enim ad annum MCXLII. præesse, cum tamen jam Anno MCXXXIII. in litteris, ut vocant, *Adjudicatoriis* Nicolaus diserte Nitriensis Episcopus dicatur: Itaque electio Episcopatus Nitriensis, si quid video, Belæ coeco potius, qui anno MCXXXI. ad clavum admotus est, quam Geysæ II. tribuenda videtur, quoniam anteriorem Nicolao Episcopum, qui Nitriensi Ecclesiæ præfuerisset, nemo hactenus memoriae prodidit.

Bela igitur, consentiente Archiepiscopo Strigoniensi, partem hanc, ex qua Nitriensis Episcope conflata

Z z 2

*Excisa  
portione ex  
Strigonienfi  
archiepisco-  
patu.*

(a) Decad. III. Part. I. Miscellaneorum pag. 60.  
(b) Idem in laudatis MSS. memoris habetur.

ta est, quæve Archidiaconatum Nitriensem, (a) aut Trenchiniensem constituere tum videbatur, ex Strigoniensi Archiepiscopatu secernens, novum Nitriæ Episcopatum condidit, Præposito Capituli ad eam dignitatem proiecto: quod in causa fuisse supra monui, cur Episcopatus parte exigua Nitriensis, tum unica Trenchiniensi provincia definiatur, &, quod nusquam alibi in Hungaria reperias, Capitulum Præposito majore careat, quæ dignitas in Episcopum traducta deinceps obsolevit. Hæc fere sunt, quæ de Episcopatu Nitriensi memoratu digna occurserunt. Id neutinquam prætereundum reor, quod, et si Jus patronatus in hunc Episcopatum, uti in ceteros, Regibus proprium fit, Mathias tamen Corvinus illud in Michaëlem Országh, quoad viveret, transtulit, ut defuncto Nitriensi Episcopo, quem vellet, subrogare pro arbitratu suo posset, (b) quod in aliis Episcopatibus usuvenisse nusquam comperi.

EPI-

(a) Nunc tres Archidiaconatus continet; Trenchiniensem, Gradnensem, & Cathedralem. MSS. memoriae de his ita: *Trenchiniensis habet sub se potiorem partem Comitatus ejusdem nominis, & in ea XLII. Parochias: Gradnenfis minorem partem ejusdem Comitatus, & in ea XIV. Parochias: Cathedralis vero particulam Comitatus Nitriensis, & in ea VI. Parochias.* Hæc olim, nunc lætior facies est, & Parochiae antiores factæ.

(b) Libenter id diploma huic loco ad faciendam fidem inseruissim, nisi supellex litteraria, quam mihi bona AUGUSTÆ venia ex Cameræ Tabulario conegisti, jam in tertium annum Viennæ, incertum, quamobrem detineretur. Quod ipsum in causa est, cur ab supplementis ad Annales Regum abstineam, & minutulis interea argumentis, ne prorsum vacivus sim, occuper.

---

E P I S C O P I  
N I T R I E N S E S.

---

*Annus Christi.*

1133. Nicolaus.  
1169. Everardus. (a)  
1183. Idem.  
1195. Idem.  
1197. Idem.  
1215. Joannes I.  
1222. Vincentius I.  
1224. Jacobus.  
1230. Idem.  
1233. Idem.  
1234. Idem.  
1238. Idem. (b)

Z z 3

1242.

---

(a) Alias legitur etiam *Eduardus*, sed *Everardus* occurrit crebrius.

(b) In Missali Seculi XIII. ineuntis manus coæva hæc de Ecclesia Nitriensi adnotavit. *Anno ab Incarnatione Domini M.CC.XXX.VIII. Kal. Decembris consecrata est hæc Ecclesia in honore beatæ Marie Virginis a Venerabili Jacobo Nitriensi Episcopo, in qua continentur he reliquie. De Sca Maria Virgine, de Santo Petro Apostolo, de Sancto Georgio mre, de Sco Gallo Confessore, de Sco Henrico Confessore, de Sco Gothardo Confessore, de Sca Margareta Virgine. In Altari vero superiori, quoniam die sequenti in honore beati Georgii Martyris consecratum est, he habentur reliquie. De ligno Sancte Crucis de Sco Johanne Apostolo, & Evangelista, de Sco Georgio Martyre, de Sco Laurentio Martyre, de Sco Martino Episcopo & Confessore.*

1242. Bartholomæus. (a)  
 1254. Nicolaus II.  
 1255. Vincentius II.  
 1256. Idem.  
 1263. Idem.  
 1268. Idem.  
 1279. Petrus I. (b)  
 1281. Idem.  
 1287. Paska.  
 1291. Paschafius. (c)  
 1297. Idem.  
 1302. Frater Joannes II.  
 1308. Joannes.  
 1309. Idem.  
 1313. Idem.  
 1317. Idem.  
 1318. Idem.  
 1320. Idem.  
 1322. Idem.  
 1323. Idem.  
 1324. Idem.  
 1325. Idem.  
 1326. Idem.

1327.

(a) XVI. Calend. Decembris.

(b) Frater Comitis Vid.

(c) Videtur Idem esse cum *Paska*, quod in patro idiomate idem, quod *Paschafius*, valuerit. Certe in litteris Andreæ III. de eodem anno, quibus privilegia Siculis Kezdienibus confirmat, *Paschafius* diserte legitur.

1327. Idem.  
1330. Mesko, (a) seu Michaël I.  
1333. Idem.  
1334. Idem & eodem anno  
1334. Frater Ulricus.  
1336. Frater Vitus.  
1338. Idem.  
1342. Idem.  
1345. Idem.  
1346. Idem.  
1347. Vacat III. Non. Junii, & VIII. Cal. Dec.  
eodem anno  
1347. Nicolaus III.  
1349. Frater Stephanus I.  
1350. Idem.  
1351. Idem.  
1353. Idem.  
1354. Idem.  
1355. Idem.  
1356. Vacat. VIII. Idus Februarii. (b)  
1357. Frater Stephanus II.  
1358. Idem.  
1359. Idem.  
1360. Idem.  
1361. Idem.

1362.

(a) XII. Cal. Martii ex Vesprimensi translatus.

(b) In litteris Nobilium de Vermess datis VIII. Idus Februarii.

1362. Idem.  
 1363. Idem.  
 1364. Idem.  
 1365. Idem.  
 1366. Idem.  
 1367. Idem.  
 1368. Ladislaus I. (a)  
 1369. Idem.  
 1370. Idem.  
 1373. Frater Dominicus. (b)  
 1378. Idem.  
 1379. Idem.  
 1380. Idem.  
 1381. Idem.  
 1383. Idem.  
 1384. Idem.  
 1387. Demetrius.  
 1388. Gregorius I. (c)  
 1389. Idem.  
 1391. Idem.  
 1393. Michael II. (d)  
 1395. Idem.  
 1397. Idem.  
 1399. Petrus II. (e)

1401.

(a) VI. Idus Septembr.

(b) XIII. Calend. August.

(c) IV. Cal. Junii.

(d) IV. Cal. Maji.

(e) IV. Cal. Decemb.

1401. Idem.  
1404. Frater Hinco. (a)  
1405. Idem.  
1406. Idem.  
1407. Idem.  
1409. Idem.  
1410. Idem.  
1411. Idem.  
1412. Idem.  
1413. Idem.  
1414. Idem.  
1415. Idem.  
1418. Idem.  
1419. Idem.  
1420. Idem.  
1423. Idem.  
1424. Idem.  
1426. Idem.  
1427. Idem.  
1429. Georgius I. (b)  
1430. Idem.  
1431. Idem.  
1432. Idem.  
1434. Idem.

1435.

(a) II. Cal. Septemb.

(b) IV. Cal. Maji.

1435. Idem.  
 1436. Idem.  
 1447. Nicolaus IV.  
 1453. Idem.  
 1455. Idem.  
 1464. Thomas I.  
 1465. Idem.  
 1466. Idem.  
 1467. Idem.  
 1468. Idem.  
 1469. Idem.  
 1475. Idem.  
 1479. Idem.  
 1486. Frater Gregorius II.  
 1489. Idem.  
 1490. Idem.  
 1491. Idem.  
 1492. Antonius.  
 1493. Idem.  
 1494. Idem.  
 1495. Idem.  
 1498. Idem.  
 1500. Idem.  
 1501. Nicolaus. (a) V.  
 1504. Sigismundus Thurzo de Bethlehemfalva.

1505.

1505. Stephanus III. Podmaniczky de Podmanin. (a)
1506. Idem.
1507. Idem.
1508. Idem.
1511. Idem.
1514. Idem.
1518. Idem.
1526. Idem.
1527. Idem.
1528. Idem.
1534. Franciscus I. Thurzo de Bethlempalva.
1537. Idem.
1540. Idem. Præfectus Cameræ.
1545. Idem.
1550. Idem.
1552. Idem.
1553. Idem.
1554. Idem.
1556. Idem.
1557. Idem. (b)
1558. Paulus Bornemissa Gubernator Nitriensis. (c)
1559. Idem.

A a a 2

1563.

(a) XIII. Octobris.

(b) Erat in minoribus tantum Ordinibus, &amp;, ne cogeretur Sacerdotium suscipere, deseruit Episcopatum, ac ad Sectarios transiens primum Barbaram filiam Nicolai Kosztka de Szedlicz, postea Catharinam filiam Nicolai Comitis Zriny duxit. Anno 1564. Comes Comitatus Arvensis, &amp; 1566 supremus Anonæ Commissarius. Vitam ad annum 1569. produxit.

(c) Episcopus Transilvaniensis.

1563. Idem.  
 1565. Idem.  
 1567. Idem.  
 1568. Idem.  
 1569. Idem. (a)  
 1570. Idem.  
 1572. Idem.  
 1573. Idem.  
 1578. Idem.  
 1579. Idem.  
 1580. Vacat XXVI. Februarii.  
 1582. Zacharias Mossoczy. (b)  
 1583. Idem.  
 1586. Idem. (c)  
 1587. Stephanus IV. Fejérkóvy.  
 1590. Idem. (d)  
 1593. Idem. (e)  
 1594. Idem.  
 1596. Franciscus II. Forgács de Ghymes. (f)  
 1600. Idem.

1603.

(a) Simul Locumtenens Regius.

(b) XXVIII. Martii.

(c) Eodem anno X. Aprilis circa secundam horam noctis mortuus, &amp; postridie infra Altare majus Templi Domus Professorum Viennæ conditus.

(d) Simul Locumtenens Regius.

(e) Præter supremi Comitis Nitriensis titulum, gessit etiam Comitis Zaladiensis titulum, ut patet ex litteris hujus anni feria IV. proxima post festum Sacræ Pentecostes datis.

(f) X. Julii.

1603. Idem.  
 1604. Idem.  
 1606. Idem. (a)  
 1607. Stephanus V. Szuhay. (b)  
 1608. Valentinus Lépes. (c)  
 1609. Valentinus.  
 1610. Idem.  
 1611. Idem.  
 1613. Idem.  
 1615. Idem.  
 1617. Idem.  
 1622. Joannes III. Telegdy.  
 1624. Idem, simul Colocensis Archiepiscopus.  
 1625. Idem.  
 1627. Idem.  
 1629. Idem.  
 1630. Idem.  
 1633. Idem. (d)  
 1635. Idem.  
 1636. Idem.  
 1637. Idem.  
 1638. Idem.  
 1643. Idem.

A a a 3

1644.

(a) Simul Cancellarius.

(b) Ex Agriensi translatus.

(c) VI. Decembris. Simul Cancellarius.

(d) Celebravit Synodum Nitriæ hoc anno, nondum editam.

1644. Stephanus VI. Bosnyák, (a) & XXIII. Septembris eodem anno
1644. Joannes IV. Püsky.
1646. Idem.
1647. Idem.
1648. Georgius II. Szelepcényi.
1649. Idem.
1650. Idem.
1651. Idem.
1655. Idem.
1659. Idem, simul Colocensis Archiepiscopus.
1662. Idem.
1665. Idem.
1667. Idem.
1668. Leopoldus a Kollonics.
1669. Idem.
1677. Thomas II. Comes Pálfy ab Erdöd.
1678. Idem.
1681. Joannes V. Gubaffoczy.
1686. Vacat X. Junii.
1688. Petrus III. Korompay.
1689. Petrus. (b)
1690. Idem. (c)

1696.

( ) XIII. Septembris ex Vesprimensi translatus.

(b) Simul Cancellarius.

(c) Obiit Vienna hoc anno XII. Maji, &amp; XIII. in Templo Domus Professorum tumulatus, comitantibus funebrem pompam Georgio Szelepcényio Strigonensi Metropolita, &amp; Mathia Radonyai Quinque-Ecclesiensi Episcopo.

1696. Ladislaus II. Mattyashofszky. (a).
1698. Idem.
1700. Idem.
1702. Idem.
1705. Idem. (b)
1707. Comes Adamus Erdödy.
1715. Idem.
1720. Comes Ladislaus III. Erdödy.
1723. Idem.
1729. Idem.
1736. Idem. (d)
1740. Comes Emericus Eszterházy. (e)
1741. Idem.
1744. Idem.
1750. Idem.
1763. Joannes Gusztinyi.
1775. Idem.

EPI-

(a) Nominatus XXI. Junii.

(b) Mortuus X. Maji.

(c) Simul Cancellarius.

(d) Obiit die XII. Maji.

(e) Nominatus VII. Decembris ex Episcopo Doriensi.



---

## E P I S C O P A T U S M U N K A C S I E N S I S.

---

*Græci ri-  
tus homini-  
bus qui ra-  
riis Diœce-  
sanis subje-  
cti erant.* **T**am Valachos, quam Hungariæ Russos, qui nostris paſſim Rutheni dicuntur, & ex Russia perentim in Hungariam venerant, Græcæ religioni adictos, & monachorum ejusdem ritus, qui sub potestate Diœcesanorum Latinorum erant, curæ obnoxios in principio fuisse, Inocentii III. litteris docemur, qui ad preces Emerici regis Græcum Episcopatum, qui Papæ ſolum ſubeffet, condere volens, Epifcopo Varadiensi, & Abbatи de Beel in mandatis dederat, ut coenobia Græcorum Monachorum, qui a primæva disciplina valde defluxiffe ferebantur, ad frugem revocarent, tum viderent etiam, utrum cum Diœcesanorum Epifcoporum confenu ex populis Græcanici ritus, conſlari Epifcopatus poſſet, cujus Anſtitites summis tantum Pontificibus ſubderentur. Mandata in hunc tenorem habebant. „ Innocentius Epifcopus, fer-  
*Pontifex peculiarem* „ vus fervorum Dei, Venerabili Fratri - - (a) Var-  
*Epifcopum dare mol-* „ diensi Epifcopo, & - - Abbatи de Beel Vesprimi-  
tur.

en-

---

(a) Erat is nomine Simon.

„ ensis Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictio-  
 „ nem. Significavit nobis Charissimus in Christo filius  
 „ noster, (a) Rex Hungarorum Illustris, quod quæ-  
 „ dam Ecclesiæ Monachorum Græcorum in regno  
 „ Hungariæ constitutæ, per incuriam Diœcesanorum  
 „ Episcoporum, & per ipsos Græcos, qui valde sunt,  
 „ sicut afferit, dissoluti, penitus destruuntur, a nobis  
 „ supplicans humiliter, & devote, ut auctoritate no-  
 „ stra unus fieret Episcopatus ex ipsis, qui nobis,  
 „ nullo mediante, subesset, vel Abbas, aut Præpositi  
 „ Latini constituerentur in illis, per quorum studium,  
 „ & diligentiam earumdem Ecclesiarum status possit  
 „ in melius reformari. Nos igitur ejusdem regis peti-  
 „ tionibus inclinati, Discretioni vestræ per Apostolica  
 „ scripta mandamus, quatenus ad prædictas Ecclesias  
 „ accedentes inquiratis diligentius veritatem, utrum  
 „ per ipsos Monachos Græcos eadem monasteria in  
 „ religionis observantia valeant reformari, utrumve  
 „ de Diœcesanorum Episcoporum consensu unus fieri  
 „ possit Episcopatus ex illis, qui nobis sit immediate  
 „ subiectus. Quod super his inveneritis, fideliter  
 „ consribentes, sub testimonio Sigillorum vestrorum  
 „ ad nostram præsentiam destinatis, ut per inquisitio-  
 „ nem vestram instructi securius in eodem negotio  
 „ procedere valeamus. Interim autem ad correctio-

„ nem

---

(a) Emericum indicat.

„ nem eorum impendatis operam efficacem. Datum  
 „ Laterani XVI. Calendas Maji, Pontificatus nostri  
 „ anno septimo. (a) „ Ex eventu tamen patuit,  
 hanc Pontificis destinationem in ipso principio adhæ-  
 sisse, sive Diœcesani vererentur Episcopum novum,  
 qui Pontificia autoritate facile abusus, negotium sibi  
 permolestum faceſſere posset, in suum consortium ad-  
 mittere, sive, quod mihi plane persuadeo, factu dif-  
 ficillimum erat, homines per varias Diœceses sparsos,  
 in unam societatem conflari. Itaque deinceps etiam,  
 qui Grœcanici ritus in Hungaria erant, in Diœcesanor-  
 rum arbitrio mansere, quoad serius postea Rutheno  
 populo Episcopi ex sua gente dati sunt, quos inter,  
 de quo deinceps dicendum erit, Munkaciensis quo-  
 que fuit, nuper admodum, quod jam supra monui, ex  
 jurisdictione Agriensis Praefulsi, bona Pontificis, &  
 Augustæ venia, exemptus.

*Episcopatus Munkaciensis ini-  
tia.*

Episcopatus hujus initia ut ut non sint vetusta,  
 tamen ita sunt obscura, ut ad quod tempus figi de-  
 beant, vix aliquid, quod penitus exploratum sit, re-  
 periam. Certe ad Mathiæ Corvini ætatem ejus incu-  
 nabula non pertingunt, quod Munkacienses, & finiti-  
 mum agrum curæ Presbyterorum dunitaxat commissum  
 fuisse ex Regis litteris constet, quibus perspicue de-  
 clarat,

(a) Hoc est, anno 1204. Ex Regesto anni VII. Epistolarum Inno-  
 centii III. Epistola 47.

clarat, Munkaciensem Parochiam ab vetustis temporibus ad Regiam collationem pertinuisse. Illarum hic tenor est. (a) Nos *Mathias Dei Gratia Rex Hungariae &c.* Memorix commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod nos attentis, & consideratis meritis, & industria *Lucæ Presbyteri Rutheni*, quibus idem nostro in conspectu a nonnullis nostris subditis meruit commendari, eundem ad Plebaniam Ruthenicalem Sancti Nicolai prope possessionem Munkacs-Monostra vocatam, ritu Ruthenorum fundatam, (b) cum sua solita Jurisdictione, quam videlicet Plebaniam ipse Lucas se a pluribus retroactis annis de Jure tenuisse, & etiamnum tenere afferit, authoritate nostra Regia, qua hujusmodi Plebania more Prædecessorum nostrorum Regum Hungariæ ad nostram collationem pertinere dignoscitur, duximus eligendum, & nominandum, eandemque eidem simul cum duabus Possessionibus -- ad eandem Plebaniam, & possessionum utilitatibus, & pertinentiis, proventibus, & obventionibus quibuslibet -- duximus denio, & ex novo dandam, & conferendam, ac de eadem eidem providendum, imo damus, conferimus, & eidem providemus præsentium per vigorem. Quocirca vobis, fidelibus nostris, Conventui Ecclesiæ de Lelesz harum serie firmiter præcipientes

B b b 2

man-

(a) Ex MSS. analect. Caroli WAGNER.

(b) Nimirum a Theodoro Keriatoviccio Duee Munkaciensi anno 1360. Litteras Fundationis inserui supplemento ad Annales Hunnorum &amp;c. pag. 132.

*mandamus, quatenus præfatum Lucam Presbyterum Ruthenum in præfatam Plebaniam, more in talibus observari alias solito, item in Dominium dictarum possessorum, - - - ac utilitatum, & pertinentiarum earundem quarumlibet denuo, & ex novo introducere - - - & in eisdem contra quoslibet illegitimos impeditores, & in suis solitis Decimis - - tenere, & conservare debeat, auctoritate nostra præsentibus vobis in hac parte attributa, & justitia mediante, secus facere non ausuri. Præsentibus perfectis exhibenti restitutis. Datum Budæ in vigilia Assumptionis Beatae Mariae Virginis anno Domini MCCCCLVIII. Hæc satis ab se loquuntur, nondum quidem ad hoc tempus Munkaciensem Episcopatum fuisse conditum.*

*Primus  
Episcopus.*

Prima illius memoria occurrit ad annum MCCCCXCI. quo Joannes quidam Episcopi titulum geslisse in Instrumento legitur, quo fere persuadeor, Episcopatus initia Wladislao tribui oportere, qui, dum in iis plagiis cum fratre Alberto de corona Hungariæ concertaret, videretque Ruthenos in fide constantes esse, istorum rogatu Presbyteratum Munkaciensem in Episcopen bona Pontificis venia converterit. Deinceps enim continente jam serie Episcopi Munkacienses passim in Regum, privatorumque litteris occurrunt, et si locum inter Sacros Magistratus, qui Regiis Diplomatibus subscribi solent, nusquam habuerint, jam Regibus

gibus nostris, jam Transsilvaniæ Principibus, ut plagæ illius fors fortuna fuit, obnoxii, præsertim dum Ferdinandus crebra ob Regni possessionem cum Joanne Zapolya armorum collatio intercederet, ac post hujus obitum Isabella illius uxor de provincia primum decedens, postea autem pænitudine ducta eamdem recuperaret. Quæ res in causa suisse videri potest, cur inter tot bellorum tumultus, & afflictas sub Ludovico II. Hungariæ res aliquam eorum partem ad Schisma inclinasse, si non penitus transisse, quidam memoriæ prodiderint. (a)

Ceterum quæ disciplinæ ratio, ac rerum Sacra-  
rum norma apud unitos obtineat, jam Concilium Flo-  
rentinum olim definiverat, & Leo Papa X. sub Ludo-

*Præcipua  
Græci ritus  
capita.*

### B b b 3

(a) Est mihi Schediasma ad manum de Cardinali Kollonichio cum Tutor Rakoczianus esset, in hæc verba exaratum. *Dum ageret Tutorum Rakoczianum, Roma secum eduxit unitum Græci Ritus Sacerdotem, quem in Episcopum consecravit, Munkacsinum imposuit, 600. eidem florenos pro viatu assignavit, ut plures Ecclesiæ uniret. Ubi Tutoratum deponeret, & rationem parata pecunia accepit, & expeditæ daret, Pupillique debitores in quinque Millibus, & aliquot centenis florenis mansisset, nec pro his solvendis parata pecunia adesset, dixit, ut rideant se pro suo Interesse non egisse Tutorum, neque uliquid a tot annorum administratione Tutoratus petere, quam hoc unicum, ut Episcopatum Munkacsensem indemnum servent, uti & unitos Græci Ritus Sacerdotes. Ista quinque Millia & aliquot centenos pariter pro eodem Episcopatu donavit, ut vel ex illo per modum Capitalis annuus census solveretur, vel in ea summa Bona conferrentur: factum est primum sub Hypotheca certorum Bonorum. Ut autem hunc Episcopum unitum imponere posset, cum prius fuerit alius ibi Schismatiscus, huic tamquam Tutor proventus negavit, si vero abire vellet, liberale Viaticum obtulit, quo etiam allectus ad fines Transsilvaniæ in Marmaros Comitatuum recessit.*

vicio II. litteris suis complexus, universe confirmavit, graviterque cavit, ne quid illis propterea Diœcesani obturbarent. Litteræ in hunc modum habent. „ Leo Papa X. ad perpetuam rei memoriam.  
 „ Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Flo-  
 „ rentino sub felicis recordationis Eugenio Papa IV.  
 „ Prædecessore nostro, in quo inter ceteros Principes,  
 „ & Prælatos, Imperator tunc Græcorum, & quam-  
 „ plurimi alii Prælati nationis Græcæ pro unione faci-  
 „ enda de orientali Græcorum cum Romana Ecclesia,  
 „ re tam diu a Prædecessoribus nostris, Romanis Pon-  
 „ tificibus, ac tota Christiana Republica desiderata,  
 „ interfuerint; inter alia statuta determinatum est,  
 „ nationem prædictam, in quibusdam eorum Ritibus,  
 „ & observantiis, quæ non imputabantur Hæresi, per-  
 „ manere, & inter cætera scilicet: quod Presbyteri  
 „ in fermentato celebrare, ac sub alia forma, quam  
 „ Romana, baptisare, videlicet: baptizatur servus Dei  
 „ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti A-  
 „ men. Item quod ordinati in Sacris Matrimonio  
 „ ante ipsorum Sacrorum Ordinum susceptionem, con-  
 „ tracto uti, ac barbam nutrire, venerandumque Sa-  
 „ cramentum sub utraque specie omnibus, etiam pue-  
 „ ris, ministrare possint, per dictum Concilium sta-  
 „ tutum, ordinatum, ac decretum, sive permisum  
 „ fuerit, tamen Ordinarii locorum Latini ipsam natio-  
 „ nem saper dictis Ritibus, & observantiis, in locis

ubi

„ ubi de præsenti Græci morantur, quotidie mole-  
„ stent, perturbent, ac inquietent, cogentes pueros  
„ ipsorum, & alios eorum more baptizatos, iterum  
„ more Romanæ Ecclesiæ rebaptizari, dictumque Sa-  
„ cramentum sub utraque specie omnibus, etiam pue-  
„ ris prædictis, minime administrari debere, neque  
„ Barbam nutrire, neque in fermentato, sed in azy-  
„ mo celebrare, ac in dictis Sacris ordinibus ordina-  
„ tos matrimonio nequaquam uti debere: propter quæ,  
„ ac nonnulla alia quotidie in populo diversa scanda-  
„ la exoriuntur, ac in dies, nisi de opportuno per  
„ nos remedio provideretur, exoriri contingeret. Con-  
„ siderantes autem quam operæ pretium, pium, ac  
„ necessarium sit, ut unio prædicta multo labore quæ-  
„ sita -- per Romanos Pontifices -- conservetur, &  
„ dictorum Græcorum molestiis, ac impedimentis hu-  
„ jusmodi obvietur, nec non quieti ipsorum, atque  
„ animarum consolationi in præmissis opportune consu-  
„ latur, Ritus quoque, & observantiæ in eorum Ec-  
„ clesiis, & alibi, juxta antiquam ipsorum consuetudi-  
„ nem conserventur, motu proprio, non ad alicujus  
„ nobis super hoc oblatæ petitionis Instantiam, sed de  
„ nostra Liberalitate, & ex certa scientia nostra, ac  
„ de Apostolicæ potestatis plenitudine, dictis Græcis,  
„ tam Prælatis, quam aliis personis nationis Græcæ,  
„ & eorum cuilibet, ut eorum Ritibus, ac observan-  
„ tiis, sive consuetudinibus, ut præmittitur, uti, ac il-  
„ los,

„ los, & illas observare, Missasque, & alia divina  
 „ officia, secundum eorum antiquam consuetudinem  
 „ celebrare - - possint, motu, & scientia similibus,  
 „ tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Et  
 „ insuper, quod nullus Archiepiscopus, Episcopus-  
 „ que ordinarius Clericos Græcos ad Sacerdotium pro-  
 „ movere audeant, ac quod in Dioceſi, ubi Latini,  
 „ & Græci inhabitant, & ſolum Archiepiscopum, fi-  
 „ ve Epifcopum Latinum ordinarium habent, dictus  
 „ Archiepiscopus, five Epifcopus, circa negotia, &  
 „ cauſas diectorum Græcorum, Vicarium Græcum iſpis  
 „ Græcis gratum, vel per iſpos Græcos eligendum,  
 „ ex quo vir Græcus melius Græcos mores novit,  
 „ quam Latinus, eorum ſtipendio, & ſalario retinen-  
 „ dum deputare, quodque in cauſis appellationis ad  
 „ Metropolitanum, ſi forſan Græcus non eſſet dictus  
 „ Metropolitanus, ſimiliter in diectis cauſis, Judicem  
 „ Græcum deputare teneantur. Et insuper cum in  
 „ Parochialibus Ecclesiis iſforum Græcorum ex anti-  
 „ quissimo, & hactenus obſervato Ritu non niſi ſe-  
 „ mel in die per unum Sacerdotem celebrari liceat,  
 „ & tamen nunnuli Sacerdotes Latinorum, dimiſſis  
 „ iſforum propriis Parochialibus Ecclesiis, ut præfa-  
 „ tos Græcos Injuria afficiant, & ad diſturbandum eo-  
 „ rum Ritus, & conſuetudinem hujusmodi, neſcitur,  
 „ quo ſpiritu ducti, interdum Altaria dictarum Paro-  
 „ chialium Ecclesiarum præoccupant, & inibi conta-

volun-

„ voluntatem eorundem Græcorum Missas, & forsitan  
„ alia divina officia celebrant, adeoque dicti Græci sæ-  
„ penumero sine auditione Missarum cum magna ani-  
„ marum molestia festivis, & aliis diebus, quibus mis-  
„ sam audire consueverunt, remaneant: Nos autem ad  
„ obviandum scandalis, & providendum, ne in futu-  
„ rum molestiæ hujusmodi Græcis ipsis inferantur, Sa-  
„ cerdotibus Latinis prædictis, ne de cetero Missas,  
„ & alia divina officia in dictis Ecclesiis eorundem  
„ Græcorum celebrare, Magistratibus vero, si qui sunt,  
„ ne dictis Sacerdotibus auxilium, & favorem præ-  
„ stent, nec non, ut nullos Ritus, & ceremonias in  
„ dicto Concilio Florentino, vel alias approbatos bla-  
„ sphemare, aut reprobare, seu improbare, ac ubi  
„ duo, unus Latinus, alter vero Græcus, ejusdem  
„ Loci - - - sunt Episcopi; Episcopus Latinus de per-  
„ sonis Ecclesiasticis, & secularibus Græcis, ac de  
„ Jurisdictione Episcopi Græci, vel aliis quibuscunque  
„ ad Episcopum Græcum quomodolibet spectantibus,  
„ nullatenus se intro mittere præsumat, sed Episcopus  
„ Latinus Latinorum, Episcopus vero Græcus Græ-  
„ corum dumtaxat curam, regimen, ac Jurisdictione  
„ nem respective habeant, & exerceant: Et insuper,  
„ quod Presbyteri Latini in Ecclesiis Græcorum ne-  
„ que celebrare, neque funeralibus, Nuptiis, ac Ba-  
„ ptismis, & aliis Græcorum actibus publicis, & pri-  
„ vatis interesse, aut se immiscere, nisi ad hoc spe-

„ cialiter per ipsos Græcos vocati fuerint, audeant,  
 „ vel præsumant: Quod Clerici, & Presbyteri Secu-  
 „ lares, Monachi Græcorum, eorumque Ecclesiæ, ac  
 „ Monasteria, Bonis, quæcunque de Jure, sive confue-  
 „ tudine, vel alias quomodolibet ad ipsos pertinent-  
 „ iisdem uti, potiri, & gaudere libere, & licite  
 „ possint, & valeant: nec non Abbates, & Monachi  
 „ Græci, eorumque Monasteria, Loca, & Bona quæ-  
 „ cunque omnibus, & singulis Privilegiis, Exemptioni-  
 „ bus, Indultis, Gratiis, & Prærogativis in Bulla *Ma-*  
 „ *re magnum* nuncupata, contentis, Fratribus Ordini-  
 „ nis Minorum Regularis obseruantiae, eorumque Mo-  
 „ nasteriis, Locis, seu Conventibus tam per dictam  
 „ Bullam, quam alias quomodolibet concessis, & con-  
 „ cedendis, etiam uti, potiri, & gaudere possint. Nec  
 „ non viduae Presbyterorum, vel Clericorum Græco-  
 „ rum, in castitate juxta Ritum Græcorum viventes,  
 „ iisdem Immunitatibus, Exemptionibus Privilegiis,  
 „ quibus, viventibus eorum viris Presbyteris, seu  
 „ Clericis, gaudere poterant, gaudeant, & fruantur,  
 „ motu, scientia, & potestate paribus, concedimus,  
 „ decernimus, & declaramus: ac ita per Archiepisco-  
 „ pos, Episcopos, & alios Prælatos, Presbyteros, &  
 „ Clericos Latinos, pro dictis, & quibuscunque aliis  
 „ ejus videlicet Prælatis, & suis majoribus, sub su-  
 „ spensionis a divinis, aliis vero inferioribus sub ex-  
 „ communicationis latæ sententiæ, privationis benefi-  
 „ cio-

„ ciorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, ac perpe-  
 „ tuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, ipso  
 „ facto per quemlibet contra facientem incurrendis  
 „ poenit präcipimus, mandamus, quatenus præsentes  
 „ litteras, ac omnia in eis contenta inviolabiliter ob-  
 „ servent, sicutque per quoscunque Judices in Romana,  
 „ Curia, vel extra eam in quacunque Instantia judica-  
 „ ri, sententiari, & definiri debere, sublato eis, &  
 „ eorum cuiolibet aliter judicandi, sententiandi, & de-  
 „ finiendi facultate, ac irritum, & inane, quidquid  
 „ fecus super his a quocunque, quavis autoritate,  
 „ scienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Et  
 „ nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris Caserta-  
 „ no, & Asculano Episcopis per hæc scripta commit-  
 „ timus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus,  
 „ quatenus eisdem Græcis, tam Presbyteris, & Cle-  
 „ ricis, Religiosisque prædictis, quam secularibus, &  
 „ aliis personis dictæ nationis Græcæ efficacis defen-  
 „ sionis præsidio assistentes, faciant per se, vel per  
 „ alium, seu alios, prænominatos, & quemlibet ipso-  
 „ rum, Concessionibus, Indultis, Gratiis, ac Indulgen-  
 „ tiis, nec non statutis, decretis, & ordinationibus  
 „ prædictis pacifice ac perpetuo frui, gaudereque: non  
 „ permittentes eos, & eorum quemlibet in præmissis  
 „ aliquo quæfito colore molestari, impediri, pertur-  
 „ barique: Contradictores quoslibet prædictas, &  
 „ quasvis alias censuras, & poenas Ecclesiasticas ag-

„ gravando, & reaggravando, Interdictumque Ecclesiasticum - - apponendo, & alia opportuna Juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus Synodalibus, Conciliis Generalibus, vel specialibus, & ordinationibus Apostolicis - - ac statutis, & consuetudinibus - - ex Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, & Indultis, nec non omnibus illis, eorumque totis tenoribus, de quibus specialis, specifica, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales - - seu quavis alia exquisita forma servanda foret, quibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, certisque in contrarium facientibus quibuscunque: aut si dictis Archiepiscopis, & Prælatis, & Dominis temporalibus, & quibusvis aliis personis communiter, vel diversim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo, ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem: & quoniam difficile foret præsentes litteras ad singula quæque Loca deferre, volumus, & simili motu mandamus, quatenus transsumtis præsentium alicujus publici Notarii consecatis,

„ ma-

„ manu, ac Sigillo alicujus personæ in dignitate Ec-  
 „ lesiaistica constitutæ munitis, ea prorsus fides in Judi-  
 „ cio, & extra adhibeat, quæ præsentibus adhibe-  
 „ retur, si originaliter forent exhibitæ, & ostensæ.  
 „ Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pi-  
 „ scatoris, die XVI. Maji, Anno MD. XXI. Pontifi-  
 „ catus nostri Anno nono. (a) „

His legibus, ac prærogativis Rutheni in Hunga- *Ferdinan-*  
 ria quoque vivebant, quoad sub *Ferdinando I.* vulgus *d u s rex*  
 contemta sui Episcopi authoritate, cum multa alia ad-  
 versum consuetos Ritus agere, tum Matrimonii in *pristinam*  
 primis vinculum suomet Judicio dissolvere, ac foeda  
 nundinatione, dum e re sua esset, rursus connecte-  
 re, nil pensi habebat. (b) Mali contagio ex agro

Ccc 3

Mun-

(a) Ex Bulla Clementis VIII. data 26. Martii anno 1526. Tametsi Pius Papa IV. Privilegia hæc anno 1564. ad arctiores limites redegerit.

(b) Videtur hic mos a Schismaticis irrepsisse, apud quos libelli Repudii nullo negotio offerebantur. Hujusmodi complures continet: *Regula Legis voluntati divinæ accomodata* - - ad *Mandatum Imperatoris Joannis Comneni per Aristinum magnæ Ecclesiæ Diaconum &c.* Hujus libri jam alias memini, qui non male *Jus Canonicum Græcorum* vocaretur. Istic has formulas reperio. *Libellus Repudii propter Adulterium.* Item: *Libellus Divortii quando Maritus peregre proficiuntur, & non amplius videtur.* Rursus: *Libellus Divortii hominis a Dæmoni obseSSI:* Denique; *Libellus Repudii, quando Maritus non mitit Uxori sumitus, & media vita sustentandæ.* Hic ita habet. *In nostram sedentium una cum Clericis præsentiam venit mulier querulans, & lamentans, suumque maritum N. accusans, dicens: Sex annos effluxisse, quod a marito derelicta sit, & ab illo tempore, a quo ille discessit, plane ejus, & suæ domus sit oblitus, nullusque ei sumitus, litteras re, aut aliud vitæ sustentandæ subsidium miserit, statuitque coram Nobis etiam Testes N.N. qui sub Juramento, & irremissibili excommunicationis vinculo attestati sunt ea, quæ mulier dixit.* Proinde juxta

Munkacsienſi in omnem late viciniam pervaſura erat, niſi Ferdinandus Rex de periculo mature per gentis Episcopum admonitus, gravifimis litteris Posonio datis, populum temere exerrantem, ad pristinos Ritus revocatum Episcopo ſuo conciliaſſet: Iis litteris Rex mentem ſuam in hæc verba prodiſ. (a) „ Ferdinandus divina favente Clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiæ &c. Rex &c. Fidelibus noſtris universis, & ſingulis, Magnificis, Egregiis, ac Nobibus, nec non prudentibus, ac circumſpectis, Univerſitati populorum Ruthenorum, eorundemque Officinalibus ſalutem, & gratiam. Exponitur Majestati Noſtræ per Venerabilem, ac Religiosum Ladislauum Episcopum in Claуſtro Beati Nicolai Confessoris circa Oppidum noſtrum Munkács more Græcorum fundato, quomodo eſſent inter vos, ex plebe videſſe licet iſta Ruthenica complures, qui uxores repudiarē, & a ſe dimittere, & e contra uxores, quæ a maritis ſuis divortium facere, vel leviflma tantum de cauſa, ſæpenumero nulla ab eo, vel aliis eorum Episcopis, personiſque Ecclesiasticis, ad quos di- „ ſpen-

---

ta eorum teſtimoniuм, & conſuetudinem Synodi Sanctissimi totius mundi Patriarchæ Dionyſii, qui præcepit, ut ſeparetur ſimile matrimonium effluo quinquennio, ſi maritus immemor ſuæ uxorii, eam deſeret. Ob quæ Impedimenta etiam nos ſeparamus, & ſegregamus mulierem N. a marito ſupra dicto, damusque ei facultatem alteri marito legitime nubendi. Pro cujus Divortii demonstratione, ac firmitate formatus eſt etiam hic Libellus Divortii & insertus huic Prothocollo Sanctæ Metropoleos, anno, mense, Indiſtione &c.

(a) Ex MSS. Analect. Caroli WAGNER.

„ spensatio hujusmodi juxta eorum consuetudinem, &  
„ Ecclesiæ Ritum pertineret, petita licentia, sed so-  
„ lummodo a nonnullis ex vobis, solutione exiguae  
„ summæ pecuniariæ eis facta, licentia hujusmodi im-  
„ petrata, quod in magnum scandalum, detrimentum-  
„ que, & perditionem animarum talium vergere digno-  
„ sceretur; præsumerent, ac proinde pro parte p̄suis ex-  
„ ponentis existit Nobis humiliter supplicatum, ut in  
„ hac re de condigno juris remedio providere dignaremur.  
„ Cum igitur indignum sit, profanos homines se se in  
„ authoritatem Ecclesiasticam quovis modo miscere,  
„ præsertim vero dispensando maritis, vel uxoribus, ut  
„ divortium inter se faciant, idque propter pecuniam,  
„ quo vix ullum majus exstat peccatum, fidelitatibus  
„ vestris, & vestrum singulis harum serie firmiter  
„ committimus, & mandamus, ut, præmissis sic se ha-  
„ bentibus, posthac nullo modo Vos, aut quisquam  
„ Vestrum se ad dispensandum hujusmodi homines, vel  
„ mulieres divortium facere volentes, ingerere præsu-  
„ matis, sed præfatum exponentem, ceterosque Epi-  
„ scopos, & alios Ecclesiasticos, quorum id interest,  
„ autoritate eorum frui, gaudere in his, & aliis hu-  
„ jusmodi, quæ ad forum spirituale spectant, modis  
„ omnibus permittere, ac per Vestros, quorum in-  
„ terest, permitti facere debeat, & teneamini.  
„ Nam alioquin concessimus præfato Exponenti libe-  
„ ram facultatem contra Vos, & aliquos vestrum,  
„ qui

„ qui secus fecerint, juxta eorum jura, & consuetudines procedendi, cui etiam Nos, tamquam Ecclesiasticorum Jurium defensores, auxilio nostro pro puniendis talibus juxta eorundem merita pro necessitate affuturi sumus. Secus nullo modo facturi: præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii die XV. mensis Martii anno Domini MDLII.

*Isabella  
vero Regi-  
na immu-  
nitates con-  
firmat.*

Haud minore studio Isabella Regina, posteaquam Transsilvaniæ possessionem iterum adiit, in Munkacsensem Episcopum, ac subjectum sibi Clerum fuit, quæ cum videret non pro eo, ac oportebat, Antistitem haberi, ejusque Ecclesiam, ac fundos oneribus publicis præter æquitatem onerari, immunitates, quas Divi Hungariæ Reges olim indulserant, novo edicto firmandas decrevit. (a) „ Nos Isabella Dei gratia Regina Hungariæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod nos cum nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem Nobis pro parte Fidelium nostrorum honorabilium, Lariona Episcopi, & ceterorum Fratrum Monachorum, in Claustro Rutenorum Divo Nicolao consecrato, prope oppidum nostrum Munkacs habito, commorantium factam, tum pia intentione motæ, eosdem Larionam Episcopum, „ &

---

(a) Ex copia.

„ & ceteros Monachos in præscripto Claſtro com-  
 „ morantes, juxta annuentiam Divorum Hungariæ Re-  
 „ gum, Prædeceſſorum Noſtrorum, a ſolutione qua-  
 „ rumlibet contributionum, cenuſum, & taxarum tam  
 „ ordinariarum, quam extraordińiarum, item quorum-  
 „ libet onerum, & ſervitiorum exhibitione in perpe-  
 „ tuum clementer eximendos, & ſupportandos duxi-  
 „ mus, imo eximimus, & ſupportamus præſentium  
 „ vigore. Quocirca vobis fidelibus noſtris Magnificis,  
 „ Egregiis, & Nobilibus, Comiti, Vice-Comitibus  
 „ Comitatus Beregh, item Præfecto, Caſtellaniſ, Pro-  
 „ viſori Arcis noſtræ Munkacs, Dicatoribusque, &  
 „ Exactoribus quarumlibet contributionum noſtrarum  
 „ modernis, vel futuris, præſentium notitiam habitu-  
 „ riſ, harum ſerie mandamus firmiter, quatenus a mo-  
 „ do deinceps memoratos Larionam Epifcopum, &  
 „ reliquos Fratres Monachos in prædicto Claſtro  
 „ commorantes, ad ſolutionem quarumcunque taxa-  
 „ rum, cenuſum, & contributionum tam ordinariarum,  
 „ quam extraordińiarum, ac onerum, ſervitiorum-  
 „ que exhibitionem cogere, & impellere, aut eosdem  
 „ propterea impedire, turbare, ac quovis modo da-  
 „ innificare non præſumatis, ſecus non facturi, præſen-  
 „ tibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in Civi-  
 „ tate noſtra Alba Julia tertia Die mensis Julii, anno  
 „ Domini MDL VIII. ”

*Idem Maximilianus II. facit.*

Id beneficium Isabellæ fuit, quamdiu recuperata Transsilvania rerum etiam in aliqua Hungariæ parte potiebatur: Illa defuncta, ubi Hungariæ portio, in qua Munkacsinum est, ad Maximilianum II. rediit, iterum despiciatui haberi Latinis, & injuriis affici, quin etiam Jurisdictione per profanos homines privari cœperere. Quod ut per se se indignum erat, ita postea, quam ad Maxilianum est allatum, sapientissimo Regis consilio, & gravissimis litteris cautum est, ut Episcopo sua dignitas, Ecclesiæ honor, ac indemnitas, tum Clero Ruthenico, ac Monachis sua libertas constaret. Litterarum, quas Maximilianus ad Franciscum Zajum Arci Munkaciensi præfectum dederat, is tenor fuit.

(a) *Nos Maximilianus Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae Et. Rex Et. Fidelibus nostris Egregiis Francisco Zay Præfecto, ac Joanni Szentbenedeky Provijori, ceterisque officialibus arcis nostræ Munkacs modernis, Et futuris salutem, Et gratiam. Conquesti sunt nobis Fideles nostri Reverendus Episcopus, Et Conventus Fratrum Ruthenorum Ecclesiæ Beati Nicolai Confessoris prope castrum nostrum Munkacs Ritu Græcorum fundatæ, qualiter vos moderni officiales nostri, posthabitis antiquis libertatibus, Et consuetudinibus eorundem a tempore defunctæ Sacrae Regiæque Majestatis paternæ observatis, equos eorundem, item pelles vulpinas, Et mardurinas*

vio-

violenter extorqueretis, Episcopumque, & suos vice-gere  
 rentes in visitatione Plebanorum ordinariorum impedire-  
 tis, & retardaretis, imo Cathedraticum, aliosque pro-  
 ventus eorum pro vobismet usurpantes, exigere eisdem  
 non permetteretis, quin etiam ipsam Jurisdictionem,  
 quæ ad Episcopum ipsum pertineret, contra Ius vobis  
 ipsis usurparetis, disciplinam Episcopalem, cum fatis  
 Laici, in eos exerceretis; præterea ad solutionem Dicæ,  
 aliorumque tributorum Præsbyteros ipsis subjacentes ur-  
 geretis, & ad quævis servitia rusticalia compelleretis, in  
 nullis eos denique libertatibus, imo neque Sacerdotii,  
 neque dignitatis eorundem habito respectu, conservaretis,  
 sed potius carceres, verbera, & cruciatus eisdem, nisi  
 vestræ voluntati morem gererent, certo minaremini, so-  
 liti etiam decedente Episcopo ipsorum, cunctas res eorun-  
 dem tam mobiles, quam immobiles violenter in prædam  
 quasi quamdam convertere, summa injuria, damno, &  
 oppressione eorundem manifesta. Unde supplicarunt no-  
 bis humiliter, ut eisdem superinde de remedio opportu-  
 no gratijsse providere, neque eos contra libertates, & con-  
 suetudines eorum ita misere opprimi permittere dignare-  
 mur: quorum supplicatione clementer exaudita, nolentes  
 amplius exponentes, per vos, aut alios quospiam ita in-  
 dignis modis affligi, atque opprimi, fidelitati vestræ ha-  
 rum serie firmissime præcipientes committimus, &  
 mandamus, aliud habere nolentes, quatenus acceptis præsen-  
 tibus, & præmissis, sicut præfertur,stantibus, & se sic

*habentibus, præfatos exponentes in receptis, & hæc tenus  
usitatis eorum libertatibus conservare, & de violenter  
ablatis rebus suis eosdem quoad plenum sine mora con-  
tentos reddere, atque in posterum a cunctis violentiis, &  
illegitimis impetum iporum supersedere modis om-  
nibus debetatis, dictum Episcopum, & suos vicegerentes,  
ad ea, quæ officii sui sunt, visitationes nimis Pleba-  
niarum, & alia munia Ecclesiastica obeunda libere ad-  
mittere, Cathedraticum quoque, & alios proventus ipso-  
rum eis pacifice colligendos permittere debeatis; abusum  
quoque illum, quem in direptione rerum, Bonorumque  
suorum decadente Episcopo eorum induxit esse dicimini,  
tamquam a Justitia, & pietate prorsus alienum, tollere in  
posterum omnino debeatis, secus nullo modo facturi. Da-  
tum in arce nostra Posoniensi, XIII. mensis Octobris,  
Anno Domini MDLXIX.*

*Strigonien-  
sis Archi-  
episcopus  
Partheni-  
um conse-  
crat Epi-  
scopum.*

Fuerintne autem constantes in unione, an contra  
ad Schisma rursus defecerint, nihil omnino quidem,  
quod ad hanc ætatem pertineat, apud Scriptores, aut  
in Literariis monumentis reperio, tametsi circiter me-  
dium seculi XVII. supra quadringentos Sacerdotes  
Ritus Græcanici ad unionem rediisse ex Georgii Lippay  
Strigoniensis Archiepiscopi litteris discimus, quæ  
res indicio est, vulgum, & Sacerdotes fere ad Episco-  
pi, quem nacti sunt, rationem suæ Religionis institu-  
ta accommodasse. Ipse adeo Parthenius, quem Lippa-  
jus

jus ad annum MDCLI. sibi magnopere probari palam fecerat, ab Schismaticis Episcopus ordinatus, suspicionem inconstantis animi vix effugit, ut ad eum Ecclesiæ conciliandum necesse fuerit, uti Strigoniensis Archiepiscopus duorum Pontificum opem, & judicium imploraret. Litteræ Strigoniensis, quæ ad illustrandum eo tempore statum Munkacsienfis Episcopatus multum faciunt, ita habent. (a) „ Nos Georgius Lippay Ar-  
„ chiepiscopus Strigonensis &c. Notum facimus per  
„ præsentes, quibus expedit universis; quod cum an-  
„ te aliquot annorum decursum plures ex Ruthenis  
„ Sacerdotibus Schismaticis habitantibus in hoc Re-  
„ gno Hungariae, signanter autem in Comitatibus Sce-  
„ pus, Sáros, Zemplin, de Ungh, & Szabolch, San-  
„ ctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ unionem amplexi  
„ fuissent, seque pro eadem unione prope quadringen-  
„ ti e prædictis Sacerdotibus subscriptissent, inter quos  
„ enituit Frater Petrus Parthenius Sacerdos Religio-  
„ sus ordinis Sancti Basillii, morum, & vitæ integritate  
„ conspicuus, & cognitione rerum Ecclesiasticarum ju-  
„ xta ipsorum Ritum, & Linguam sufficienter imbui-  
„ tus, proinde sublato ex hac vita Basilio Tarassovics  
„ Schismatico Episcopo Munkacsienfi, plerique ex uni-  
„ tis Sacerdotibus Ruthenis prædictum Petrum Parthe-  
„ nium in Episcopum Munkacsiensem Catholicum ele-  
„ gerunt, qui Petrus Parthenius studio præveniendi,

D d d 3

,, al-

(a) Ex copia.

„ alterum a Schismaticis Episcopis mox eligendum E-  
 „ piscopum, errore quodam, & imperitia lapsus a tri-  
 „ bus in Transsilvania Schismaticis Episcopis, nempe  
 „ Stephano Simonovics, Grégorio Maldaviczky, Zaba-  
 „ Bisztrinszky, se se ordinari, & in Episcopum conse-  
 „ crari fecisset: quem errorem suum agnoscens, facti-  
 „ que pœnitentia ductus, ad nos se contulit, remque  
 „ nobis totam, & tam electionis, quam consecrationis  
 „ seriem fideliter, & sincere detexit, ac a nobis re-  
 „ medium salutare postulavit. Quibus intellectis nos  
 „ pro pastorali cura, qua saluti animarum, seductarum  
 „ que ovium in universo hoc Regno Hungariæ, Re-  
 „ gnisque, eidem adnexis, conversioni intendere ob-  
 „ ligati sumus, atque etiam cum Dei adjutorio, quan-  
 „ tum possumus, in Domino intendimus, consideran-  
 „ tes ex unione, & conversione tot Sacerdotum, præ-  
 „ fertim si Catholicum habeant deinceps Episcopum,  
 „ maximum in honorem Christi, ejusque animarum  
 „ messem inferendam esse, ac multa millia erroneæ,  
 „ rudisque plebeculæ ad viam salutis reducenda, sub-  
 „ venire prædicto Parthenio modis quibusvis conati  
 „ sumus, ac proinde Sanctitati suæ, Innocentio  
 „ X. pro tempore Romano Pontifici negotium univer-  
 „ sum, & casum demississime repræsentavimus, ac pro  
 „ supra dicto Parthenio intercessimus, vellet Sanctitas  
 „ sua intuitu salutis tot animarum rem cordi sumere,  
 „ prædictumque Parthenium autoritate Apostolica  
 „ Epi-

„ Episcopum Munkaciensem pronunciare, electionem  
 „ que factam in personam ipsius confirmare; item a  
 „ censuris, quibus innodatus existisset ex eo, quod  
 „ per Schismaticos Episcopos consecrationis medium  
 „ postulasset, atque etiam suscepisset, absolvi curare  
 „ dignaretur. Interim nihilominus decedente ex hac  
 „ vita felicis reminiscientiae, Innocentio Papa X. suc-  
 „ cessit eidem in Sede Apostolica Alexander Papa  
 „ VII. - - qui pro singulari erga animarum salu-  
 „ tem zelo suo reassumpta prædicta supplicatione no-  
 „ stra, eam admisit, petitionique nostræ annuit.  
 „ Quare transmisit nobis Sanctitas sua Breve suum  
 „ singulare, in quo commisit nobis, omnemque licen-  
 „ tiam, potestatem, & authoritatem dedit, & contu-  
 „ lit, quatenus eidem Parthenio illa omnia, quæ ne-  
 „ cessaria in Domino judicaremus, ac censeremus,  
 „ eidem Parthenio Pontificalia, ac alia Ordinis, &  
 „ Jurisdictionis Episcopalis munera in Ruthenos Græ-  
 „ ci Ritus tam in Munkaciensi districtu, quam aliis  
 „ Regni Hungariæ locis per nos designandis, degentes  
 „ exercere valeat, impetriri possemus, prout & a  
 „ censuris omnibus ob irregularitates, quas forte con-  
 „ traxit, absolveremus. Quare prædicta authoritate,  
 „ & concessione, publico superinde præhabito exami-  
 „ ne, ac solerti discussione, in toto hoc negotio in  
 „ primis quidem comperimus, supra fatum Parthe-  
 „ niuni a pluribus Ruthenis Sacerdotibus unitis in

„ Epi-

„ Episcopum Munkaciensem electum fuisse: secundo  
 „ a præscriptis tribus Schismaticis Episcopis consecra-  
 „ tum in Transsilvania fuisse, verum quia ideo idem  
 „ Parthenius dubia, & scrupulos conscientiæ se ha-  
 „ bere detexisset, an Episcopi, a quibus esset ordi-  
 „ natus in Episcopum, valide consecrati exstiterint  
 „ Episcopi, propter confusionem, & ignorantiam, quæ  
 „ etiam hodie inter Ruthenos Schismaticos viget,  
 „ itaque vigore antelatæ facultatis Nobis ab Apostoli-  
 „ ca Sede concessæ ipsi Parthenio ad cautelam essen-  
 „ tialia consecrationis Episcopalis, in quantum videli-  
 „ cet ab Episcopis Schismaticis valide non fuisset  
 „ ordinatus, peregrimus, & in Domino contulimus,  
 „ absolventes illum prius eadem authoritate ab omni-  
 „ bus censuris, & irregularitatibus, quas contraxit.  
 „ Tertio: antelatum Parthenium, verum, & legiti-  
 „ mum Episcopum Munkaciensem Catholicum, a Se-  
 „ de Apostolica confirmatum declaravimus, & pronun-  
 „ ciavimus, prout declaramus, & pronunciamus per  
 „ præsentes. Quarto: Eadem authoritate Apostolica  
 „ memorato Parthenio jurisdictionem omnem, & po-  
 „ statem Episcopalem in Ruthenos tam Districtus Mun-  
 „ kaciensis, quam præfatorum Comitatuum, & omnium  
 „ aliorum, qui alias Episcopo Munkaciensi subesse con-  
 „ fuerant, in Domino contulimus, & impertiti su-  
 „ mus, mandantes omnibus, & singulis Romanæ Ec-  
 „ clesiæ unitis Sacerdotibus, & Archidiaconis aliis  
 „ Ec-

„ Ecclesiasticis Ruthenis tam Religiosis, quam aliis,  
 „ Populo item universo Rutheno, ut prædictum Petrum  
 „ Parthenium pro vero, & legitimo Episcopo suo re-  
 „ cognoscere, & habere debeant, eique in omnibus  
 „ ad officium suum, & munus Episcopale pertinenti-  
 „ bus parere teneantur, & obtemperare. In quorum  
 „ omnium fidem, & testimonium eidem Petro Parthe-  
 „ nio litteras præsentes subscriptione nostra, & Sigil-  
 „ lo munitas, dandas duximus & concedendas, prout  
 „ damus, & concedimus. Ex Thermis Trenchinien-  
 „ fibus Die XXII. Julii anno Domini MDCLV. „

Hinc factum quoque reor, ut Schismatici Archi- *In quem*  
 episcopi Jurisdictionem sibi in Munkacsienfes Episco- *sibi Archi-*  
 pos persæpe arrogarent, præsertim, quando hi illis *episcopus*  
 consentiebant. Ipse, cuius Lippaianæ litteræ supra me- *Schismati-*  
 minerunt, Simonovicfius, dum Parthenium consecraret, *cus frustra*  
 ejus rei fidem facit, cum litteras de consecrationis a- *jus sumere*  
 étu in hunc tenorem vulgavit. (a) „ Stephanus Si- *nitur.*  
 „ monovicfius Dei Gratia Archiepiscopus Belegrad-  
 „ ensis, Vadiensis, Marmarosiensis, totiusque Transfil-  
 „ vaniae, Catholicæ atque Apostolicæ Religionis Græ-  
 „ ci Ritus Episcopus. Significamus per præsentes no-  
 „ stras, omnibus, & singulis, quorum interest, nomina-  
 „ tim Reverendissimis Episcopis, eorumque vicariis,

„ Ca-

(a) Ex MSS. Analectis Caroli WAGNER.

„ Capitulis, & Præpositis, Presbyteris, & cujuscun-  
 „ que gradus Clericis, post hos Illustrissimis, Magnifi-  
 „ cis, Prænobilibus, ac Generosis Dominis Regni  
 „ Hungariæ inclitis Civibus, nec non Civitatum, Op-  
 „ pidorum, atque pagorum incolis, eorumque primori-  
 „ bus, omnibusque in Christo Fidelibus: Quod vene-  
 „ rat ad nos R. P. Petrus Parthenius, Religiosus or-  
 „ dinis D. Basiliæ Ritus Græci Sacerdos cum honorifi-  
 „ cis, & sufficientibus testimoniis Reverendissimorum  
 „ Episcoporum, atque in primis felicis recordationis  
 „ Domini Basili Tarassovichi Munkaciensis, Antecef-  
 „ foris sui, qui resolutionis suæ diem præsentiens,  
 „ voce viva, scriptoque manus propriæ firmata in suc-  
 „ cessorem suum præfatum Reverendum Patrem desi-  
 „ gnavit, omnesque suæ Cathedræ Sacerdotes sub  
 „ interminatione iræ Dei, nec non futuri Judicii ar-  
 „ ctissime obligavit, ne videlicet ullum alium præter  
 „ nominatum Reverendum Patrem in Episcopum su-  
 „ um assumerent, uti Diploma illud legimus, & vidi-  
 „ mus. Deinde Illustrissimi, ac Reverendissimi Domi-  
 „ ni Mathiæ Tarnoczy Episcopi Vacienfis, Præpositi  
 „ Scepusiensis. S. C. Regiæque Majestatis Confiliarii,  
 „ qui tam nomine suo, quam Illustrissimi, ac Reve-  
 „ rendissimi Domini Georgii Lippay Archiepiscopi  
 „ Strigoniensis, & Primatis inclitæ Coronæ Hungariæ,  
 „ authoritate eadem sæpius præmisso Reverendo Patri  
 „ Petro Parthenio in suis Dioecesibus administrationem

„ Sacerdotum Ruthenorum commisit, datoque Diplo-  
„ mate ratificavit; Sacerdotum denique Ruthenorum,  
„ atque suorum Parochianorum partes Homonenses,  
„ Ungvarienses, Sztropkovienses, Makoviczenses,  
„ Tibiscanas, ac Scepufienses incolentium locu-  
„ pletissima accepimus, legimusque Testimonia, ex qui-  
„ bus perspeximus, quod saepe præfatus Reverendus  
„ Pater Petrus Parthenius concordibus votis, atque  
„ affectibus fit electus, ut succedat memorato Reve-  
„ rendissimo Domino Episcopo Munkaciensi Bafilio  
„ Tarasovicio vita non pridem functo, locumque, ac  
„ Cathedram ipsius conscendat. Hunc itaque toties  
„ prædictum, pensata ipsius causa, humanissime in  
„ Charitate Christi exceperimus, invitatoque Reveren-  
„ diffissimo Domino Saba Episcopo Bisztranensi, convo-  
„ catoque Clero nostro, præmissis demum iis, quæ Sa-  
„ cri Canones, sacraque Synodus præmittere jubet,  
„ solennitatem instituimus, atque in Episcopum nomi-  
„ natæ Munkaciensis Cathedræ cum ceremoniis Apo-  
„ stolicis creavimus, dedimusque ei facultatem per in-  
„ vocationem Gratiæ Spiritus Sancti ordines confer-  
„ re, a peccatis, & censuris sibi reservatis absolvere,  
„ sacros liquores conficere, Ecclesias, & Altaria con-  
„ secrare, omnesque functiones Episcopales licite in  
„ sua Dioceſi exercere: petentes, & monentes Eun-  
„ dem Reverendissimum Dominum Petrum Parthenium,  
„ Episcopum Munkaciensem, Fratrem nostrum in

„ Christo Charissimum, ut Ecclesiam suam verbo, &  
 „ exemplo in omni disciplina Christiana, memor olim  
 „ reddendæ rationis, instituat, ac perficiat. In cuius  
 „ rei perpetuam memoriam fideique certitudinem,  
 „ manum nostram, Sigillumque apposuimus. Datum  
 „ Belegradi anno ab orbe condito 7159. a partu vero  
 „ Virginis MDCLI. in Monasterio Sanctissimæ Trini-  
 „ tatis Metropolitanæ nostræ Residentiæ. „ Ex qui-  
 bus etsi appareat Schismaticum Belgradi Archiepisco-  
 pum aliquid Juris sibi in Munkaciensem usurpare vo-  
 luisse, tamen cum ex ipsius Simonovichii litteris, tum  
 ex Georgii Lippay Diplomate, quo eundem Partheniu-  
 m (a) Visitatorem Populi Ruthenici, non modo in  
 sua Dioecesi, sed per totum etiam Hungariæ Regnum  
 si modo Ordinarii non dissentiant, constituit, non ob-  
 scure efficitur, Munkacienses Episcopos, fere ut sub  
 Innocentii III. temporibus mos erat, sub eorum Epi-  
 scoporum Jurisdictione fuisse, in quorum Dioecesibus  
 Rutheni illorum curæ crediti degebant, quorum cum  
 præcipua semper portio in Agriensium Præsulum Dice-  
 cesi esset, in istorum quoque arbitratu Munkaciensis  
 Antistes fuit, quoad, ut supra monui, non ita dudum ex  
 horum potestate exemptus, ac Strigonensi Archiepi-  
 scopo cum Suffraganei titulo subjectus fuisset. Quod  
 ipsum in causa omnino erat, cur Munkaciensis Epi-  
 scopatus initia, & progressum hoc loco seorsim pertra-  
 Etandum mihi sumerem.  
 EPI-

(a) In litteris Posonii die 5. Septembris anno 1651. datis.

---

E P I S C O P I  
M U N K A C S I E N S E S.

---

*Annuis Christi.*

- 1491. Joannes I.
- 1551. Ladislaus I.
- 1552. Idem.
- 1556. Lariona, alias etiam Larius.
- 1557. Idem.
- 1558. Idem.
- 1559. Idem.
- 1560. Idem.
- 1561. Idem.
- 1597. Ladislaus II.
- 1601. Sergius.
- 1602. Idem.
- 1603. Idem.
- 1604. Idem.
- 1605. Idem.
- 1606. Idem.
- 1626. Joannes II. Gregorovich.
- 1633. Basilius Taraffovich.
- 1634. Idem.
- 1635. Idem.

1636. Idem.  
 1640. Idem.  
 1655. Petrus Parthenius.  
 1690. Joannes III. de Camillis.  
 1705. Joannes IV. Hodermarszky. (a)  
 1734. Emanuel Olsavszky.  
 1767. Joannes V. Bradacs. (b)  
 1773. Andreas Bacinszky. (c)

EPI-

(a) Franciscus RAKOCZY litteris Munkacino die XII. Aprilis anno MDCCIX. datis Georgium Bizancy Vicarium Episcopatus Munkacsensis constituit.

(b) Hoc anno IX. Maji Olsavszkyo Coadjutor datus, & ab ejusdem obitu successor.

(c) Addo pro coronide, Episcopatum hunc olim latius, quam hodie sit, porrectum fuisse, ut patet ex numero Archipresbyterorum, & Archidiaconorum anni MDCC. qui Episcopo parebant. Inter Archipresbyteratus sequentes censebantur: Scepusiensis, qui communis consensu se Archiepiscopo Strigonensi subjecit: Sarosiensis: Makoviczensis circa Zboroviam: item alter Makoviczensis: Ujheliensis: Munkacsensis numero septem, qui Archipresbytero Cathedrali parebant: Szöllösiensis: Havasföldiensis: Nagybanyensis numero tres: Kálloviensis duo: Varadiensis: & Sixoviensis. Inter Archidiaconatus sequentes fuisse reperio. Sztropkoviensem; Homonensem, & Ungvarensem. In hoc terrarum tractu numerabantur eodem anno Ecclesiæ DCCLXIX. ex his non unitæ CCCXVI. unitæ CCCLI. Nunc, quo loco res sit, non habeo, quod pro comperto possim dicere.



---

## EPISCOPATUS MILKOVENSIS.

---

**N**ec de initiis hujus Episcopatus, nec de situ, aut <sup>Episcopatus Milkoviensis</sup> Jure Diœcesano, Auctòribus, qui aliquid de eo litteris consignarunt, satis convenit, quod illum non nulli in Valachia, alii contra in Transsilvania constituant. Utrique recte, si tempora secernamus. Sunt quoque, qui illum cum Episcopatu Cumanorum eundem esse velint. Istorum opinionem prius mihi explorandam sumo, quam de Milkoviensi agam, quo facilius de hoc Judicium postea constituatur.

Prima omnium propagatæ apud Cumanos in Moldavia Religionis Christianæ vestigia in Chronico Bellico reperio in hæc verba ad annum MCCXX. *In Hungaria Magister Robertus Vesprimiensis, Vir bonus, & religiosus in Leodiensi Diœcesi natus, factus fuerat Archiepiscopus Strigoniensis: cui cruce signato, & in procinctu itineris constituto occurrit filius Princis de Comania, & ait: Domine baptiza me cum duodecim ipsis, & Pater meus veniet ad te ultra silvas in tali loco* <sup>Alius fuit ab Episcopatu Cumaniorum.</sup>

*loco cum duobus millibus Virorum, qui omnes desiderant de manu tua baptisari: quo facto abiit Archiepiscopus ultra silvas in occursum patris illius, & ibi baptisi sunt, Deo dante, quindecim millia hominum.* (a) Sed hæc aut occupata sunt, aut in Roberto Archiepiscopo error cubat, qui id temporis nondum ad Strigoniensem Cathedram ex Vesprimiensi traductus erat. Rursus ad annum MCCXXVIII. (b) Conversionis memoria in eadem Gente occurrit, adjecto etiam Episcopo, cui Theodorico nomen fuerit, quique omnium fortasse primus genti Cumanorum datus Episcopus fit, ut habet Albericus Monachus trium fontium: *Archiepiscopus, inquit Robertus Strigonensis de Hungaria, novum fecit Episcopum in Comania Theodoricum nomine.* (c) Quo fit, ut mihi nullo negotio persuadeam, Episcopatum Cumanorum, a Roberto Strigonensi eretum, qui ante octo annos Gentis Principem, dum Vesprimiensis Episcopus erat, ac profectionem in terram Sanctam moliretur, cum quindecim millibus sacro fonte abluerat. Quamdiu autem hic Episcopatus duraverit, arduum est decernere. Ab Theodorico iterum Episcopus Cumanorum, sed anonymous comparet in litteris Gregorii IX. ad Belam IV. anno MCCXXXV. Perusio VIII. Calendas Decembres datis; (d) quibus

Re-

(a) PISTOR. Script. rer. Germ. Tom. III. pag. 242.

(b) Apud Odor. RAYNALDUM ad hunc annum.

(c) Ad annum 1228. pag. 527.

(d) Ex regeſt. Gregorii IX. Epift. 282.

Regi nunciat, se ex insigni laborum fructu, quem Frater Paulus Hungarus, & Hyacinthus Odrovansius, uterque ex Sancti Dominici Familia, apud Cumanos fecissent, permotum esse, ut genti Episcopum daret, rogare se itaque Regem, ut Episcopo Ecclesiam Cathedralem erigi curaret, dotaretque fundis, ex quibus dignitatem cum honore tueretur. Qua in re an Rex morem Pontifici gesserit, non constat, quamvis contrarium magis verisimile appareat, cum ad annum MCCLXXIII. Thomam Cumanorum Episcopum in Hungaria egisse comperiam ex litteris, quibus Capitulo Strigonensi significat, se inter Cives Strigonenses, & ejusdem Civitatis Archiepiscopum pacem ex Regis mandato confecisse. (a) Abhinc tametsi per intervalla crebræ in Moldaviam profectiones a viris sacris susceptæ religionis causa fuerint, tamen nullum qui statuariam operam isthic navasset, Episcopum invenio. Ex quibus conjicio, & Episcopos Cumanorum ut plurimum Regionarios, & Episcopatum hunc a Milkoviensis omnino distinctum fuisse.

## De

---

(a) Litterarum hoc initium est: *Reverendis in Christo Patribus, & Dominis Capituli Strigonensis Thomas Cumanorum humilis Minister &c Ministri nomine Episcopum intelligo, fere ut Martinius Strigonensis se in litteris anni 1156. Ministrum, non item Archiepiscopum, vocat.*

*De illius  
situ variae  
opiniones.* De hoc variæ multorum, & disparatæ sententiæ obtinent. Georgius Hanerus senior (a) in hæc verba, quid fibi eatenus videatur, explicat: *Post Albensem Ecclesiam prima erat, quæ ad perfectionem veniebat, Milkoviensis, cui etiam Episcopatus officium concredebatur, reliquæ his duabus subjiciebantur. Unde etiam factum, ut tota Transsilvania antiquitus duos Episcopatus haberet, Albensem, & Milkoviensem quorum ille Archiepiscopum Colocensem, hic Strigonensem agnoscebat Metropolitam.* (b) De Metropolitis recte; sed quod Milkoviensem Episcopatum ab ortu suo in Transsilvania locat, mendum esse infra declarabo. P. Martinus Szentivanius, premitto, & noto, inquit, *Transsilvanensem Diœcesim antiquissimis temporibus, & longe ante tempora Sancti Stephani Regis dictam fuisse Argensem, & Milkoviensem Diœcesim, ut habetur in Bulla Bonifacii IX. & Pii II. emanata anno MCCCCCLXIV. sed & S. Nicetam fuisse Dacorum Episcopum circa annum Christi CCCXCVI. testantur annales Ecclesiastici.* (c) Verum hæc prorsus erronea sunt. Nec enim Nicetas Dacorum in Transsilvania, sed eorum, qui trans Istrum in Regionibus Moesiae, & Dardan-

(a) Junior enim adhuc superstes est, ab edita Regia Transsilvania eruditis cum laude cognitus.

(b) Histor. Ecclesiar. Transsilvanicar. pag. 71. citatque Annales MSS. rerum Transsilv. Hermanui Mediensis Transsilvani. In eandem sententiam Cl. Martinus SCHMETZELUS abit, de Statu Ecclesiarum Lutheranorum in Transsilvania pag. 15.

(c) Dec. III. P. I. Miscellan. pag. 59.

daniæ habitabant, ac Romatianæ Urbis Episcopus erat. (a) Hunc errorem post Szentivanum plures errarunt, præsertim in descriptione Daciarum. Nihilo melius Argensem, seu Milkoviensem Episcopatum ante Sancti Stephani Regis ætatem jam exstitisse ponit, cuius vestigium nuspian exstat. Nec, si Bonifacius, Argenfis, & Pius II. Milkoviensis Episcopatus meminerunt, ex se se consecraneum est, illius initia ante Stephani ætatem protrudi oportere, modo ante utriusque Pontificis tempora exstiterit.

Ut autem Szentivanius ortum hujus Episcopatus <sup>A Carolo Roberto</sup> nimis longe occupat; ita durum est, illius initia ad probabili-  
certum tempus affigere. Ego, si quid conjectura va-  
<sup>ter inflau-</sup>ratus.

F f f 2

let,

---

(a) Patet id ex Breviario Rifi Festi, qui visto Decebalo Daciam Trajanam describens, de hac ita ait: *Sed sub Galieno Imperatore amisa est, & per Aurelianum translatis excinde Romanis duæ Daciae in Regionibus Moesiae, ac Dardanicae factæ sunt: quibus adjungit, Moesiam, & utramque Daciam inter XVII. Provincias Illyrici accensas esse. Et ex Hierocle in notitia Provinciarum Imperii Romani constat, Sardicam Daciae Mediterraneæ, Ratiaram vero Dacia Ripensis, tam in Civili, quam Ecclesiastico ordine Metropoles fuisse. Hornam Dacorum Nicetas Episcopus fuit, ut patet ex Divi Paulini Nolani Carmine XXX. de redditu Nicetae in Daciam, ubi Stropha 63. ita canit:*

Et Getæ enrrunt, & uterque Dacus,  
Qui colit terræ medio, vel ille  
Divitis multo bove pelleatus  
accola ripæ.

In eodem Carmine mentionem facit Bessorum, & Scytharum, quæ mani-  
festo indicio sunt, non Daciam Trajani, sed Dacias Aureliani hoc loco  
venire, in quibus Getæ, Daci, & Bessi degebant. De his testatur Lapis  
Neapolitanus apud CAPPACIUM cum hac inscriptione: *Aurelius Abitus na-  
tione Bessus natus regione Serdica, Vico Magan. Scytha in Scythia  
Romana, ejus caput Tomi, quæ Provincia ad Diœcesim Thraciæ per-  
tinebat.*

let, incunabula Argenfis Episcopatus, qui idem cum Milkoviensi est, Carolo Roberto tribuenda censeo, cum propterea, quod in idem fere tempus Episcopatus Nandoralbensis incidat, (a) tum quod ad annum MCCCXXXII. Fratrem Vitum ordinis Minorum repeatim Episcopum Argensem fuisse, qui an primus fuerit, non ausim affirmare, tametsi id mihi verisimilimum ea de causa appareat, quod Carolus in Valachos anno MCCCXXX. tamquam refractarios moverit, quod argumento esse potest, Valachiam, in qua Urbs Arga, & Milkovum est, ab Emerici Regis tempore in Caroli potestate, & arbitrio fuisse, in qua, ut erat Carolus religionis perquam studiosus, Episcopatum pro Valachis Ecclesiæ Catholicæ unitis condiderit, ut fere certum est, Nandoralensem Episcopatum eadem de casu ab eodem erectum esse. Illius fidem faciunt litteræ Ludovici I. qui Caroli filius erat, in quibus de Stephano Transsilvaniæ Vayvoda Rex ita infit: (b) *Sane cum Genitor noster ad recuperandas regni sui partes Transalpinas cum valido suo exercitu accedendo ante Castrum Argas castra metatus fuisse, idem Stephanus nunc Vayvoda, tunc Magister Agazonum, & major Exercitus patris nostri existens &c.* Narrat deinde Castrum occupatum virtute hujus Stephani, & in

Re-

---

(a) Nam qui in litteris Andreae III. de anno 1294. legitur, *Benedictus Albus Bulgariorum Episcopus*, omnino alias a Nandoralbensibus fuerit.

(b) Ex Autographo anni 1347.

Regis potestate deinceps quoque fuisse. Argas Castrum idem prorsus cum Arga Urbe est, in qua a pientissimo Rege novam Episcopen conditam esse, suadet illud, quod supra de Fratre Vito Argensi Episcopo ad annum MCCCXXXII. memoravi. Certe ante Caroli ætatem nusquam Argensis Episcopus, aut Milkoviensis, quoad sciam, in litterariis Instrumentis occurrit.

Manet igitur, si conjecturæ quid tribuendum sit, *Sedes Episcopi Milkovum traducta.* laus ac honor conditi Argensis Episcopatus Carolo Roberto, quem filius Ludovicus Milkoviam, Urbem in eadem Valachia cis-Milkovum amnem, qui illam a Moldavia, seu Cumania discernit, sitam traduxisse videtur. Rursum conjecturæ, sed reddam conjecturæ rationes. Narrat Bzovius (*a*) ad annum MCCCLXXIV. magnam Valachorum partem ad Ecclesiæ unionem rediisse, quare Gregorius XI. permotus fuerit, litteras ad Strigoniensem, & Colocensem Archiepiscopos dare, quibus utrumque hortabatur, ut ex consilio Regis genti recens ad unionem adductæ Episcopum linguae gnarum, ne oves pastoris vocem non intelligerent, præstituere non omitterent. (*b*) Valachos hos proxime ad Moldaviam fitos fuisse, Joannes Archidiononus Regi a secretis Epistolis prodidit. *Hic etiam de*

F f f 3

Lu-

(*a*) In Continuat. annal. BARONII Tom. XIV. colum. 1497.

(*b*) Date sunt litteræ IV. Idus Octobres.

Ludovico scribens ait, *gentem Comanorum, ritui Taratice involutam, apud Sedem Apostolicam devotius insistendo --- ad Fidem Catholicam converti procuravit.*

(a) Congruit utrinque tempus, & Rex, ut Pontifici optima suadenti morem gereret, Episcopum ex Arga Urbe Milkovum transfulerit, quo Cumanis in Moldavia degentibus magis propinguus esset, quorum ad Fidem convertendorum cupidissimus erat. Abhinc enim Milkoviensis Episcopi nomen invaluit, cuiusmodi anno sequente, hoc est, MCCCLXXV. Nicolaus fuit hoc titulo usus: *Nos Nicolaus divina permissione Sacrae Sedis, & Dei Gratia Episcopus Milkoviensis, suffraganeusque venerabilis in Christo patris Domini Domini Michaelis, eadem Dei, & Apostolicae Sedis Gratia Episcopi Agriensis in Pontificalibus Generalis.* (b). Apparet tamen ex his, destinationem non pro eo, ac optabat, Ludovico e sententia cecidisse, alioquin Episcopus non suffraganei partes apud Agriensem egisset, sed in Episcopatu suo residens animarum curae pro pastorali officio incubitus erat. Credo ob Valachorum inconstantiam Episcopum Urbem Milkovum brevi post, quam Ministerium suscepisset, bona Regis venia deseuisse, & sensim pristinam Sedem Argensem repetiisse. Nam ad annos MCCCCXVIII, & MCCCCXXI. reperio Joannem, & Paulum titulo Argensis Episcopi

flo-

---

(a) Apud M. THUROCZ Chronici Part. III. Capit 46.

(b) Apud Nicolaum SCHMITT Tom. I. Episcoporum Agriensium pag. 329.

floruisse, quoad anno MCCCCXXXVIII. rursus Milkoviensis nomen obtinuisset, quod deinceps constans permanxit. (a)

Quo tempore Milkovienses Episcopi vicariam operam in Transsilvania, & alibi Strigoniensibus Archiepiscopis navarint, hoc est, quando in Transsilvaniam ex Valachia traducti fuerint, itidem incomperatum est. Hanerus, quem supra cum laude memoravi, annum MCCCXLV. constituit, (b) quo Tatari in Moldaviam, & Valachiam irrumptentes Milkoviam funditus delerint. Eidem Schmeizelius adspiculatur: (c) alii annum MCCCXLII. Rursum sunt, qui MCCXL. adstruant, cum Tatari, magnam Europæ partem foedum in morem depopularentur. Sed istorum nihil, quod extra dubitationem sit, dici posse, ex iis, quæ supra depromsimus, facile judicatu est. Mihi veri fit simile, eundem mutatae Sedis Episcopalis anni esse, qui clavis Varnensis erat, hoc est, annum MCCCCXLIV. aut priorum aliquem non longe ab hoc remotum, quod & Valachi abhinc caput tollentes jugum Hungaricum, occupata a Schismaticis Milkovia, excutere cœperunt,

&amp;

(a) Disputat TIMON in Addit. ad Imag. Nov. Hung. pag. 23. Edit Viennæ. Milkoviensem Episcopatum in Moldavia fuisse. Ego in Valachia collocavi propterea, quod Milkovia Urbs eis Milkovum annem sita erat.

(b) Cit. lib. pag. 115.

(c) Cit. Lib.

& Episcopi Milkovienses constanti fere deinceps tenore suffraganei Strigonienium audiunt. (a)

*Dioecesis  
limites &  
amplitudo.* Ut vero, occupata per Schismaticos Milkovia Urbe, & Episcopo ex Valachia exesse jusso, Milkovienses Antistites vicariam operam Strigonienibus, ubi istis placebat, in principio præstitere, ita haud multo post fere in Transsilvania residere cooperant, & quæ Strigonienium Archiepiscoporum Jurisdictioni isthic parebant, ita naviter curare, ut pedetentim novam Dioecesim informare viderentur. Hunc in modum ad Dioecesim, quam Milkovienses Episcopi curabant, Decanatus Cibiniensis, (b) surrogatum Capitulum Cibiniense, (c) & Decanatus Coronensis pertinebant. (d) Hæc ex MS. Judicis Civitatis Coronensis desumimus. Sed juvat Reichersdorium audire, ut, quam  
late

(a) Hujusmodi fuit Gregorius in litteris anni 1444. hoc titulo: *Nos Gregorius miseratione Divina Episcopus Milkoviensis Suffraganeus, in Pontificalibusque vicarius Generalis Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Domini Dyonyssi Tit. S. Cyriaci in Thermis Presbyteri Cardinalis, Archiepiscopi Strigoniensis &c. Datum in Leucza in die Sancti Valentini Anno Domini 1444.* Reddam conjecturæ meæ rationes infra.

(b) Ex MS. Christophori a SEEVALD Judicis Coronensis Civitatis hæc loca ad hunc Decanatum spectabant. Hermannstadt, Stolzenburg, Hamblisch, Kleinschneuren, Großau, Steppendorf, Michelsberg, Helt, Dalmisch, Kerz, Freck, Rastenhof, Gireksau, Baumgart, Zachtat, Hamesdorf, Großscheunen, Honebach, Neudorf, Rothberg, Barbaren.

(c) Ex eodem MS. Holzmantel, Apelstorf, Nagerey, Leskirch, Ullzen, Schartwerth, Ugnetten, Marbach, Zeit, Kirchberg, Draller, Mertesberg, Kleinschneuk, Rohrbach, Schöneberg, Hallmener, Fuhmern, Schärft, Mergenthal.

(d) Ex eodem: Erosstadt, Weidenbach, Neustadt, Rosenau, Wohldorf, Leyden, Heldsdorf, Marienburg, Rothbach, Rusbach, Brenndorf, Petersberg, Königberg, Turtelau.

late Jurisdictio Strigonienium Archiepiscoporum in Transsilvania pertinuerit, cujus partem Milkoviensibus crediderant, ne ignoremus. (a) Numerantur, inquit, in Transsilvania, quoad pensiones Taxarum, octo Parochialia Capitula præcipua, quæ simul appellant universitatem. Bistriense Capitulum habet Bistriam cum viginti tribus pagis Regiis. Regnense Capitulum habet pagos plus quam triginta. Barcense Capitulum habet Coronam Civitatem cum tredecim pagis Regiis. Kisdense Capitulum habet Segesburgam, & pagos quadraginta octo. Duarum Sedium Capitulum complectitur Civitatem Megiensem cum pagis triginta sex. Cibiniensem Capitula duo, quorum unum habet Cibinium, & pagos viginti tres. Alterum Capitulum Cibiniense, quod vocant surrogativa, continet pagos circiter viginti duos. Sabesiense Capitulum habet Sabesum cum pagis decem, & septem. Haec tenus ille. Ex his indubium est, Capitulum Barcense, Kisdense, & utrumque Cibiniense Jurisdictioni Episcopi Milkoviensis paruisse. (b) De reliquis Capitulis, quæ Reichersdorfius recenset, non habeo, quod pro comperto affirmare possim.

Quamdiu autem Episcopatus hic durarit, perinde non satis exactum est. Timon (c), qui id argumen-  
tum <sup>Conjangi-  
iur cun  
Archiepi-  
scopatu  
Strigonier-</sup>

(a) Tom. I. Scriptor. rer. Hung. in Chorographia Transsilvaniæ pag. 790. <sup>si.</sup>

(b) Infra patet, Diocesim latius patuisse.

(c) In Addit. ad Imag. Nov. Hung. Edit. Vienn. pag. 23.

tum diligenter pertractavit, in hæc verba de Milkoviensibus Episcopis scribens, ait: *Talis fuit Ladislaus de Ondola, qui ad tenendam dignitatem Praefulsi anno MCCCCLXIX. possedit Praeposituram Mislensem in Hungaria, successor ejus egit Vicarium Generalem Archiepiscopi Strigoniensis. Tum pene ipsa memoria Sacerdotii Milkoviensis intercidit.* Sed latuit sine dubio virum doctum, Milkoviensem Episcopatum illo usque perdurasse, quoad sub Julio II. Pontifice ad preces Thomæ Bakoczii Strigonensis Metropolitæ cum Archiepiscopatu unitus fuisset. Ejus rei fidem faciunt litteræ Leonis Papæ X. ad Transsilvanos datae hujus tenoris. (a) „ Dilectis filiis Cibinienfis, Brassovienfis, „ de Kis, & de - - - (b) Dicecesis Milkoviensis „ Ecclesiarum Decanis, ac Capitulis, & Plebanis, „ Clero, & populo ejusdem Dicecesis; nec non vasal- „ lis, subditisque Ecclesiæ Milkoviensis. Leo Papa „ X. Dilecti filii salutem & Apostolicam Benedic- „ nem. Dudum felicis recordationis Julius Papa II. „ Prædecessor noster attendens, quod Ecclesia Milkoviensis, & illius Civitas ab infidelibus, & Schisma- „ ticiis, ac Christi nominis inimicis per LXX. annos, „ & ultra occupata, (c) & illius fructus, redditus, &

„ pro-

(a) Ex Tabulario Strigonensi.

(b) Vox pene extrita est.

(c) Datæ sunt litteræ sub finem Papatus Julii II. Hinc factio retrorsum calculo videtur Milkovia ante annum 1444. a Schismaticis capta, & Episcopus ex Valachia exactus esse, de qua re supra conjecturam de-  
promsi.

„ proventus tenues, & exiles, ac in Diœcesisibus Milkoviensi, Cibiniensi, Braffoviensi Ecclesiarum De-  
„ canatus, & nonnullæ Parochiales, ac aliæ Ecclesiæ  
„ Christi fidem colentes, & observantes existerent,  
„ & a tempore occupationis hujusmodi dictarum Cibi-  
„ niensis, & Braffoviensis Ecclesiarum Decani, qui  
„ pro tempore fuerant, dilectum filium nostrum Tho-  
„ mam Tit. Sancti Martini in montibus Presbyterum  
„ Cardinalem, qui etiam Ecclesiæ Strigonienſi ex con-  
„ cessione, & dispensatione Apostolica præesse digno-  
„ scitur, & pro tempore existentem Archiepiscopum  
„ Strigonienſem, sub cuius cura & gubernatione fue-  
„ rant, & existebant, in superiorem recognovissent,  
„ & recognoscerent, ac cupiens Milkoviensi, & Stri-  
„ gonienſi, & animarum Christi fidelium, Cibiniensi,  
„ & Braffoviensi, ac Parochialium Ecclesiarum homi-  
„ num saluti consulere, Ecclesiam ipsam Milkoviensi-  
„ sem tunc certo modo vacantem eidem Ecclesiæ  
„ Strigonienſi, donec Ecclesia Milkoviensis, & illius  
„ Civitas, ab eisdem infidelibus, & Schismaticis re-  
„ cuperata, ac in pristinum, & in eum statum, in quo  
„ ante occupationem hujusmodi existebat, reverte-  
„ rentur, de Fratrum suorum, de quorum numero  
„ tunc eramus, Consilio, autoritate Apostolica uni-  
„ vit, annexuit, & incorporavit, prout in litteris ipfi-  
„ us prædecessoris desuper confessis, quarum tenores,  
„ ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus,

„ haberi volumus pro expressis, plenius continetur.  
 „ Nos igitur eundem Thomam Cardinalem suis exi-  
 „ gentibus meritis paterna benevolentia prosequentes,  
 „ ac cupientes, ut Ecclesia ipsa Milkoviensis, & aliæ  
 „ Ecclesiæ prædictæ, sub ejus regimine felicia in Spi-  
 „ ritualibus, & temporalibus suscipiat incrementa,  
 „ Discretioni vestræ per præsentes mandamus, quate-  
 „ nus vos Decani, & Capitula eidem Thomæ Cardi-  
 „ nali, tamquam Patri, & Pastori animarum vestiarum  
 „ humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedien-  
 „ tiam, & reverentiam, debitas, & devotas: & vos  
 „ Clerus eum benigne recipientes, & honorifice per-  
 „ tractantes, ejus salubria monita, & mandata susci-  
 „ piatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis:  
 „ vos vero popule tamquam, Patrem, & pastorem  
 „ animarum vestiarum devote suscipientes, & debita  
 „ honorificentia prosequentes, ejus monitis, & manda-  
 „ tis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse  
 „ Thomas Cardinalis in vobis devotionis filios, & vos  
 „ in eo per consequens Patrem benevolum invenisse  
 „ gaudeatis: nec non vos vasalli, & subditi eum de-  
 „ bito honore prosequentes, sibi fidelitatem solitam,  
 „ ac consueta servitia, & Jura sibi a vobis debita in-  
 „ tegre exhibere, & solvere cum effectu curetis; a-  
 „ lioquin sententiam sive poenam, quam dictus Tho-  
 „ mas Cardinalis rite tulerit, sive statuerit in rebel-  
 „ les, ratam habebimus, & faciemus auctore Domi-

„ no, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter  
 „ obsevari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub  
 „ annulo Piscatoris die XI. Septembris MDXIII. Pon-  
 „ tificatus nostri anno primo. „ Videntur, quod jam  
 supra indicaveram, Milkovienses Episcopi in Transsil-  
 vaniam traducti, Dicecesim sibi sensim ita informasse,  
 ut, quamquam Strigoniensium Archiepiscoporum Vic-  
 arii isthic fuerint, tamen Dicecesano Jure gauderent,  
 ac pedetentim Jurisdictionem suam latius porrigerent,  
 quod mox ex litteris Pontificiis clarum fiet.

Nec tamen propterea, quod Milkoviensis Episco- *Ex quo li-*  
 patus sub Julio Papa Strigoniensi Archiepiscopatui uni- *tes oborta,*  
 tus est, illius sive titulus, sive Vicaria Jurisdictio *ex his Epi-*  
 apud Transsilvanos desisse videntur, ut ex ejusdem *scopatus*  
 Leonis X. Epistola serius deinde ad Transsilvanos  
 scripta, videor mihi posse colligere. Ea sic habet.  
 (a) „ Dilectis Filiis, & Clero, & populo Civitatis,  
 „ & Dicecesis Milkoviensis. Dilecti Filii Salutem, &  
 „ Apostolicam Benedictionem. Dudum felicis recor-  
 „ dationis Julius Papa II. prædecessor noster, tunc  
 „ per obitum bonæ memoriæ olim Episcopi Milko-  
 „ viensis, extra Romanam Curiam Demetrii defuncti,  
 „ Pastoris solatio destitutæ, de persona Venerabilis  
 „ Patris Michaelis Episcopi Milkoviensis, de Fratrum  
 „ suorum, de quorum numero tunc eramus, Consilio

(a) Ex autographo.

„ Apostolica autoritate providit, ipsumque illis in  
 „ Episcopum, & Pastorem præfecit, curam & admi-  
 „ nistrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus, &  
 „ temporalibus plenarie committens, prout in litteris  
 „ ipsius prædecessoris plenius continetur. Cum autem  
 „ sicut, ac sæpius pro eo, quod dicta Ecclesia, quæ  
 „ in partibus infidelium consistit, fere penitus sit di-  
 „ ruta, & demolita exstigit, & propter metum Tarta-  
 „ rorum, Turcorum, & aliorum infidelium in pristi-  
 „ num statum, & Episcopi Milkovienses, qui pro tempo-  
 „ re fuerunt, residentiam inibi facere hactenus non  
 „ potuerunt, Vos vero, atque plures Vestrum, præ-  
 „ fertim Districtuum Decanatus, & Archidiacona-  
 „ tus Brassoviensis, Cibiniensis, Bistriciensis, Szent-  
 „ kyrályensis, Kisdenis, Burgensis, (a) Udvarhe-  
 „ liensis, Zenthalensis, (b) Zichensis, (c) Septien-  
 „ sis, (d) Kysdensis, (e) Vassarheliensis, & Orbai,  
 „ & nonnulli Plebani Parochialium Ecclesiarum Mil-  
 „ koviensis Diœcesis, Archiepiscopo Strigonensi, &  
 „ partim Episcopo Transilvanensi vos subjeceritis,  
 „ &

(a) Fors Sesburgensis.

(b) Quid hoc sibi velit, non assequor. Nec inter Siclicas, nec Sa-  
xonicas Sedes id nomen mihi occurrit. Nisi forte rescribendum sit:  
*Zenthgyörgyensis*. Nam inter Siclicas Sedes minores est una nominis  
Gyergyo. Forsan olim a Sancto Georgio sic dicta.

(c) Rectius *Csikienis*.

(d) Male, ut puto: melius restitueretur: *Sepstiensis*.

(e) Jam id prius possum est. Suspicio, cum pleraque hic Siclica  
sint, in *Kassonenis*, commutandum. Tam saepe Romani exotica cor-  
rumpunt.

„ & illis adhæseritis, & unus propter metum censu-  
„ rarum, & incarcerationis præfato Michaeli Episco-  
„ po Vestro, vero Pastori debitam obedientiam, &  
„ Reverentiam exhibere formidetis, nos jura, & au-  
„ thoritatem ipsius Ecclesiæ Milkoviensis, quantum  
„ cum Deo possumus, conservare, ac ejus, & ipsius  
„ Episcopi Milkoviensis felici successui salubriter pro-  
„ videre volentes, Vos, & Vestrum singulos ex par-  
„ te Omnipotentis Dei requirimus monentes & hor-  
„ tantes in Domino, Vobisque nihilominus in virtute  
„ Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pæ-  
„ na districte præcipientes mandamus, quatenus, quam-  
„ primum præsentium notitiam habueritis, ad obedi-  
„ entiam, & devotionem ipsius Michaelis pro tem-  
„ pore existentis Episcopi Milkoviensis redire,  
„ ac illi reverentiam debitam exhibere, ejusque salu-  
„ bria monita, & mandata suscipere, & efficaciter  
„ adimplere, nec non Jura Episcopalia persolvere  
„ absque moræ dispendio curetis. Districtius inhibe-  
„ mus Archiepiscopo Strigoniensi, & Episcopo Trans-  
„ silvano sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspen-  
„ sionis a Divinis, ne vos super præmissis directe,  
„ vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio  
„ per se, vel per alios impedire, molestare, vel per-  
„ turbare quoquo modo præsumant, decernentes irri-  
„ tum, & inane, quidquid secus contigerit attentari;  
„ non obstante juramento per vos de adhærendo Ar-  
„ chi-

„ chiepiscopo, & Episcopo Transsilvano præfatis, &  
 „ ab eorum obedientia non recedendo quomodolibet  
 „ forsan præstito, quod vobis harum serie relaxamus,  
 „ & vos ad illius observationem minime teneri, &  
 „ propter redditum ad obedientiam Episcopi, hujusmo-  
 „ di perjurii reatum, aut aliquas censuras, seu pœnas  
 „ minime incurrire posse declaramus, nec non qui-  
 „ busvis privilegiis, & indultis Apostolicis in contra-  
 „ rium quomodolibet forsan concessis, quæ adversus  
 „ præmissa nemini suffragari posse volumus, ceterisque  
 „ contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud San-  
 „ ctum Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Julii,  
 „ anno Domini MDXIX. Pontificatus nostri anno se-  
 „ ptimo. „ Quid adhinc factum sit, nusquam invenio. Certe Michaëlem hunc ultimum fuisse Milkovi-  
 ensum Antistitem, constans deinceps silentium de  
 Milkoviensi Episcopatu suadet, reorque Jurisdictionem per Præpositum Cibiniensem in Transsilvania eo  
 usque fuisse exercitam, quoad recens secta, quam  
 circa idem tempus Lutherus in Germania moliebatur,  
 ad Transsilvanos irrepississet, cui tricæ inter Strigoni-  
 ensem Archiepiscopum, & Transsilvanensem Episco-  
 sum exortæ, viam haud mediocriter complanasse vi-  
 deri possunt.



---

E P I S C O P I  
M I L K O V I E N S E S.

---

*Annus Christi.*

1332. Frater Vitus ordinis Minorum Argensis.  
1375. Nicolaus Milkoviensis, suffraganeus Episcopi Agriensis. (a)  
1418. Joannes de antiqua Villa Argensis.  
1421. Paulus de Hunyad Argensis.  
1438. Gregorius Milkoviensis.  
1444. Gregorius Milkoviensis suffraganeus, & Vicarius Archiepiscopi Strigoniensis.  
1451. Paulus Argensis. (b)

1453.

---

(a) Sunt, qui huic Antonium ex Ordine D. Francisci præpositum velint, quem ob præclare navatam inter Valachos operam Clemens VI. Strigoniensi, & Colocensi Metropolitis impense commendaverat. Sed litteras publicæ fidei, quæ illius meminissent, haec tenuis non reperi.

(b) Hunc in Annalibus Regum Parte III. pag. 88. & 110. Editione Basileensi anni 1551. Epistolarum Aeneæ Sylvii deceptus, scripsi Agriensem Episcopum suisse; cum tamen Editiones vetustiores, ut annorum 1481. & 86. utraque Norimbergensis, diserte Argensem Episcopum habent. Illa in hac verba. Cumque venisset ex Hungaria Episcopus Argensis, nomine Paulus, multa cum eo apud Græcium de abducendo Rege Ladislao elanculum pertractavit. Hac ad annum MCCCCLI. attinent. Quod indicio est, Episcopatu ex Arga urbe Milkoviiam traducto, &, hac per Schismaticos destructa, Milkoviensibus Episcopis in Transsilvania colentibus, Episcopos Argenses nomine tenus tales suisse, cajusmodi omnes suisse existimo, qui post Nicolau Milkoviensem sub nomine Argensium comparent: quod Pontificum litteræ Milkoviensem, & Argensem pro eodem Episcopatu ob commutatas Sedes constanter habent. Hinc ad

1453. **Gregorius Milkoviensis.**  
 1462. **Gregorius.**  
 1469. **Ladislaus I. de Ondola**, simul **Præpositus Mihalensis.** (a)  
 1471. **Michael I. Vicarius Strigoniensis.**  
 1473. **Michael Vicarius Strigoniensis, & suffraganeus in Thurem.**

1475.

annum 1438. præter Gregorium Milkoviensem, occurrit etiam Paulus Argensis, quem eundem cum Paulo de Hunyad reor, non quod re ipsa Episcopatum regeret, nam is condita apud Milkoviam Episcope desit, & hac ab Schismaticis destructa, Milkovienses Antitites in Transsilvania jurisdictionem exercebant, sed quod, ut supra monui, nomen duntaxat Episcopi gereret, fere ut hodie etiam mos est apud eos, quos *in partibus Episcopos esse dicimus*. Tametsi omnino hujus nominis non defuerint, qui consecrati essent. Eiusmodi fuit Paulus de Wacia, qui litteris Indulgentiarum a quinque Cardinalibus anno 1480. die 24. Decemb. datis, ad calcem ita subscriptus est: *Et ego Paulus de Wacia Episcopus Argensis, & Suffraganeus Transsilvanensis, damus, & concedimus &c.* Itaque Argenses Episcopi Titulares, videntur, ut Milkovienses Strigonensis, sic Transilvanensium fuisse Suffraganei: qui ob viciniam sepe religionis causa in Moldaviam procurerunt, unde non raro etiam Episcopi Moldaviensis nomen adepti sunt. Talis erat ad annum 1466. Joannes hoc titulo usus: *Johannes Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Moldaviensis, Suffraganeusque Reverendi in Christo Patris, & Domini, Domini Nicolai Episcopi Albensis Transsilvaniae &c.*

(a) Samuel TIMON, cum de hoc agit in Additamentis ad *Antiquæ, & novæ Hungariæ Imagines* pag. 23. non obscure videtur indicare, Milkoviensem Episcopatum eundem cum Bacoviensi fuisse. Sed id mihi non apparet verisimile, ut in Archiepiscopatu Colocensi, ad quem Bacoviensis spectabat, prolixius ostendam, præfertim, quod Bacoviensis in Moldavia, non item Milkoviensis, extiterit. Cujus fidem videntur litteræ Francisci de Varda Episcopi Transsilvani datae ad Strigonensem facere, quarum hic tenor est. „Reverendissime in Christo Pater, & Domine Domine observandum! post debitam mei ipsius, & obsequiorum meorum commendationem. Misit ad Paternitatem vestram Reverendissimam hos homines meos presentium exhibentes, quorum medio ex parte Episcopi Moldaviensis non nulla Dominationi Vestre Reverendissimæ nunciavi, quæ propter longam, & disutam rei expositionem, verbis potius, quam litteris eidem significare volui, præsentibusque exemplum cujusdam Brevis


,, in-

1475. Michael Vicarius Strigoniensis.  
1481. Michael Vicarius Strigoniensis.  
1484. Michael Vicarius Strigoniensis.  
1504. Paulus de Ilsva.  
1510. Ladislaus. II.  
1511. Demetrius.  
1519. Michael. II.
- 

„ inclusum Dominationi Vestrae Reverendissimæ misi. Quapropter rogo  
„ Paternitatem vestram Reverendissimam, ut dignetur eosdem homines  
„ meos exaudire, verbisque eorundem perinde, ac nostris propriis, fidem  
„ indubiam præstare, bonaque, & sperata relatione eosdem ad me remitt-  
„ tere: Quam Deus altissimus ad multos annos felicissimam conservare di-  
„ gnetur &c. Ex Castro nostro Albensi in vigilia SS. Innocentium, an-  
„ no Domini MDXX.

Frater, & Capellanus  
Franciscus Ep. Transsilvanus.

F I N I S.




Errata.

Pag.

1	Bosnensem,	-	Nitriensem
2	Zolnenfis,	-	Zoliensis.
9	Decessores,	-	Successores,
26	liberatibus,	-	libertatibus.
27	Vatra,	-	Tatra.
31	Chanadiensem,	-	Chanadinum.
89	errore,	-	error.
92	Bohemice,	-	Bohemiz.
94	doloris,	-	dolofis.
ibid.	Regia,	-	Regni.
95	Cauis	-	eauis.
96	Capellatum,	-	Capellarum
113	nominima,	-	nomina
158	inferta,	-	infertas.
174	Ocariis,	-	Focariis.
181	Listinum,	-	Listium.
182	Arundelianum	-	Ancyranum.
219	Kis-Zebeniensem	-	Kis-Zebeniensem.
309	Castriferrei,	-	& partem Comaromienfis.
310	Beneth,	-	Bezterth.

Corrige.



K.K. RECHTSAKADEMIE  
BIBLIOTHEK  
IN KASCHAU





